


254
5 E
1

DE
MATRIMONIIS MIXTIS
INTER
CATHOLICOS
ET
PROTESTANTES.

Scripsit

AUGUSTINUS
DE
ROSKOVÁNY,
CANONICUS AGRIENSIS.

Tomus I.

Historiam matrimoniorum mixtorum tam universalem, quam particularem Hungariae, Transsilvaniae, et Austriae complectens.

QUINQUE-ECCLESIIS,
Typis Lycei Episcopalis, 1842.

Pestini in Bibliopolio
Gustavi Emich.

PRAEFATIO.

Questio de matrimoniis mixtis inter Catholicos, et Protestantes ab Eruditis, qui occasione recentissimorum in *Borussia* eventuum eandem examini subiecerunt, scriptisque operibus inclaruerunt, obtutu dogmatico et iuridico ad eam quidem perspicuitatem adducta est: ut rem vix non superfluam acturum existimem, qui memorato obtutu quidpiam adhuc addere vellet. Ast quod ad *historiam* quaestionis istius, et disciplinae, qualis in Ecclesia circa mixta matrimonia inde a temporibus sic dictae Reformationis Sec. XVI. usque praesentem diem vigebat, attinet: opus, in quo historia huiusmodi quoad omnia orbis catholici Regna, omnesque Provincias exhiberetur, in praesens desideratur. Nam licet *Dr. Fridericus Kunstmann* in opere suo: „Die gemischten Ehen unter den christlichen Confessionen Teutschlands geschichtlich dargestellt. Regensburg. 1839." multum praestiterit: universalem tamen historiam disciplinae quoad celebranda matrimonia mixta nequidem pro Germania, cuius solius historiam texere constituit, plene deduxit. Subsidiis igitur pro concinnanda universali matrimoniorum mixtorum in Germania, Gallia, Polonia, Hollandia, Belgio etc. historia necessariis magno labore comparatis, insuper notitiis authenticis de disciplina Ecclesiae *Gallicanae*, quae singulariter notanda est, medio Nuntiaturae Apostolicae Parisiis obtentis, ad elucubrandam historiam generalem coniugiorum mixtorum inter Catholicos et Protestantes animum adieci: quae, quidquid

a primis connubiorum horum initiis usque ad praesentem diem circa quaestionem istam quocunque sub respectu notatu dignum in orbe Catholico evenit, signanter autem leges a Principibus Civilibus latas, Episcoporum constitutiones, Decreta Synodalia, et Sanctae Sedis Apostolicae decisiones, proponeret. Universali historiae subjunxi particularem quoad Hungariam, Transsilvaniam, et Austriam: quae quippe peculiarem pertractationem multis ex obtutibus merito sibi vindicat. Cum autem mihi tam Regium, quam Primatiale, aliaque Dioecesana Tabularia inspicere licuerit: multa magni momenti documenta ac monumenta in usum converti. Universum vero opus in duos Tomos ita divisi, ut primus historiam matrimoniorum mixtorum inter Catholicos et Protestantes tam universalem quoad omnia Orbis Catholici Regna ac Provincias, in quibus nimirum Catholici Protestantibus intermixti degunt, quam particularem de Hungaria, Transsilvania, et Austria; secundus Monumenta ad historiam spectantia complecteretur. Pro commoditate lectorum in Tomo primo ubique accurate adnotatum est, quo loco correspondens Monumentum in Tomo secundo quaerendum sit. Denique ad calcem cuiuslibet Epochae *Literaturam* addidi, et, ut spero, plenam de quaestione hac historiam literariam, quadringentos, et ultra Auctores recensentem, conspectui lectorum exhibui. Superest, ut Viris illis eximiis, summeque colendis, qui Regium, Primatiale, aliaque Dioecesana Tabularia mihi inspicienda, rara benignitate, indulserunt, perpetuae gratitudinis vinculo me obstrictum lubens profitear.

Agriae Calendis Januariis 1842.

Auctor.

CONSPECTUS
Tomi Primi.

I.
Historia matrimoniorum inter Catholicos, et Protestantes universalis.

EPOCHA I.

EPOCHA II.

Pag.

EPOCHA IV.

A Foedere Germanico a. 1806. usque Congressum Viennensem a. 1815. **140—151.**

I. Status matr. mixt. in Provinciis Foederis Germanici Rhenani. 140—148.

II. Status matr. mixt. in aliis Regnis. 148—150.

EPOCHA V.

A Congressu Viennensi a. 1815. usque a. 1831. **152—213.**

I. Status matr. mixt. in Germania in sequelam Congr. Viennensis. 152—163.

II. Status matr. mixt. in Bavaria. 164—174.

III. Status matr. mixt. in Borussia. 174—190.

---

b) In Provinciis Orientalibus. 273—279.

II. Historia matr. mixt. in aliis Regnis. 279—290.

EPOCHA VIII.

A die 20. Nov. 1837. seu captivitate AEppi Coloniensis usque exitum anni 1841. 297—451.

I. Eventus ann. 1837. et 1838. 297—336.

1. In Borussia.

a) Provinciis Occidentalibus. 297—313.

IV. Literatura ex Epocha VIII. 351—451.

1. Literatura ex anno 1837.

2. Literatura a. 1838.

3. Literatura anni 1839.

4. Literatura a. 1840.

Pag.

5. Literatura a. 1841.

II.

Historia matrimoniorum inter Cath. et Prot. particularis in Hungaria, Transsilvania, et Austria.

A) In Hungaria.

EPOCHA I.



Pag.

C) In Austria.

APPENDIX

de Brevi et Instructionibus Pontificiis ad Eppos Hungariae et Austriae anno 1841. datis 588—592.

	Errata	Corrige.
Pag. 4. lin. 13.	*1553.*	*1533.*
— 16. not. 19. lin. 2. post:	*Mains*	adde: *1828.*
— 18. not. 29. lin. 1.	*Mon. 22.*	*Mon.* 22^{a}
— 25. not. 43. lin. 1.	*Mon. 25.*	*Mon.* 25^{a}
— 26. not. 44.	*Mon. 25.*	*Mon.* 25^{b}
— 31. lin. 5.	*moniis*	*monitis*
— 32. lin. 34.	*tinendum*	*timendum*
— 35. lin. 31.	*matrimoni-*	*matrimonii*
— 52. not. 82.	*Mon. 24.*	*Mon. 42.*
— 64. not. 109.	*329.*	*239.*
— 80. not. 129. lin. 2.	*Ultrajactensi*	*Ultrajectensi*
— 139. lin. 8.	*Iris*	*Isis*
— 140. lin. 7.	*Phenauum*	*Rhenanum*
— — lin. 15.	*mutuaequa*	*mutuaeque*
— 144. not.	*157.*	*257.*
— 146. lin. 18. post:	*educatio*	adde: *catholica*
— 151. not.	*373.*	*273.*
— 175. lin. 22.	333)	332)
— — lin. ult.	333) Mon. 138. p. 164.	delendum
— 192. lin. 16.	269)	369)
— 213. lin. 1.	*recissis*	*rescissis*
— — lin. 5.	*peses*	*penes*
— — lin. 7.	*nerere*	*serere*
— 241. lin. 1.	*sit*	*sic*
— 279. not. 529.	*1836.*	*1838.*
— 335. lin. 23.	*obsolutio*	*absolutio*
— 351. lin. 3.	*Goadjutorem*	*Coadjutorem*
— 363. lin. 13.	*et*	*ex*
— 383. not. 751. lin. 1.	*Secensiones*	*Recensiones*
— 425. lin. 24.	*exitaverint*	*excitaverint*
— 427. lin. 9.	481)	841)
— 444. lin. 24.	*et non minus*	*et minus*
— 453. lin. 13.	*religios*	*religiosi*
— 464. lin. 32.	*immoritos*	*immeritos*
— 468. not. 903. lin. 1.	*Mon. 263. 428.*	*Mon. 263. p. 428.*
— 473. lin. 20.	*foemines*	*foemineo*
— 475. lin. 12. §. 232. post:	*adminus*	adde: *proles*
— 500. lin. 8.	*quod*	*quoad*
— — lin. 12.	*praerio*	*praevio*
— 501. lin. 30.	*advertat*	*avertat*
— 505. lin. 15.	*obtentas*	*obtentae*
— — lin. 16.	*possit*	*possint*
— 522. lin. 24.	*quum*	*quem*
— 528. lin. 28.	*eveniant*	*eveniat*
— 534. lin. 7.	*saluta*	*salute*
— 537. lin. 12.	*alliena*	*aliena*
— 539. lin. 4.	*Canc.*	*Can.*
— 551. lin. 4.	*consertaneum*	*consentaneum*
— 554. lin. 14.	*vigore*	*rigore*
— 555. not. 1063. lin. 1.	*protestantionem*	*protestationem*
— 557. lin. 5.	*eunciationes*	*enunciationes*

	Errata	Corrige.
Pag. 558. lin. 9.	*maglagadni*	*meglagadni*
— — lin. 12.	*ne*	*nec*
— 559. lin. 15.	*istuis*	*istius*
— 562. lin. 13. 14.	*felvi-ágositani*	*felvi-lágositani*
— 564. lin. 29.	*interatas*	*iteratas*
— 569. not. 1083. lin. 1.	*celleberrimi*	*celeberrimi*
— 573. not. 1094. lin. 1.	*Nemzetektől*	*Nemzetekből*
— 574. lin. 4.	*Carholico*	*Catholico*
— 577. lin. 18.	*Joanno*	*Joanne*
— 579. lin. 31.	*exprnessae*	*expressae*
— 580. lin. 8.	*obtinuerit*	*obtinuerint*
— 581. lin. 4.	*lidentidem*	*identidem*
— 589. lin. 2.	*que*	*quae*
— 590. lin. 14.	*matrimonium*	*matrimoniorum*
— 592. lin. 17.	*dictionum*	*ditionum*

I.

HISTORIA MATRIMONIORUM INTER CATHOLICOS, ET PROTESTANTES UNIVERSALIS.

§. 1.

Divisio historiae totius in plures Epochas.

Universam historiam matrimoniorum mixtorum inter Catholicos, et Protestantes in *octo* Epochas sive temporis periodos dividimus. Prima tempus, quod inde a sic dicta *Reformatione* Sacrorum Sec. XVI. usque ad *Pacem Westphalicam* anno 1648. conclusam procurrit, complectitur; secunda a Pace Westphalica, in cuius tabulis aequalitas iurium inter Confessiones Christianas signata quaestioni de mixtis matrimoniis novam formam dedit, usque tempora Summi Pontificis Benedicti XIV. excurrit: cuius celeberrimae pro *Hollandia*, et *Polonia* quadragesimis Seculi XVIII. annis editae Constitutiones in materia de mixtis matrimoniis merito epocham figunt; tertia proponit statum disciplinae circa mixta matrimonia, qualis inde a laudati Benedicti XIV. Constitutionibus usque ad *Foedus Germaniae Principum* anno 1806. initum viguit: in quo nimirum iura, relationesque mutuae inter diversarum Confessionum Christianarum sectatores curatius determinatae sunt, exindeque ipsa etiam quaestio de connubiis disparis religionis mutationem subiit; quarta exiguam temporis continet periodum, ab anno videlicet 1806. usque celeberrimum *Congressum Viennensem* anno 1815. habitum, cui parem vix vidit orbis Europaeus, et in quo perfecta iurium aequalitas inter Catholicos ac Protestantes iuxta normam in tabulis Pacis Westphalicae assumtam uberius declarata et solennisata fuit;

quinta aeque brevem temporis intercapedinem, nimirum sedecim duntaxat annos inde ab an. 1815. usque an. 1831., complectitur quidem, ast annos memorabilium eventuum feraces, quorum decursu, in germania potissimum, circa quaestionem de matrimoniis inter Catholicos et Protestantes multa admodam notabilia sese evolverunt; sexta enarrat historiam quaestionis huius inde ab anno 1831. quo materia de mixtis matrimoniis in Comitiis Regni *Bavariae* magna contentione animorum agitata, discussaque fuit, usque medium anni 1834. dum nempe in Regno *Borussiae* singularis circa tractanda mixta matrimonia inter Regimen Civile, et partium Regni Occidentalium Episcopos *Conventio* inita est; septima a famosa Conventione ista *mitiorem* in conciliandis matrimoniis mixtis praxim invehente usque diem 20. mensis Novembris anni 1837. excurrit: qua scilicet die *Archiepiscopus Coloniensis* Clemens Augustus L. B. Droste-Vischering propter reiectam memoratam Conventionem, et principia Ecclesiae Catholicae strenue, planeque heroico animo defensa Secularis Potestatis iussu ex Metropoli suae Dioeceseos urbe procul abductus, omnique iurisdictionis Episcopalis exercitio prohibitus exstitit; octava denique illa summi momenti eventa recenset, quae a funestissimo isto Archiepiscopi Coloniensis casu ad praesentem diem acciderunt.

EPOCHA I.

A Reformatione usque Pacem Westphalicam a. 1648.

§. 2.

Prima initia matrimoniorum mixtorum in Germania. Matrimonia, quae per defectionem alterutrius coniugum a fide orthodoxa, et ad sectam Reformatorum transitum, mixta evaserunt.

Prima initia matrimoniorum, quae mixta dicimus, in *Germania*, ubi sic dicta *Reformatio* sacrorum Luthero auctore erupit, quaerenda sunt. Quamprimum enim hic vel ille

coniugum novae sectae placita assumsit, altero in Fide Ecclesiae orthodoxae permanente, matrimonium eiusmodi mixtum evasit. Matrimonia huius generis primis mox Reformationis Lutheranae temporibus evenisse indubium est. At pauca initio erant huiusmodi connubia, in quibus una duntaxat coniugum pars fidei Catholicae nuncium misit: hinc et contentiones, ac dissidia, quae tali occasione seu relate ad ipsos coniuges, sive respectu educationis religionariae prolium enata sunt, per ipsos potissimum coniuges componebantur, religionariaque prolium educatio a religione, cui Supremus Terrae Princeps addictus fuit, normam accipiebat. Hinc e. g. in ditionibus Episcoporum simulque Principum *Spirensis* ac *Wormatiensis*, in quibus Religio Catholica ab immemoriali tempore dominans Status Religio exstitit, matrimonia per transitum unius coniugum ad sectam Lutheranam mixta effecta characterem counubiorum catholicorum, qualia ab initio fuere, deinceps quoque retinuere, quia proles omnes ex iis natae in Religione Catholica educandae erant. Ex adverso in Principatibus, quorum Domini placitis Reformatorum se addixere, pro componendis religiosis coniugum mixtae religionis dissidiis cynosuram praebuit Confessio, quam Principes assumserunt; id quod omnium primo in ditione Ducis *Bipontini* (Zweibrücken) factum est, qui Religionem Catholicam e terris suis exulare iussit, et circa matrimonia subditorum suorum instar normae id constituit: ut ea in posterum exclusis Religionis Catholicae Ministris, nonnisi per Pastores Evangelicos copulentur, prolesque omnes fidem Principis Lutherani profiteantur. Si autem dissidia et contentiones inter coniuges ipsos exortae bono modo componi haud poterant, potissimum per separationem coniugum ab invicem, imo totalem quoque vinculi matrimonialis solutionem sopitas, et, quod singulare est, solutionem eiusmodi non a coniuge solum Lutherano, verum etiam a Catholico sollicitatam, ast a Consistoriis Episcopalibus nequaquam admissam fuisse, legimus.[1])

---

1) Huc pertinet, quod Dominicus Soto Segobiensis in: *Comment. in IV. Sentent. Salmanticae. 1560. Dist. 39.* narrat: „conten-

§. 3.

Matrimonia mixta proprie sic dicta. Reformatores ea primum dissuadent, tardius commendant, sed sibi non constant, quod Lutheri exemplo docetur.

Matrimonia mixta proprie ita dicta, quae scilicet inter Catholicos ex una, et sectae Reformatorum adhaerentes ex altera parte contrahebantur, in multis Imperii Romano-Germanici Provinciis diu ne tolerata quidem fuere. Nam ordinarie quilibet subditus Religionem Principis Catholici sequi tenebatur, et, si etiam in animo doctrinae Reformatorum addictus foret, externe tamen Fidem Catholicam profiteri, et Sacramenta ritu Catholico suscipere obligabatur. Non multo post tamen indulgentiores hac in re erant Principes, et Acatholicis quoque subditis ope singularium conventionum et pactorum liberum cultus divini exercitium concedebant. Quod signanter Principem Episcopum *Monasteriensem* anno 1553. die 14. Februarii fecisse constat. At res haec mox quaestionis illius discussioni ansam dedit: *an cum haereticis communionem fovere liceat*? Quaestionem istam cumprimis ipsi Reformationis coryphaei versabant: Melanchton, Bucerus, Petrus Martyr, Calvinus; quorum postremus edito peculiari „de vitanda superstitione" libello, ritum Catholicorum traducere, et in specie administrationem Sacramenti Matrimonii in Ecclesia Catholica usuvenientem risui ac contemtui exponere non erubuit. At non fuit haec omnium Reformatorum sententia. Permulti enim ex iis, sectae suae pomoeria extendere adnitentes, popularibus suis persuasum ibant, ut matrimonia cum Catholicis ineant, horum animos lucrentur, sensimque ad sectam suam eosdem perducant. Hi itaque matrimonia mixta velut efficax Lutheranismi propagandi medium considerarunt, commendaruntque. Unum pro omnibus adducimus Philippum Melanchtonem: qui in libello a. 1551. „de coniugio" scripto, licet primum approbet canones adversus coniugia fidelium

disse illustrem quemdam uxorem haereticam repudiare et alias inire nuptias, sed non fuisse auditum."

cum ethnicis et haereticis perlatos, idque bono consilio constitutum esse affirmet, quia etiam lex divina, cum Philistaeis coniugia prohibuerit: addit tamen, „legem hanc tantum instar regulae seu ordinarie tenendam esse, nec per Evangelium prohiberi, nisi quod legibus naturalibus repugnat, ideoque et Apostolum Paulum jubere, ut retineant Christiani coniuges, qui volunt manere in eodem coniugio, etiamsi non amplectantur eandem religionem." Lutherus, reformationis pater, ut alibi, sic hic quoque sibi nequaquam constitit: nam qui in sermone suo de coniugio anno 1522. habito pro defensione matrimonii inter Christianum et infidelem aut haereticam in arenam descendit: is a. 1529. contrarium tradidit, ac legem in Vet. Test. adversus matrimonia cum Chanaanitis latam ad sua tempora adplicando, matrimonia Lutheranorum cum Catholicis dissuasit.

§. 4.

Ecclesiae Catholicae de matr. mixtis sententia. Congregatio Romana S. Officii de iisdem saepius interrogata, decisiones pertulit.

Ex actis ecclesiasticis, et Synodalibus primorum ab occepta Reformatione temporum non plus circa quaestionem de mixtis matrimoniis licet eruere, quam quod Ecclesia Romana omnes conatus suos eo converterit, ut propagationi novae religionis obicem ponat, errantesque ad viam veritatis reducat. Cuiusmodi conatus Ecclesiae Romanae non parum promoverunt eae Principum Catholicorum ordinationes, quae matrimonia Catholicorum subditorum cum novae sectae hominibus haud aliter, quam sub conditione educationis omnium prolium in Fide orthodoxa, et cum ritus catholici administratione contrahi admiserunt. Paulus porro III. Summus Pontifex anno 1542. peculiarem instituit Congregationem, *Sacri Officii* dictam, quae curas suas eo extenderet, ut propagationi errorum in fide congrua ac efficacia media et obstacula ponantur. Ad Congregationem istam pluries matrimoniorum mixtorum casus pro decisione deferebantur, quae constanter in eum sensum praestita fuit, quod matrimonium Catholici cum Protestante non obstante

diversitate sententiae circa vinculum, quod nimirum Protestans per adulterium solvi, Catholicus vero etiam penes adulterium ultro persistere credunt, *validum* sit. Similem pro valore matrimonii mixti decisionem tulit Congregatio in eo etiam casu, quo de matrimonio Protestantium sub in ad sinum Ecclesiae Catholicae redeuntium agebatur; et quidem fundamento illo, quod Protestantes non minus quam Catholici supponi debeant habere intentionem, sua connubia iuxta mentem et institutum Christi Domini ineundi, nisi forte contractui matrimoniali conditionem ipsi substantiae matrimonii repugnantem adposuissent.

§. 5.

Status matrimoniorum mixtorum post Pacem Religiosam a. 1555.

Per sic dictam *Pacem Religiosam* anno 1555. in Comitiis Augustae Vindelicorum celebratis in tabulas Imperii legum relatam quaestio de relationibus inter Catholicos et Protestantes magis publica reddita est. Pacis huius conclusa praepararunt iam conventiones illae, quae de admittendo Catholicis ac Protestantibus *Simultaneo* quoad exercitium divini cultus initae fuerunt; porro studia Principum Protestanticorum *ius reformandi* in rebus religionis obtinere contendentium, quo illos Pax Religiosa reipsa etiam donavit. Iuris huius Principibus concessi praecipua consectaria erant: publica confessionis Protestanticae receptio, iurisdictionis sacrae Episcoporum in Protestantes suspensio, nomenclationis *haereticorum* sensu civili ac politico abolitio, demum nova pro determinandis legibus quoad copulationem personarum mixtae religionis et religionariam educationem prolium ex eiusmodi connubiis progenitarum principia. Equidem post Pacem Religiosam diu adhuc exiguus fuit matrimoniorum mixtorum proprie sic dictorum numerus: quia, prout in *Electoratu* e. g. *Palatino Rheni* et *Ducatu Bipontino* — in quibus reformata; porro in Comitatibus *Leiningensi*, *Nassoviensi*, etc. — ubi lutherana Confessio praevaluit: ita in ditionibus Principum Episcoporum *Spirensis* et *Wormatiensis*, ubi Catholica dominabatur Religio, admodum

difficile, ne dicam impossibile erat, matrimonia mixta contrahere propter constantem Catholicorum ab haereticis, et vice versa aversionem; exstant tamen ex illis etiam annis exempla conflictuum et controversiarum, item gravaminum, quae diversarum Confessionum sectatores adversus invicem in Comitiis Imperii proponebant, medelamque flagitabant. Huc in specie pertinent gravamina Statuum Protestanticorum anno 1559. Comitiis Augustanis oblata, et querelae per Catholicos contra Protestantes Caesari repraesentatae: inter quas illa quoque comparet, *quod occasione matrimoniorum mixtorum a parte sponsorum catholica diserte postuletur, ut edito solenni promisso suum ad Confessionem Augustanam transitum praevie spondeat, secus ritu consueto haud copulanda, nec proles eius baptisandae.*[2]) Quidnam erga hanc querelam Caesar proprie rescripserit, ex Actis eius temporis nullo modo eruere potuimus; id tantum constat, Caesarem ope Decreti de 14. Junii et 18. Augusti 1559. querulantes ad Tribunal per Pacem Religiosam anni 1555. pro dirimendis litibus erectum remisisse.

§. 6.

In Conc. Tridentino nihil quidem de matr. mixtis constitutum, ast decretum de matr. clandestinis editum in quaestionem de matr. mixtis haud exiguum habuit influxum.

In Synodo *Tridentina*, quae errores Reformatorum multis confixit canonibus, de matrimoniis mixtis nihil decisum legitur, praeter canonem 5. Sess. XXIV. de Sacr. Matr. ope cuius anathema dicitur ei, qui vinculum matrimonii propter *haeresim* alterutrius coniugum solvi, censuerit; item decretum adversus *matrimonia clandestina* cap. 1. Sess. XXIV. de ref. matr. perlatum,[3]) Quamquam autem nil de

---

2) Vid. Lehmann, *acta publica. Francofurti. 1707. Tom. 1. fol. 84.*

3) Kutschker in suo opere de matr. mixtis: *Die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchlichen Standpunkte aus betrachtet. Zweite Auflage. Wien. 1838. pag. 177. f.* defendit: ex pluribus C. Tridentini sanctionibus, speciatim de expianda praevie per Sacra-

matrimoniis mixtis constituerit Tridentina Synodus: decretum tamen circa matrimonia clandestina in eum sensum perlatum, *quod matrimonia aliter, quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus contracta irrita et nulla sint*, magnum deinceps in quaestionem de matrimoniis mixtis, signanter de *valore* eorumdem, habuit influxum. Cum enim quaestio de validitate matrimoniorum mixtorum antehac solum generaliter poni et decidi soleret, post conditum decretum C. Tridentini iam et de eo quaerebatur: an decretum Concilii in hoc vel illo Regno publicatum receptumque sit, ac proinde an pro casibus, quibus aut coniugum Protestantium alter ad Fidem Catholicam convertitur, aut Catholicus cum Protestante a vinculo matrimonii per Forum Civile soluto coniugium inire cupit, etiam pars Protestantica decreto Tridentino comprehendatur, praesertim si in regione degat, in qua illud publicatum fuit; verbo: an ad valorem matrimonii Protestantium aeque necessaria sit praesentia Parochi et duorum testium, ac ad validitatem matrimonii Catholicorum talis requiritur, et an matrimonia inter Catholicos atque Protestantes sine Forma per Conc. Tridentinum praescripta valide iniri possint? Fatendum autem est, quemadmodum Theologorum, ita ipsorum Romanae Curiae Tribunalium

---

menta Poenitentiae ac Eucharistiae conscientia, de matr. clandestinis, indirecte ad prohibitionem matr. mixtorum concludi posse. — Henricus Wessenberg autem causam, cur Synodus Tridentina de matr. mixtis nil constituerit, in opere suo: *Die grossen Kirchenversammlungen des XV. und XVI. Jahrhunderts in Beziehung auf Kirchenverbesserung geschichtlich und kritisch dargestellt. IV. Band. Constanz. 1840. pag. 324.* ita exponit: „In Hinsicht solcher (gemischter) Ehen enthielt sich das Concil zu Trient aller Bestimmungen; denn einem Verbot derselben wären starke Bedenken in den Weg getreten. Ihre Beschränkung aber durch strenge Bedingungen schien wohl damals um so überflüssiger, als die gegenseitige Abneigung der Glaubensparteien sich ohnehin als starkes Hinderniss solcher Ehen zeigte. Aus dieser Stimmung erklärt sich das Stillschweigen des Concils, wobei dasselbe übrigens ohne Zweifel voraussetzte, dass die Verfügungen früherer Kirchensatzungen, welche die Ehen mit Häretikern für unzulässig erklärten, auch hier Anwendung fänden."

et Congregationum sententias super antedictis quaestionibus non semper uniformes, particulariaque decreta propter diversitatem circumstantiarum, quae in una facti specie aderant, in alia desiderabantur, inter se haud semper convenientia, ac proinde iam pro nullitate, iam pro validitate eiusmodi matrimoniorum pronunciatum fuisse. Cuius diversitatis illa quoque potuit esse causa, quod non omnes in eo convenerint, an decreta matrimonialia Concilii Tridentini Protestantes obligent; multi praeterea rationem contractus a Sacramento separando, matrimonia Protestantium tantum uti contractus, et qua tales validos spectaverint.

§. 7.

Frequentes Protestantium contra Catholicos querelae in negotio mixtorum matr. in Comitiis Imperii propositae.

Post Concilium Tridentinum in omnibus fere Comitiis, quae causa componendorum dissidiorum religionis in Germania celebrabantur, Protestantes adversus Catholicos querulabantur, complura sibi per hos tam quoad matrimonia mixta, quam et illa, quae Protestantes inter se invicem ineunt, poni impedimenta; nec aliter ad copulationem Protestantes admitti, quam promissum de amplectenda Religione Catholica praevie eliciant. Querelas huiusmodi in Comitiis *Augustanis* a. 1566. — *Ratisbonensibus* a. 1576. — *Augustanis* a. 1582. et *Ratisbonensibus* a. 1594. propositas fuisse, acta Comitiorum horum loquuntur. In Comitiis porro Ratisbonensibus a. 1598. id contra Catholicos *Colonienses* gravamen formatum legimus, quod catholicas puellas urbis huius, quae viris Protestantibus nubunt, iuribus civitatis exuant. Generatim autem observare est, circa finem seculi XVI. in Imperialibus Civitatibus frequentes inter Catholicos et Protestantes enatas fuisse in negotio mixtorum matrimoniorum collisiones: e quibus unum tantummodo exemplum proferimus ex urbe *Donauwörth.* Occasionem contentioni praebuit copulatio matrimonii mixti in Ecclesia *Monasterii ad S. Crucem* anno 1577. suscepta, contra quam Praedicatores Verbi Divini protestati, idque efficere adnisi sunt, ut omnis iuris-

dictio parochialis ex hac Ecclesia eliminetur, cultusque plane Religionis Catholicae supprimatur. Praedicatorum consiliis annuit Magistratus, et iteratis Edictis a. 1578. et 1586. copulationes in Ecclesia praedicta instituí prohibuit, Episcopo demum Augustano declaravit: se haud toleraturum, ut in Ecclesia illa cultus Religionis Catholicae exerceatur.[4])

§. 8.

Decreta Synodorum Sec. XVI. adversus matrimonia mixta.

Quantopere Ecclesiae Rectores ab ineundis matrimoniis disparis cultus fideles suos dehortati fuerint: ex innumeris statutis et canonibus *Synodorum* cum Provincialium tum Dioecesanarum Seculo XVI. ad finem vergente celebratarum doceri potest; quibus videlicet fideles, propositis multiplicibus periculis saluti animae ex matrimoniis mixtae religionis tam quoad coniuges quam proles impendentibus, ab illis ineundis deterrentur; Parochis porro matrimoniorum horum benedictio et solennisatio sub gravibus poenis interdicitur; ipsis denique coniugibus, qui in obversum canonum talia connubia contrahere attentant, poenae dictantur. Signanter in Concilio Ebroicensi a. 1576. ipso facto *excommunicationem* incurrere censentur, qui cum haereticis quoquomodo in divinis communicaverint, cum iisque matrimonium contrahere praesumserint [5]); in C. Lexoviensi a. 1580. ad Sacramentum Matrimonii neminem de praetensa ecclesia reformata admitti prius posse sancitum est, quam fidei catholicae professionem elicuerit [6]); Synodus Burdigalensis l. a. 1583. fideles saepissime moneri iubet, ne haereticis proles suas in matrimonium collocent, cum per hoc multi naufragium fidei fecerint [7]); Concilium Turonense a. 1583. praemissa a matrimoniis mixtis dehortatione, Ca-

4) cf. Sartorius, *Geschichte der Stadt Donauwörth. Frankfurt. 1779.* — Königsdorfer, *Geschichte des Klosters zum h. Kreuz in Donauwörth. 1825. 2. Band.*

5) Monum. 1. pag. 1.

6) Mon. 2. pag. 1.

7) Mon. 3. pag. 2.

tholicis indulget, ut a Sponsalibus, quae per verba de futuro cum haereticis ignoranter contraxerint, impune resilire possint [8]); Concilia denique Bituricense a. 1584. Cameracense a. 1586. et Tolosanum a. 1590. priorum canonum prohibitiones iterant, et diserte monent, matrimonia disparis cultus multis animarum periculis obnoxia esse; imo C. Cameracense haereticos non aliter ad matrimonium cum catholicis admitti posse definit, quam si haeresim abiurent, et fidei professionem eliciant. [9])

§. 9.

Rescripta et decreta Congregationum Romanarum contra matr. mixta.

Ex decisis, quae Romanae Congregationes circa exitum Seculi XVI. in casibus particularibus ediderunt, notamus: 1. Rescriptum Poenitentiariae de an. 1580. quoad quaestionem: an Parochus matrimonio Catholici cum Protestante interesse, illudque sine peccato benedicere possit? quam sic diremit, ut nullam quidem culpam in sola praesentia parochi inesse, at benedicendo mortalem a parocho reatum committi, indicaverit. 2. Decretum Congregationis de Propaganda Fide dd. 2. Febr. 1590. ad *Archiepiscopum Gnesnensem* in Polonia: non licere presbyteris in *Russia* et *Pomerania* virum Catholicum cum haeretica muliere et e converso coniungere. [10]) — 3. Resolutionem Congregationis Concilii dd. 31. Mart. 1597. circa dispensationes in matrimoniis mixtis personarum, quae aliquo gradu cognationis vel affinitatis sunt sibi connexae; de his ita censuit S. Congregatio: matrimonia mixta in genere illicita quidem, ast valida esse; dispensationem autem in gradibus cognationis aut affinitatis pro talibus coniugibus elargiendam haud esse, imo potius Episcopos huiusmodi

8) Mon. 4. pag. 2.

9) Mon. 5. 6. 7. pag. 2. 3.

10) Mon. 8. pag. 3. Vid. *Constitutiones Pontificiae, et Romanarum Congregationum decisiones, collectae a* Joanne Pittono. *Tom. IX. P. 1. Venet. 1749. p. 48.*

coniugia mixta cum canonico impedimento dirimente inita pro nullis declarare, idque efficere debere, ut catholici cum catholicis potius, quam haereticis matrimonia contrahant. [11])

§. 10.

In Gallia Reformati contra matrimonia mixta in pluribus Synodis decreta edunt Sec. XVI.

Quantopere Protestantes ipsi cumprimis in *Gallia* matrimonia mixta aversarentur: documento sunt acta Synodorum, quas illic Seculo XVI. celebrarunt; signanter Acta Synodi Nationalis Parisiensis, anno 1559. habitae, quo in Germania circa matr. mixta primam querelam in Comitiis Imperii pertractatam fuisse, superius diximus. (§. 5.) Synodi Parisiensis acta, a Thoma Ittigio [12]) memoriae prodita ad praesentem quaestionem sequentia continent: „Quaesivit Pastor *Diepensis* de nonnemine, qui a pontificio sacerdote vel vicario literas, libertatem matrimonii ubicunque vellet contrahendi, impetraverat, num in reformata ecclesia copulari possit? Respondit Synodus, istum hominem apud reformatos copulari non posse, nisi prius in ecclesia, in qua nuptias celebraturus esset, scandalum a se datum confessus fuisset, et ad contestandam suam poenitentiam literas illas pontificias vel publice in ecclesia, vel coram Consistorio discerpsisset. Pastor *Andegavensis* proposuit casum de quodam pontificio ad reformatam religionem converso, qui ante conversionem suam cum virgine quadam pontificia se desponsaverat, quae matrimonium consummare detrectabat, cum in reformata ecclesia copulari nollet. Quaesitum ergo, quid sponso illi faciendum esset? Synodus eum apud virginem pro matrimonii consummatione instare, et si illa in sententia sua perseveraret, a novo matrimonio tantisper abstinere iussit, donec illa virgo vel per scortationem, vel per desponsationem cum alio priora sponsalia vio-

11) Mon. 9. pag. 8. Vid. Gallemart, *Concilium Tridentinum. Coloniae. 1728. p. 430.*

12) *Historia Synodorum Nationalium a Reformatis in Gallia habitarum. Lipsiae. 1705. pag. 22. ss.*

lasset." In Synodo *Pictaviensi* a. 1560. referente eodem auctore, [13]) „quaesitum fuit de liberis papistarum, an, si reformatis baptisandi offerantur, in reformata ecclesia baptisari possint, ac debeant? Decretum fuit, quod liberi papistarum apud reformatos ad baptismum admittendi non sint, nisi pater et mater auctoritati suae renunciarent, et ius suum susceptori resignarent, permittentes infantem suum in religione reformata educari." Synodus *Lugdunensis* a. 1563. districtim prohibuit pastoribus, reformatum cum catholica, et vicissim copulare, nisi catholica pars praevie relicto catholicismo ad reformatos transeat. Synodus *Saumurensis* a. 1596. postulavit: ut copulandi prius coenam Domini iuxta ritum reformatae confessionis sumant. In Synodo vero Nationali XV-a in *Monte Pessulano* (Montpellier) a. 1598. asservata decisum fuit: tum generatim matrimonia mixta illicita, ministrosque copulantes poenae suspensionis imo et depositionis subiiciendos esse, tum in specie matrimonium inter Principissam sororem Henrici IV. Galliae Regis, et Ducem Lotharingiae nec licitum esse, nec debere illud in Ecclesiis Reformatorum celebrari. Ex his satis apparet, quantopere Reformati in Gallia suorum cum Catholicis conjunctiones detestati fuerint.

§. 11.

Edicto Nannetensi a. 1598. favores Reformatis concessi.

Pro Reformatis Galliae epocham constituit *Edictum Nannetense* sub Henrico IV. Rege mense Aprili 1598. latum, et 15. Februar. 1599. in Parlamento publicatum. *Articulo* nimirum *XXIII.* Edicti huius sancitum est: ut Hugonottae baeretici, seu praetensae reformatae religioni addicti relate ad matrimonia tum contracta tum contrahenda leges Ecclesiae Catholicae observare teneantur, ac proinde Ministri ipsorum, coram quibus publice ineunda erant connubia, quodammodo praesentiam Parochi Catholici ad validitatem matrimonii necessariam suppleant. Peculiarem insu-

13) *Pag. 48. op. cit.*

per favorem concessit Reformatis *Articulus XVIII.* Edicti istius: qui proles in alia, quam in qua parentes voluerint, religione educari, easque parentibus reformatis scopo conferendi in Ecclesia Catholica baptismi auferri prohibuit; imo Articulus alter *secretus* patri ius stipulavit, religionariam prolium educationem iuxta suum beneplacitum determinandi. [14])

§. 12.

Decreta Synodorum Varmiensis, et Antwerpiensis contra matr. mixta.

Ex ultimis Seculi XVI. annis duorum adhuc Conciliorum sive Synodorum Provincialium sanctiones contra matrimonia mixta proferimus: Varmiensis quippe et Antwerpiensis. Conc. Varmiense in Polonia a. 1575. matrimonia cum haereticis contrahenda ex ambone denunciari, et eos, qui S. Eucharistiam ritu Catholico confessi prius non susceperint, copulari, prohibuit [15])! Synodus vero Antwerpiensis in Belgio a. 1576. Sacris Curionibus in memoriam revocavit Canonem XVI. Conc. *Eliberitani*, fideles a nuptiis cum haereticis contrahendis dehortantem. [16]) Nec Protestantes in Belgio pastoribus suis per Synodales constitutiones omnem in impediendis matrimoniis suorum cum catholicis vigilantiam et diligentiam commendare intermiserunt, praesertim in Synodo Dordracena a. 1579. et Middelburgensi a. 1581. [17])

§. 13.

Seculi XVII. initio conventio inter coniuges quoad religionariam prolium educationem in usum deducitur.

Seculi decimi septimi initio in Germania ad occurrendum differentiis et dissensionibus, quae ex disparitate reli-

14) Mon. 10. pag. 4. Vid. (Lesemelier) *Conférences ecclesiastiques de Paris, sur le Mariage, ou l'on Concilie la discipline de l'Eglise avec la Jurisprudence du Royaume de France. Nouvelle edition. Paris. 1773. Tom. 1. p. 38.*

15) Mon. 11. pag. 4.

16) Mon. 12. pag. 4.

17) Cf. Kunstmann, *die gemischten Ehen geschichtlich dargestellt. Regensburg. 1839. p. 48. f.*

gionis inter coniuges praecipue circa religionariam educationem prolium oriebantur, in usum deduci coepit *conventio* inter coniuges de eo: *ut proles masculae in Confessione patris, foemellae in religione matris educentur.* Quamvis autem adversus hanc conventionem cum Catholici tum Protestantici Doctores se identidem enunciarent: ea tamen continuata, et tardius legum quoque civilium sanctione communita fuit. In Civitatibus vero Imperii inter Catholicos et Protestantes huius etiam Seculi exordio contentiones fervebant, signanter in Civitate *Donauwörth*, de qua iam superius (§. 7.) actum. Magistratus nimirum partes Praedicatorum Protestanticorum suscipiendo, die 5. Januar. 1602. proclamationem emisit: cuius tenore omnes iure civitatis exuendos decrevit, quiqui matrimonium cum catholicis inirent. Proclamatione hac, agente potissimum *Episcopo Augustano*, ad aures Imperatoris Rudolphi II. perlata, ope decreti Caesarei de 25. Februar. 1606. Magistratus de sua agendi ratione ad onus responsionis attractus exstitit. [18])

§. 14.

Ecclesiae Rectorum conatus ad fideles ab ineundis matr. mixtis deterrendos. Statuta Parochorum de non copulandis mixtae religionis personis. Decreta Synodorum Germaniae, Galliae, Belgii ex Seculo XVII.

Rectores Ecclesiae prout priori, ita decimo septimo quoque seculo nil intentatum reliquerunt, quo fidelibus multiplicia pericula animarum saluti ex matrimoniis mixtis imminentia ob oculos ponerent, eosque, saepe etiam censurarum metu, ab illis contrahendis deterrerent. Quem in finem tam antiquiora decreta Synodalia adversus matrimonia mixta edita in *Libros Rituales* illata sunt, conciliatioque matrimoniorum talium iudicio Episcoporum expresse reservata; quam Curatores animarum ope peculiarium Statutorum ad impedienda aut certe haud copulanda mixtae religionis matrimonia obstricti; denique novis quoque decretis Concilia-

18) Vid. Auctores supra (§. 7. not. 4.) citati.

ribus ad certas *cautiones* occasione celebrationis mixtorum connubiorum adhibendas obligati sunt. Ex Libris Ritualibus eius temporis unum memoramus *Fuldensem*, in quo parochus absque speciali licentia Episcopi haereticum cum catholica, et vicissim coniungere prohibetur; ex Statutis vero Parochorum notamus id, quod *quatuor Decanatus Juliae* in vetusta Dioecesi *Coloniensi* anno 1602. condidere: catholicas personas cum haereticis haud aliter copulandas fore, quam spes adesset conversionis partis haereticae. [19]) — Ex decretis tandem Synodalibus in medium adducimus: Concilium Narbonense a. 1609. quod cap. 22. diserte prohibet matrimonia inter Catholicos et haereticos ea addita ratione, fas non esse ad Sacramentum matrimonii gratiam conferens excommunicatum gratiae incapacem recipere [20]); Conc. Constantiense a. 1609. exemplis ex S. Scriptnra et SS. Patribus adductis fideles ab ineundo cum haereticis connubio dehortans [21]); Conc. Varmiense a. 1610. quod, revocato in memoriam Parochorum prioris Synodi Varmiensis de an. 1575. (§. 12.) decreto, iisdem sub poena suspensionis ac interdicti vetuit, ne sponsalia aut matrimonia cum haereticis contrahenda ex ambone denuncient, multo minus copulent prius, quam ritu Catholico confessi S. Eucharistiam sumserint [22]); Conc. Augustanum a. 1610. parentes, tutores, et magistratus tam ecclesiasticos quam seculares peculiariter obtestans et exhortans, ne proles suas haereticis in matrimonium tradendo, illas proximo perversionis periculo exponant [23]); Conc. Mechliniense a. 1607. matrimonia mixta haud aliter copulari admittens, quam si pars haeretica haeresim abiurare et fidei catholicae professionem elicere parata sit [24]); Conc. Buscoducense

19) Mon. 13. pag. 5. — cf. Binterim, und Mooren, *die alte und neue Erzdiöcese Köln. II. Band. Mainz. pag. 318.*

20) Mon. 14. pag. 5.

21) Mon. 15. pag. 5.

22) Mon. 16. pag. 5. — cf. *Constitutiones Synodales Dioecesis Varmiensis. Brunsbergae. 1612. pag. 81. 238.*

23) Mon. 17. pag. 6.

24) Petrus Franciscus de Ram in *Synodico Belgico, Tom. 1. Mechliniae. 1828. pag. 317.* narrat: in Mss. titulum X. de Spons.

a. 1612. omnem liberiorem cum haereticis conversationem prohibens, ne fidei naufragium committatur; [25]) Conc. Leodiense a. 1618. in matrimoniis mixtis praevie a parte haeretica sponsionem de catholica educatione prolium excipi, eamque simul cum abiuratione haereseos in manibus Vicarii deponi iubens; [26]) Conc. Burdigalense II. a. 1624. quod tum in iure naturali ac divino, catholicum, ne suam proliumque nasciturarum fidem periculo exponat, stricte obligante, tum in antiquis et signanter Galliae Conciliis, puta Agathensi se fundans presbyteris cum secularibus tum regularibus sub poena suspensionis ipso facto incurrendae copulationem mixtorum matrimoniorum prohibet; [27]) denique Conc. Antwerpiense a. 1643. haereticorum matrimoniis parochum adsistere vetans, in provinciis vero foederatis Belgii desponsatos mixtae religionis homines proclamari quidem, at non prius ad matrimonium admitti indulgens, quam pars haeretica ad conversionem inducatur.[28])

§. 15.

Decisiones Congregationum Romanarum ex Sec. XVII.

Mixtorum matrimoniorum casus prout priori, ita decimo septimo quoque seculo frequenter ad Sedem Apostolicam pro decisione referebantur, decisio vero semper principiis Ecclesiae Catholicae conformiter edebatur, praeser-

---

et Matrim. decem capita habuisse, et inter haec octavum huius tenoris: „*haereticus cum fideli matrimonium contrahere prohibetur. Quare etiam parochi haeresi infectos vel de ea non temere suspectos matrimonio cum fidelibus iungere non praesumant, nisi prius haeresim abiurare et professionem fidei facere parati fuerint;*" verum occasione concertationis super hoc capite Capitulum Mechliniense et Deputatos Capitulorum Cathedralium, aliosque censuisse, attentis praesenti statu huius patriae et circumstantiis temporis, omittendum illud videri, etsi alioquin in iure et ratione fundatum sit, atque etiam inveniatur in ultimo Concilio Provinciali Cameracensi.

25) Mon. 18. pag. 7.

26) Mon. 19. pag. 7.

27) Mon. 20. pag. 7.

28) Mon. 21. pag. 9.

tim a Congregatione, quam superius (§. 4.) a Paulo III. Papa pro discussione causarum istarum ordinatam fuisse memoravimus. Memorabilis est Sacrae huius Congregationis decisio dd. 20. Junii 1628. circa quaestionem de matrimoniis inter Catholicos et *schismaticos:* ea nimirum non esse admittenda, nisi praecedat abiuratio schismatis et professio fidei catholicae. Exstat nihilominus *mitior* resolutio Sacrae Congregationis de propaganda a. 1638. pro locis, in quibus haereses impune grassantur, et ubi catholicae fidei cultus non permittitur: in his locis matrimonia mixta per exhortationes potius, quam per censuras prohibenda resolvit S. Congregatio. [29]) Eadem Congregatio ad quaestionem ex *Polonia* positam: an, dum mulier catholica cum haeretico, vel e converso, matrimonium praesente ministro haeretico contrahunt, necesse sit tale matrimonium denuo coram parocho catholico inire? dd. 13. Nov. 1638. resolvit: matrimonia ita contracta, si non constet de publicatione Decreti C. Tridentini, valida esse. [30])

§. 16.

Sedis Apostolicae sententia uberius intelligitur e tenoribus dispensationum pro casibus particularibus concessarum. Exemplum dispensationis ex Pontificatu Clementis VIII. In merito coniugii inter Ducem Barrensium et Catharinam Regii Gallici sangvinis Principem.

Sententiam Ecclesiae Romanae circa mixta connubia praeter decisa Congregationum, e tenore etiam *dispensatio-*

29) Mon. 22. pag. 9. — Ex hac decisione Zimmermann in sua dissertatiuncula: *über gemischte Ehen* in periodico scripto: *Konstitutionelle Kirchenzeitung aus Baiern für kathol. Geistliche. Von* Aloys Lehrchenmüller *Kempten. 1831. p. 205.* occasionem sumsit asserendi: e sententia Romanorum Tribunalium matrimonia mixta non esse totis viribus impedienda, sed adsummum disuadenda. Verum, prout rite animadvertit Laurentius Wolf in: *Kirchenhistorischer Bemerker zum allgemeinen Religionsfreund. Von* D. Benkert. *Würzburg. 1831. p. 332.* Congregatio laudato decreto nihil minus intendit, quam ut matrimonia mixta faciliora reddantur; solum peculiarium adiunctorum rationem haberi, et antequam censurae vibrentur, leniora media adhiberi voluit.

30) Mon. 22. b. pag. 9.

num per Summos Pontifices pro casibus singularibus concessarum licet eruere. Difficile vero est determinare, an statim post Reformationem, et nominatim Seculo XVII. invaluerit praxis: pro casibus matrimoniorum mixtorum semper duntaxat a Sede Apostolica dispensationem petendi? ita, ut hanc Episcopi propria auctoritate dare non potuerint? Id certum, in casibus gravioribus, et signanter dum de matrimoniis Principum agebatur, solam Sedem Romanam dispensavisse; secus autem in quotidianis fere, cumprimis belli tricennalis tempore, mixtorum matrimoniorum casibus Episcopos ipsos dispensasse: cum alioquin impossibile foret, pro quolibet casu, multiplicatis mixtis matrimoniis, ad Sedem Romanam recurrere; sed et Sedes Apostolica Romana praxi ei, vi cuius ipsi Episcopi indultum ad ineunda mixtae religionis connubia dabant, nuspiam repugnavisse legatur.

Singularis Romanae dispensationis exemplum ex primis Seculi XVII. annis suppeditat Pontificatus Clementis VIII. in matrimonio *Henrici Lotharingi Ducis Barrensium* cum *Catharina* sorore *Henrici IV. Galliarum Regis* Calvinismo addicta, et Henrico Duci in tertio et quarto cognationis gradu iuncta. Cum nimirum Dux Barrensis voti de ineundo cum Catharina Franciae Principissa matrimonio damnari cupiens, Summum Pontificem pro concedenda dispensatione primum scripto frustra accessisset: matrimonium non obtenta licet dispensatione penes assistentiam *Archiepiscopi Rothomagensis* anno 1599. iniit. Sed paulo post remorsibus conscientiae impulsus, anno 1600. quo Jubilaeum celebrabatur, personaliter Romam concessit, Papamque ad elargiendam dispensationem modis omnibus expugnare conabatur. Verum, ut Spondanus [81]) refert „multae subortae sunt propter religionis disparitatem difficultates; diversitas enim religionis, etiamsi ea sola inter christianos baptisatos non irritat matrimonium contractum, impedit tamen ne contrahi possit absque gravissimo peccato partis catholicae, ob periculum seductionis ac perversionis et pravae institutio-

81) *Annal. Eccles. continuatio Tom. 3. p. 563. 567.*

nis liberorum, rixarumque et odiorum, quae facile inter coniugatos inde oriuntur: quae causae sunt, quarum ratione fixus in eo manebat Clemens, ut non dispensaret cum Barrensi, nisi prius Catharina haeresim eiiceret, a quo illa alienissimam se praebebat, ac proinde nec dispensationem curabat, nec se illa egere, aut Pontificem auctoritatem habere eam impertiendi, aut denique matrimonium Sacramentum esse agnoscebat. Quibus addebat Pontifex, si semel dispensationem concessisset, tunc nec Catharinam, etiamsi iam praeseferret, instrui velle, amplius id curaturam, et principes Lotharingios segniores fore ad eius conversionem procurandam." Multis tandem precibus, et cumprimis poenitentia per Ducem Barrensium super commisso reatu acta, pront et promisso, quod Catharinam, quam iam coniugem duxerat, a se dimissurus, nec prius recepturus sit, quam a Pontifice dispensationem obtineret, fatigatus Clemens, annuit, ut negotium hoc in maturam deliberationem sumatur. Teste itaque Cardinali D' Ossat, [32]) Papa peculiari Congregationi e quatuor Religiosis et novem Cardinalibus conflatae discussionem meriti istius, et signanter harum quaestionum solutionem commisit: an Papa possit dispensare in gradibus consangvinitatis, dum una pars est haeretica? an in casu praesente adsit causa dispensandi? an id facere expediat? et an adsint exempla talium dispensationum? Post multas pro et contra disputationes anno tandem 1603. die 6. Decembris iussit Clemens *Episcopo Verodunensi* scribi: „Ducem Barrensem ab excommunicatione, aliisque censuris ecclesiasticis, in quas incurrisset ob incestum cum sua consangvinea, atque ab ipso incestu absolvi, et post salutarem impositam poenitentiam dispensari cum illo super gradibus consangvinitatis, ut posset matrimonium denuo contrahere cum Catharina — scilicet coram parocho et duobus testibus, si Concilium Trid. in Lotharingia promulgatum fuisset, sin minus, per solum novum consensum, et in illo licite permanere, his tamen conditionibus: Ut Rex Galliae, Dux Lotharingiae, et Dux Barren-

32) *Epist. 219.* et *221.*

sis promittant singuli per propria diplomata, procuraturos se quantocyus instructionem Catharinae, liberosque ex eo matrimonio nascituros in Religione Catholica educandos." [33]) Tam fuit difficilis in concedenda dispensatione Pontifex!

§. 17.

Alterum exemplum Romanae dispensationis ex Pontificatu Urbani VIII. in merito matrimonii inter Carolum Britannum, et Henricam Mariam Galliae Principem.

Aliud dispensationis Romanae exemplum ex Pontificatu Urbani VIII. proferimus: qui in mixto matrimonio *Caroli Coronae Britannicae Principis*, et *Henricae Mariae Gallicae Principissae* a. 1624. dispensavit. Exemplum dispensationis istius eo est memorabilius, quod sub singularibus conditionibus et cautionibus concessa sit. Quamvis nempe Summus Pontifex, ut in literis apostolicis 30. Dec. 1624. emanatis habetur, probe teneret, Catholicorum cum haereticis matrimonia omnino fugienda esse, et, quantum licet, a Catholica Ecclesia procul arcenda: postquam tamen Rex Britanniae ope peculiaris diplomatis dd. 10. Nov. 1624. ad conditiones per Apostolicam Sedem propositas accessisset, annuit Pontifex, ut dispensatio concedatur. Conditiones vero illae in diplomate seu potius conventione matrimoniali triginta articulis comprehensa [34]) erant: *liberum religionis exercitium pro sponsa Catholica, et hoc scopo unius Episcopi ac plurium sacerdotum in Pallatio Regio intertentio; tum educatio catholica prolium per matrem usque decimum tertium aetatis annum ininterrupta continuanda.* [35]) Insuper in Ar-

33) Vid. *Conferences ecclesiastiques de Paris* etc. ut *nota. 14. Tom. 3. Tit. 6. art. 9.*

34) Mon. 23. pag. 10.

35) Cum Articulo decimo nono Conventionis istius educatio catholica prolium ex coniugio suscipiendarum clare et diserte stipulata sit: in errore versatur Bessel, dum in libello suo: *über die gemischten Ehen in kirchlicher und legislativer Hinsicht. Frankfurt. 1839. p. 27.* scribit: non aliam dispensationi huic matrimoniali ex parte Curiae Romanae adiectam fuisse condicionem, quam eam, ut Henrica Maria Religionem Catholicam libere exercere valeat.

ticulis secretis Conventioni adiectis singulares favores pro Catholicis subditis Rex Angliae stipulavit. [36]) Verum eventus omnes spes, quas Pontifex dispensationem concedens, et Catholici ex hac Conventione conceperunt, fefellit. Nam, ut Spondanus refert, paulo post alienatio disiunctioque voluntatum inter Angliae et Galliae Reges orta est propter dimissionem Episcopi ac ceterorum Virorum Ecclesiasticorum, qui ex pactis matrimonii apud Reginam pro Religionis Catholicae exercitio manere debebant, item propter severius tractamentum Catholicorum itidem in obversum eorumdem pactorum matrimonialium. — Quod in dispensatione hac matrimoniali singulariter adhuc notandum venit, est peculiaris *ritus* qui in matrimonii celebratione observatus fuerat, quem post Auctorem *Collationum Eccles. Parisiensium*, [37]) ita describit doctissimus Pontifex Benedictus XIV. [38]): „Matrimonium inter praedictam Catholicam Principem (Henricam Mariam), et haeretici Regis Procuratorem *extra Ecclesiam* contractum fuit ad limina Ecclesiae Metropolitanae Parisiensis coram Cardinale Magno Franciae Eleemosynario, a quo tamen *benedictio nuptialis data non fuit;* deinde Britannici Regis Procurator novam nuptam deduxit usque ad ingressum Chori, ibi vero a praedicto Cardinale celebrata solenni ritu fuit Missa, adstantibus Rege, et Regina Franciae, et nova M. Britanniae Regina, ac universa Regia Familia: sed praedictus Regis Angliae Procurator, quamvis ipse Catholicus esset, cum personam gereret Principis Anglicanae Sectae addicti, in proximum Archiepiscopi Palatium interim secessit, donec Missa terminaretur,

---

36) Vid. Rapin Thoyras, *histoire d' Angleterre, liv. 18. p. 71.* qui, cum Calvinista sit, animadvertit: ex articulis huius Conventionis apparere, quantopere Aula Britannica emolumento Religionis Catholicae, neglecta religione Status protestantica, intenta fuerit; parumque abfuisse, quin Articulorum horum consectarium totius Religionis Anglicanae ruina exstiterit.

37) *Conférences ecclesiastiques de Paris*, etc. ut. *not. 14. Tom. 3. lib. 1. coll. 2. §. 5.*

38) *De Synodo Dioecesana Lib. VI. Cap. 5. n. 5. Edit. Ferrariensis. an. 1767. Tom. 1. p. 178.*

qua demum expleta, ad reducendam ab Ecclesia Reginam accessit." Morem hunc conciliandi matrimonia mixta Ecclesia Gallicana ad hodiernum usque diem, ut suis locis proponemus, constantissime retinuit.

§. 18.

Tertium exemplum dispensationis Romanae in Germania.

Unum adhuc ex praesenti epocha adducimus dispensationis Romanae exemplum ex Pontificatu Urbani VIII. pro ineundo matrimonio *Wolfgangi Guilelmi Bavari Comitis Palatini et Neoburgi*, *Juliae etc. Ducis*, item *Catharinae Charlottae Ducis Bipontini* filiae. Princeps Guilelmus coniuge sua viduatus, ut cum Catharina sectae Calvinianae addicta et insuper secum tertio cognationis gradu nexa, novum matrimonium inire possit, dispensationem a Summo Pontifice petiit. Annuisset Pontifex, si puella induci potuisset, ut Calvinianam haeresim eiuraret: quare in commissis dedit suo ad Tractum Rheni et ad Provincias Inferioris Germaniae Legato Petro Aloysio Carafae Episcopo Tricaricensi, ut Principem modis omnibus a coepto nuptiarum harum consilio dehortaretur. Egit, ut ipse refert, Legatus omnia, sed frustra [39]: nam Dux Neoburgi a proposito suo ob solam religionis diversitatem recedere noluit, tum quod crederet iuxta Scriptorum quorumdam sententiam in Germania ex capite diversae religionis matrimonium impediri non posse, tum quod Sedes Apostolica cum Duce Barrensium et aliis dispensaverit. Posthabitis itaque Legati monitis et suasionibus, dispensationem, dissimulata utriusque coniugis persona, et suppressis titulis dignitatum, ab *Archiepiscopo Philippensi*, qui apud Batavos in qualitate Vicarii Apostolici Catholicis praeerat, impetravit, nuptiasque inivit. Iteratis dein ad Sedem Apostolicam recursibus tandem et huius annutum obtinuit, sed post diligens praevie institutum examen super eo: *quod ex hoc matrimonio fidei*

39) *Legatio Apostolica Petri Al. Carafae, quam denuo edidit* Jos. Aug. Ginzel. *Wirceburgi. 1840. p. 61. ss.*

catholicae nullum immineat praeiudicium, porro in Principe eiusque liberis aut subditis nullum subsit perversionis periculum, quin potius magna affulgeat spes conversionis sponsae. Hae conditiones literis dispensationis insertae sunt cum clausula: *ut non solum Princeps sub fide verbi sui spondeat, se curaturum, ut Principissa ad fidem Catholicam convertatur, sed etiam Principissa hoc ipsum ope scripti documenti promittat.* [40]

Patet itaque vel ex illis, quae hactenus adduximus: dispensationum Romanarum exemplis, a Sede Apostolica desideratum fuisse, ut abiuratio haereseos ex parte coniugis haeretici vel praecedat matrimonium, vel certe spes firma praebeatur, illam subsecuturam esse: id quod cumprimis Urbani VIII. successor Innocentius X. referente Albitio, peculiari decreto mandavit, ad evitandas fraudes, quae passim ab expeditionariis Datariae, nulla facta mentione, an mulier vel vir essent haeretici, supplicationes pro obtinenda dispensatione porrigentibus, committebantur; quare idem Pontifex iniunxit, ne expedirentur dispensationes, nisi facta mentione: quod ambo contrahentes essent catholici, vel si alter eorum haereticus esset, adderetur clausula: abiurata prius haeresi.

§. 19.

Sententia Protestantium de matrimoniis mixtis Seculo XVII, signanter Theologorum Academiae Rostockiensis, et Lipsiensis, item Consistorii Dresdensis.

Initio Seculi XVII. siquidem magna esset inter *Lutheranos* et *Calvinianos* in Germania dissensio, ita, ut ea, quae in favorem sectariorum in instrumento Pacis Religiosae sancita fuere, ad Reformatos seu Calvinianos extendi non posse, sed solum ad sectatores doctrinae Lutheri applicanda esse, crederetur: quaestio magnis contentionibus agitabatur, num ad matrimonia cum Calvinianis et iis sectariis, qui ex Calvinismo nati sunt, transire integrum sit nec ne? qua occasione alioquin et ea quaestio vertebatur,

40) Mon. 24. pag. 11.

an matrimonia cum Catholicis, quos per ignominiam *Papistas* vocabant, admitti possint vel non? *Facultas Theologica Rostockiensis* anno 1616. definivit: „matrimonia Lutheranorum ceu orthodoxorum Christianorum cum Calvinistis et Papistis esse prorsus illicita, hancque doctrinam per praedicatores populo inculcandam esse, idque cum ideo, quod iam in Vet. Testamento connubia istius generis vetita fuerint, tum ideo, quod periculum defectionis ab orthodoxa lutherana fide subversetur, finis coniugii pervertatur, educatioque prolium impediatur." [41]) Ad quaestionem autem: an matrimonia mixta, dum impediri non possunt, copulare integrum sit? non eadem fuit Consistoriorum Protestanticorum omnium sententia. *Facultas Theologica Lipsiensis* „copulationem personae lutheranae cum calviniana prorsus dissuasit, cum, ut ait, matrimonia cum personis falsae religioni addictis perraro bono coronentur exitu, imo e plurimis exemplis constet, tristia eorum esse consectaria. At si matrimonium non obstante dehortatione iniri contingeret, copulationem et benedictionem haud fore negandam, cum actus hic non sit proprie religiosus, et per hanc agendi rationem pars infidelis citius emolliri, doctrinaeque orthodoxae lutheranae addici possit." [42]) Apparet ex his, Protestantes iisdem fere rationum momentis, queis Ecclesia Catholica fidelium suorum cum haereticis connubia prohibuit, suis asseclis pericula matrimoniorum disparis cultus ob oculos posuisse, eaque ordinarie illicita tradidisse. Omnium clarissime vero conditiones, sub quibus matrimonia mixta iniri possint, exposuit Consistorium Dresdense in sententia sua dd. 5. Maii 1620. lata circa quaestionem: an sponsa lutherana cum sponso catholico matrimonialiter coniungi possit? In sententia hac diserte exigitur cautio tum de eo, ne sponsa per Sponsum Catholicum in confessione sua turbetur, tum de prolibus omnibus in Lutherana confessione educandis. [43])

---

41) Vid. *Consilia apud Dedekennium. Tom. 3. Sect. 10. num. 3.*

42) Apud *Dedekennium, loc. cit. Sect. 10. n. 8.*

43) Mon. 25. pag. 15. — Vid. Carpzovii, *Jurisprudentia Ecclesiastica seu Consistorialis. Hanoviae 1652. p. 319.*

§. 20.

Sententia Facultatis Jenensis, item celebris Theologi Joannis Gehrardi, et Synodi Clarentonensis in Gallia.

Peculiarem tulit *Facultas Theologica Jenensis* decisionem quoad quaestionem: an matrimonia Lutheranorum cum Papistis vel Calvinistis impedienda, et, si iam conclusa forent, retractanda ac irritanda sint? Quoad *primum:* modis omnibus impedienda ea esse, cum communio bonorum spiritualium dignior sit illa bonorum corporalium, et nonnisi tunc felix faustumque matrimonium sperari possit, quum inter coniuges fidei unitas ac paritas adest; quoad *alterum:* si a sponsalibus recedere arduum esset ac difficile, ea non esse quidem rescindenda ac irritanda, cum fidei discrepantia vinculum matrimonii non solvat: sed in copulatione ac benedictione connubiis huiusmodi impertienda ministros religionis valde cautos esse debere, hancque illis solum tribuendam esse, qui eiusdem sunt fidei, vel certe spem praebent conversionis.[44]) — Celebris porro Protestantium Theologi Joannis Gehrardi, Pastoris ac Superintendentis *Heldburgensis* notanda est sententia seu responsio data ad quaestionem pastoris cuiusdam in Franconia: *an minister ecclesiae evangelicae pontificio canonico uxorem ad occultum matrimonium copulare debeat?* Respondit Gehrardus: „distinguendum esse inter pontificios infirmos, de quibus bona spes conversionis elucet, quod progressu temporis ad nostrae ecclesiae consortium sint redituri, et inter praefractos veritatis adversarios, qui contra scientiam et conscientiam doctrinam evangelii detestentur et persequantur; *illis* per copulationem coniugis occultam inserviri posse, ne in turpi concubinatu et perpetuis scortationibus viventes aeterno sese exitio involvant, eosdem vero graviter eadem opera admonendos, ut animae et conscientiae suae rationem habentes e Romana Babylone exeant, nec pingves praebendas, nec divites canonicatuum proventus pluris faciant, quam ve-

---

44) Mon. 25. pag. 16.

ritatis confessionem et animarum suarum salutem, quo medio quosdam ad saniorem mentem reductos fuisse constat; *his* vero nequaquam copulandos esse coniuges, ne in contemtu evangelicae doctrinae confirmentur, neve ex peccato suo lucrum capiant, et sanctam Dei ordinationem, coniugium scilicet, foedi concubinatus praetextu apud suos praegravent." [45]) In *Gallia* notari meretur decisum Synodi Clarentonensis a. 1631. celebratae: matrimonium inter Lutheranos et Reformatos tuto admitti posse, cum in substantia doctrinae conveniant, et in Confessione Lutherana nec superstitio nec cultus idolorum sit, proinde non necessum esse praevie cautionem exigere de educatione prolium in religione reformata. Decisum hoc Synodi Gallicanae Protestantibus Germaniae haud placuit. [46])

§. 21.

Literatura ex Epocha I.

A) Catholicorum. Seculo XVI. quaestioni de matrimoniis mixtis discutiendae occasionem praebuit Decretum Concilii Tridentini adversus matrimonia *clandestina:* inde quippe diversa de validitate aut invaliditate matrimoniorum, tam quae Protestantes inter se, quam quae Catholici cum illis inirent, formabantur dubia. Ex Theologis Catholicis unicum ex Seculo XVI. deprehendimus de quaestione circa coniugia disparis cultus subtilius disputantem

1. Christianum Agricolam Gerckenrot, *Trevirensem, in suis Assertionibus Theologicis de Matrimonio septimo Ecclesiae Catholicae in Lege Nova Sacramento in Universitate Moguntina propositis. Moguntiae. 1582.* Assertione nimirum 111. matrimonia inter fideles et infideles iure non tantum ecclesiastico, sed etiam divino nulla esse; coniugia autem inter Catholicos et haereticos perperam quidem contrahi, attamen vera rataque connubia esse defendit, eo, quod, praeeunte *S. Thoma*, haereticus characterem baptismi consequen-

---

45) Apud. *Dedekennium loc. cit. lib. IV. Sect. 1. n. 7.*

46) Vid. Gilbert *l' histoire de l' eglise sur le sacrament de Mariage. Paris. 1725. T. 2. p. 58.*

do capax possit effici Sacramenti, et tum poenis tum aliis modis ad Fidem Catholicam profitendam cogi valeat.

Seculo XVII. Theologi quaestionem de matrimoniis mixtis uberius pertractabant, et, si paucissimos demamus, omnes validitatem eorumdem propugnabant: sed circa alteram quaestionem, an ea licita vel illicita sint, et quo iure, num divino, num naturali et ecclesiastico? opiniones illorum divergentes fuere. Sequentes nobis ex iis innotuerunt:

2. Initio Seculi XVII. scripsit Thomas Sanchez, cuius opus: *de Sancto Matrimonii Sacramento disputationes. Editio recentior. Viterbii. 1754.* omnibus post illum de Matrimonio scribentibus instar cuiusdam promtuarii fuit. Is in disput. *de imped. cultus disparis. Tom. II. lib. 7. disp. 71 — 77. pag. 180 — 192.* de matrimoniis fideles inter et haereticos docuit: a) ea quidem valida, sed illicita esse, et contrahentes peccatum mortale committere, siquidem iustissimo Ecclesiae praecepto — propter periculum fidei coniugi catholico et prolibus imminens ea coniugia interdicenti — contraveniant; nec cessare peccatum, si spes adsit conversionis, cum praeceptum Ecclesiae eousque obliget, donec coniux haereticus reipsa ad fidem revertatur, et inito semel coniugio, facile posset non converti. b) In locis tamen, in quibus haeretici non denunciati nec notorii Clericorum percussores cum Catholicis permixti vivunt, ut in Germania, Gallia, Polonia, ex consuetudine recepta et tolerata coniugia mixta licita esse, dummodo pars catholica libere et sine periculo perversionis in fide permanere sinatur. c) Pacta, ut quidam ex liberis nascituris fidei, alii autem haeresi adhaereant, esse prorsus impia et irrita, esseque tum contra ius ecclesiasticum, tum contra divinum, quo attento parentibus incumbit cura educandi liberos in ea fide iisque moribus, quibus illi remedia saluti spirituali necessaria adipiscantur.

3. Nicolaus Serrarius, e Soc. Jesu, sententia nonnullorum, qui contendebant: neminem, nequidem haereticum ab Ecclesia Dei se sponte disiungentem ad eamque

redire nolentem, a Catholicis Christiani coniugii Solennibus arcendum esse, et prout in Catholicis coniugiis sese gerit parochus, ita in mixtis quoque se gerere debere — excitatus, *quaestiones de Catholicorum cum haereticis matrimonio. Moguntiae. 1606.* concinnavit, in iisque sequentia tradidit: a) coniugium, quod seu haeretici inter se, sive catholici cum illis ineunt, verum esse, quia utraque pars Christum profitetur, et haeretici per baptismum, ianuam Sacramentorum, ad omnia Sacramenta ius consequuntur; hinc licet matrimonium in numero Sacramentorum non habeant, adhibendo tamen ea, quae ad materiam et formam necessaria sunt, verum contractum verumque Sacramentum ineunt; denique quia dum ad Ecclesiam Catholicam redeunt, novum non ineunt matrimonium, sed in priori firmiter consistunt. b) Coniuges mixtae religionis graviter peccare, quousque haereticus in haeresi persistit, idque praeprimis ideo, quod in grave salutis aeternae discrimen tum se, tum liberos nascituros coniux Catholicus exponat. c) Parochum, coniuges mixtae religionis coniungendo, nisi graves causae interdum excusent, utpote certa spes conversionis, graviter peccare, cum peccato coniugum cooperetur et consentiat, et insignis appareat contradictio inter ea, quae parochus in Ecclesia quoad mixta coniugia agit, et illa, quae pars nubentium haeretica de ritibus Ecclesiae Catholicae tenet. Posse attamen parochum, dum graves urgent causae, benedictione, oratione, et aliis, quae Sacramenti essentiam non constituunt, uti tamquam medio ad salutem coniugum procurandam non inepto. d) Episcopum coniugia talia tolerando, cum impedire possit, graviter peccare, omniumque, quae parochus agit, participem esse, et peccato principaliter cooperari ac consentire. Praeter haec tenet Serrarius: occasione metuendi gravis tumultus posse per Papam revocari observationem decreti Tridentini de praesentia parochi, sed non expedire: cum sic mixtas nuptias nimis multiplicari, et Catholicos in fide vacillantes reddi contingeret; porro parochum catholicum ad excipiendum nubentium consensum numquam posse sui loco ministrum protestanticum sufficere; tandem catholico, qui matrimonium cum haeretico iniit, de

peccato dolendum ac eo enitendum esse, ut liberorum educationi catholicae et coniugis conversioni impense studeat.

4. **Basilius Pontius**, Augustinianus *Legionensis* in Hispania, quem *Benedictus XIV.* Papa *gravem theologum* vocat, in *Appendice* operis sui, quod de Matrimonio scripsit, peculiarem instituit *de matrimonio catholici cum haeretico. Bruxellis. 1627. edit. 2.* disquisitionem *novem capitibus* absolutam. In I. docet matrimonia haec esse valida a multis seculis, inprimis ideo, quod in omnibus canonibus, quibus ea interdicuntur, de separatione coniugum ne verbum adsit. In II. matr. mixta tam ecclesiastico, quam naturali iure illicita esse; illo quidem perhibentibus innumeris canonibus; isto autem propter pericula, quae tam respectu partis catholicae, quam prolium talibus connubiis insunt; in regionibus nihilominus, in quibus ob communem convictum ac societatem fideles cum haereticis vix possunt matrimonia declinare, licita quidem illa esse, at non ideo, quasi legis ecclesiasticae vigor contraria consuetudine evanuerit, verum ideo, quod pericula fidei ac salutis verosimiliter cessatura praevideantur. In III. et IV. proprie tunc tantum licite iniri matr. mixta, si haereticus ad fidem convertatur: at posse, haeretico etiam in errore permanente, aliquando sine peccato coniugium tale contrahi, cum plura in SS. Literis et Patrum operibus adsint talium connubiorum exempla. In V. inter causas, quae matr. mixta reddunt licita, conversionem haeretici ad fidem, vel certe promissionem illius inprimis numerari, porro circumstantias nonnullas prudenter consideratas, velut in Germania. In VI. etiam cum periculo perversionis posse nonnumquam licite contrahi matr. mixtum, e. g. ex causa augmenti et propagationis Ecclesiae Catholicae, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo haeretico Principe oppressi tenebantur; idque ideo, quod licet periculo salutis se exponere peccatum sit, non sit tamen ex iis peccatis, quae constanter malitiam suam retinent, adeoque ob bonum publicum periculo se exponens dici non possit amare periculum, sed potius amare bonum illud, ad quod sine periculo perveniri nequit; desiderari nihilominus in tali casu ex parte contrahentis firmum propositum non laben-

di, et fidem de misericordia et gratia Dei, fore, ut periculo eripiatur. In VII. quoad curam prolium satis esse, si pactum ineatur, ut coniugi catholico permissum maneat educare proles usque annos pubertatis, tum vero consiliis ac moniis veram religionem suggerere; at peccaminosum fore pacisci, ut filii apud patrem haereticum, filiae apud matrem haereticam educentur. In VIII. Papam dispensare posse ex gravi causa, sed tantum in lege ecclesiastica matrimonium impediente, non in naturali: unde si periculum perversionis subsisteret, nec dispensatione Papali licita fieri matr. mixta. In IX. tandem de assistentia parochi tenet: eum uti testem qualificatum assistere posse, cum non assistat actui de se malo, sed quam culpa sua contrahentes prave faciunt; benedictiones tamen omittendas venire; de intentione autem in Catholico requiri votum faciendi, quod Christi institutio voluit, in haeretico vero sufficere intentionem faciendi, quod Christus ordinavit, vel Ecclesia tenet, errorcsque haereticorum circa Sacramentum matrimonii nil vitii in illud inducere, sed esse errores matrimonium concomitantes. [47])

5. Francisci Duysseldorpii *Lugdunensis*, *tractatum de matrimonio non ineundo cum his*, *qui extra Ecclesiam sunt. Antverpiae. 1636.* obtinere, adhibita licet omni opera, non potuimus, sed duntaxat ab aliis [48]) tamquam docte et bene elaboratum laudari intelleximus.

B. Protestantium. Post Pacem Religiosam complures Doctores Protestantici, arrepta ex decisis consistorialibus de solvendis matr. mixtis, dum pars catholica partem protestanticam ad fidem suam pertrahere nititur, occasione, de matrimoniis mixtis Seculo XVI. eum in sensum scripserunt, quod apostasia, ut ipsi vocabant, sufficiens

---

47) Binterim, *von der Unzulässigkeit der Ehen zwischen Katholiken und Irrgläubigen. Mainz.* 1833. *pag. 156. ff.* contra Pontii adsertum de parochi assistentia plura monet.

48) Signanter Binterimio, *op. mox laudato. P. I. p. 146.*

praebeat fundamentum solvendi matrimoniale vinculum; in reliquo autem matrimonia mixta esse dissuadenda. Signanter.

6. Basilius Monnerus, Jureconsultus, et Consistorii *Wittebergensis* assessor, diserte fatetur in *brevi et methodica explicatione de matrimonio. Francofurti. 1561.* apostasiam a fide lutherana praebere causam legitimam dirimendo connubio mixto; multis porro argumentis commendat, ut christiani personas prout moribus, genere, et fortunis, ita religione etiam similes in matrimonium accipiant, cum experientia testatissimum faciat, numquam firmam coniunctionem fieri posse inter eos, quorum animi non sunt coniuncti una vera religione ac fide.

7. Petrus Martyr in: *Melachim, idest, Regum libri duo. Tiguri. 1571.* et: *Loci communes. Londini. 1576.* multis pugnat argumentis adversus matrimonia Protestantium cum Catholicis et Anabaptistis, eaque non aliter licita esse docet, quam si pars haeretica orthodoxam Lutheri confessionem amplectatur; in contractis autem matrimoniis talibus idem tenet, quod Basilius Monnerus, nempe pro casu, quo pars haeretica partem orthodoxam ad suam fidem pertraheret, vinculum dissolvi; sententiam tamen suam ita vult mitigatam, „ut de levioribus dissensionibus et discriminibus non simus plus aequo solliciti, sed maxime apud nos expendamus, an coniungendi matrimonio de summis capitibus conveniant?"

8. Nicolaus Hemming in libello, quem *de coniugio, repudio, et divortio in gratiam fratrum, qui iudices causarum matrimonialium in Regnis Dania et Norwegia constituti sunt. Lipsiae. 1572.* scripsit, contra matr. mixta plura protulit, et propugnavit cetera inter: „maritum et uxorem esse unam carnem, igitur juris quoque divini et humani consortes esse debere; canonem, quo cavetur, ne christianus ducat alienam a sua religione, laudandum; quantum mali in coniugio tinendum sit a diversitate religionis, exemplis pluribus e S. Scriptura patere, rationemque hanc esse, ne diversitas religionis pervertat animum mariti, et ne soboles inter diversas religiones educata, omnem religionem tacite aversetur.'' De connubiis mixtis iam initis, horumque

solutione, ductu priorum auctorum, sequentia statuit: „Si maritus quis conatur pertinaciter ac indefesse coniugem in suum errorem pertrahere, et illa metuit, ne infirmitate paulatim victa labescat, velim eam mature se ad judicem conferre, ac petere liberationem a praesenti periculo. Hanc (etsi Canonistae tantum faciunt separationem in hoc casu quod torum attinet) liberare potest judex per sententiam divortii, permissa facultate nubendi post triennium. Quodsi autem maritus impia dogmata amplexus non conatur uxorem secum in errorem pertrahere, maneat ipsa apud maritum, et lugeat mariti sui miseriam."

9. **Petrus Zanchius** eodem fere modo, quo *Petrus Martyr*. (vid. Num. 7.) matrimonia Protestantium cum Catholicis et Anabaptistis prohibita esse, in opusculo suo: *de operibus Dei intra spatium sex dierum creatis. Neostadii Palatinorum. 1591.* compluribus decretis Conciliorum et Patrum sententiis ostendit.

10. **Winoldus Molradus** in: *tractatu de Matrimonio. Francofurti. 1592.* circa quaestionem: an si duo pontificii vel augustanae confessionis legitimo matrimonio coniungantur, et deinde alter efficiatur vel pontificius, vel lutheranus, alteri praetextu haereseos ad secundas nuptias transire liceat? contrariam fovit opinionem illi, quam superius notati auctores proposuere: ita enim ad quaestionem illam respondet: „nam semel inter eos contractum matrimonium est, quod sola mors solvere potest, licet secus sit de iure canonico. Nam iure canonico propter haeresim respectu thalami et cohabitationis coniuges separantur."

Seculo XVII. Theologi Protestantium, tam Lutherani, quam Reformati principia Ecclesiae Catholicae, ex quibus ipsa matrimonia mixta impugnat, ad suae sectae placita accomodando, et applicando, popularibus suis connubia cum Catholicis dissuadere, imo eá illicita esse, ostendere pergebant. Ita

11. **Albericus Gentilis**, Reformatae seu Calvinianae sectae addictus in suo tractatu: *de nuptiis. Hanoviae.*

1601. docuit: non licere matrimonia, nisi cum illis, inire, qui in substantia doctrinae idem cum Reformatis tenent; in specie vero „cum Papistis non licere commiscere connubia, cum ii sint antichristiani; papistas autem non debere detrectare cum Reformatis iungi, cum hi ab illis tantum instar haereticorum habeantur."

12. Zepper, Lutheranus, Pastor *Herbornensis* in Nassovia, in: *legum Mosaicarum forensium explanatione. Herbornae Nassoviorum. 1604.* facto inter errores *minores*, et *fundamentales* discrimine, ad illos Confessionem Reformatam, ad hos vero doctrinam Judaeorum, Turcarum, Papistarum, Anabaptistarum, et Arianorum retulit, et contendit: cum Reformatis posse quidem, at non cum Papistis coniungi Lutheranos, matrimoniaque cum Papistis esse illicita ac adulterina, nec nisi sub his conditionibus reddi licita, si a) pars haeretica (Catholica) per pactum promittat, quod partem orthodoxam (lutheranam) in exercitio suae religionis nequaquam turbare; b) minus adhuc illam ad suum cultum traducere; sed potius c) in rebus religionis orthodoxae instruere velit.

13. Felix Bidembachius, Ecclesiastes in Aula *Würtembergica*, *de causis matrimonialibus tractatus brevis theologicus. Francofurti. 1612.* posita sibi quaestione: an liceat ducere coniugem infidelem, ethnicam, vel Judaeam, aut aliam de religione dissentientem? quoad eos, qui sunt de Ecclesia, licet dissideant in quibusdam religionis capitibus, mitius pronunciat, quam de iis, qui fidem christianam oppugnant; non negat tamen, magno cum periculo connexum esse, si diversae religionis coniuges invicem iungantur. — Idem in alio opere: *Promptuarium Connubiale. Francofurti. 1612.* dissuadet mixtas nuptias, in hunc sensum argumentans: „Cum diversae religionis conjuge firma et constans amicitia coniugalis vix potest coli. Si enim tuae religioni inimica sit coniux, quomodo illam sincere diliges? cum non Deo simul et coniugi possis placere, et nemo duobus dominis possit servire. Vel enim illa te faciet hypocritam, qui propter uxorem claudices in utrumque latus, et ut diversas

religiones approbes, efficiet: vel te apostatare faciet. Aut liberos abducet a sinceritate religionis, aut ne tuas illi sectentur partes, dehortabitur. Vel tamen dubios illos faciet aut epicuraeos, et ut summa dicam omnia, qui poteris diligere eam, quae Dei tui cultum aversatur? si semper tibi metuendum, ne aeterna damnatio maneat super uxore tua, quomodo felix esse poteris in coniugio? cum una tantum sit fides, et una via ad salutem, ergo delige tibi similem." [49])

14. Venimus ad celebrem Protestantium Theologum Jenensem **Joannem Gehrardum**, qui magnae fuit semper apud suos auctoritatis, adeo, ut multi Jureconsultorum, iique in foro celebratissimi, ex Gehrardi Loco „de Coniugio" in materiis matrimonialibus hauserint. [50]) Tractat vero Gehrardus de disparitate cultus matrimonium impediente in: *Locorum Theologicorum XXVI. de Coniugio. Edit. Jen. Tom. VII. a. 1620. edit. vero Tubing. a. 1776. Tom. XV. cap. 5. Membro 2. art. 2. part. 2. p. 370. ss.* Habita semper peculiari ratione eorum, quae *Magnus Bellarminus* quoad matrimonia cultus disparis statuit, tenet Gehrardus: „tutissimum esse, ut matrimonio copulentur tales personae, quae in vera verae religionis cognitione et professione invicem consentiunt, ut uno ore et corde verum Deum iuxta praescriptum verbi coelestis invocare et colere possint; si tamen persona infidelis et haeretica non sit simul blasphoema ac pertinax, sed spem faciat conversionis pene certam, tum si altera pars christiana et orthodoxa Religionis Christianae fundamenta probe teneat, nec periculum sit seductionis ac perversionis, permitti posse matrimonium praesertim si maritus sit orthodoxus, cui in foeminam dominium per nuptias obtingit." Asserta haec multiplici genere argumentorum ex SS. Literis, ex seductionis periculo, ex matrimonii natura et conditione, ex Patrum ac Conciliorum auctorita-

49) En exemplum Scriptoris Protestantici, palam propugnantis: *unam tantummodo esse fidem, et unam viam ad salutem!*

50) De *Collegio Lauterbachiano* constat, omni fere pagina ad Gehrardum provocari, et ipsum **Carpzovium** in sua *Jurisprudentia Ecclesiastica* Gehrardo uti in formandis firmandisque suarum decisionum argumentis.

te, quam Catholici contra matrimonia mixta proferre solent, probat. Quoad validitatem vero matr. mixtorum pronunciat: ea nec iure divino aut naturali, nec positivo ecclesiastico aut politico irrita esse. [51]

15. Bechstadt, Consistorii *Coburgensis* Assessor, *de conditionibus Sponsalium*, *Coburgi. 1628.* Singularem circa Sponsalia tuebatur sententiam: in iis nimirum, quae Protestantes concludunt, semper tacite intelligi conditionem illam: „desponso te mihi, si non es papista", ac proin defecto eo, quod pars altera sit catholica, sponsalia esse nulla. Sententiam hanc plures eius temporis Theologi secuti sunt: sed alii eandem reiecerunt hac potissimum ex ratione, quod cuilibet desponsorum integrum sit, de relationibus et conditione partis alterius praevie certam notitiam sibi procurare, et de conversione eiusdem spem fovere.

EPOCHA II.

A Pace Vestphalica anno 1648. conclusa usque tempora Benedicti XIV. PP. qui a. 1741. et 1748. celebres de matrimoniis mixtis pro Hollandia et Polonia edidit Constitutiones.

I. Status mixtorum matrimoniorum in Germania

§. 22.

Pax Westphalica perfectam inter Catholicos et Protestantes iurium civilium etiam quoad res Religionis aequalitatem induxit, sed de matrimoniis mixtis in specie nil constituit. Romanus Pontifex conclusis Pacis Westphalicae contradicit.

Pax Westphalica die 24. Octobris a. 1648. conclusa, a qua secundam narrationis nostrae epocham ordi-

51) De sententia Gehrardi circa quaestionem: an canonicum, qui occulte uxorem ducit, minister evangelicus copulare possit? iam superius §. 20. diximus.

mur, sublatis quibuslibet conventionibus ac pactis, quae inter Catholicos et Protestantes antehac inita erant, *Transactionem Passaviensem* a. 1552. et *Pacem Religiosam* a. 1555. [52]) in omnibus punctis sancte inviolabiliterque servari, pro decretorio vero ac decisivo exercitii Religionis termino annum 1624. observari iussit: delata in reliquo Principibus Regnorum potestate, subditos illos, qui anno isto normali nec publicum nec privatum religionis exercitium habebant, ad emigrationem ex imperio cogendi. Quod autem maxime memorabile est Pacis Westphalicae punctum; ipsa in omnibus rem Religionis attinentibus inter utriusque Religionis, Catholicae videlicet et Protestanticae Electores, Principes, Statusque perfectam *aequalitatem* induxit: ita, ut quod uni parti iustum est, alteri quoque sit tale, in perpetuum prohibita omni violentia, et via facti; insuper utriusque religionis Magistratibus severe iniunxit, ut sollicite caveant, ne quis seu publice sive privatim contra Tabulas Pacis istius quidquam suscipere praesumat, sed si quid dubii exoriatur, de eo in Comitiis vel aliis imperii Conventibus inter utriusque religionis Proceres amicabili ratione transigatur. [53]) — Haec Pacis Westphalicae sanctio magno cum jubilo praesertim a Protestantibus excepta, atque inprimis perfecta illa iurium aequalitas inter Catholicos et Protestantes, Pacis istius Tabulis stabilita magnum relate ad quaestionem de matrimoniis mixtis exseruit influxum: quatenus nimirum tacite quaevis pacta et transactiones, quas forte unius religionis sectatores in praeiudicium alterius partis inirent, sustulit. Positive tamen de matrimoniis mixtis nihil in Instrumento Pacis Westphalicae constitutum fuit; eorumque, ut infra narrabimus, primum in instrumento Executionis Pacis huius mentio facta fuit. Cur autem in tabulis Pacis Westphalicae nil de matrimoniis mixtis ordinatum fuerit: causam vel id praebere potuit, quod meritum hoc per Status ac Ordines Imperii tamquam privatum quoddam nego-

52) cf. §. 5.

53) Mon. 26. pag. 17. — Vid. Gärtner, *Corpus Juris Eccles. Catholicorum, quod per Germaniam obtinet. T. 1. p. 448.*

tium consideraretur; [54]) vel id, quod res plena periculi censeretur, ope condendae universalis hoc in puncto legis libertati conscientiarum praeiudicium vimque inferre; [55]) vel denique, quod, defixo pro exercitio religionis anno normali, eo ipso Principum potestati relinqui conveniens visum fuerit, an matrimonia mixta suis subditis admittere velint nec ne? quod praeprimis de Principibus Protestanticis intelligendum est, quibus alioquin tota quanta potestas legislativa circa rem matrimonialem per ipsos Confessionis istius Doctores attributa fuit, vi cuius ipsi sponsalia et matrimonia in obversum legum inita rescindere et annullare poterant.

Vix ad aures Summi Pontificis Innocentii X. conclusio Pacis Westphalicae pervenit: cum mox ope Bullae dd. 20. Nov. 1648. ad tuendam fidei Catholicae integritatem, et Ecclesiae iura vocem suam elevavit, et contra articulos Pacis huius, qui Religioni et Ecclesiae Catholicae quademumcunque ratione praejudicarent, solenniter protestando, tales articulos ipso iure nullos, ac irritos esse declaravit atque decrevit. [56])

§. 23.

In Congressu Principum Norimbergae a. 1650. habito quaestio de religionaria educatione prolium e mixtis connubiis in discussionem sumta et decisa.

In Instrumento Pacis Westphalicae nulla quidem, ut diximus, de matrimoniis mixtis facta fuit provisio: mox tamen a. 1650. occasione *Congressus Principum* ac Statuum Imperii super executione Pacis Westphalicae *Norimbergae* habiti proposita fuit quaestio de educatione religionaria prolium e connubiis mixtis genitarum. Quaestioni occasio-

---

54) Prout censet Dr. Kutschker, *die gemischten Ehen von dem Katholisch-kirchlichen Standpuncte aus betrachtet. 2. Aufl. Wien. 1838. pag. 5.*

55) Frey, *Kritischer Kommentar über das Kirchenrecht. 3. Thl. §. 213.*

56) Mon. 27. pag. 19. — Vid. Gärtner, *op. cit. T. 2. p. 382.*

nem praebuere gravamina per Statum Catholicum Civitatis *Augustanae* adversus Protestantes allata, inter quae et illa quaestio continebatur: „an, dum coniuges diversae sunt religionis, et circa religionariam prolium educationem nulla pacta aut transactiones praevie initae, proles ex principio potestatis patriae in religione patris, aut pro diversitate sexus filii quidem in patris, filiae vero in matris confessione educandae sint?" In Congressu congregati Principes tam Ecclesiastici quam Seculares propendebant ad determinandum: proles talium parentum vi patriae potestatis in religione patris usque annos discretionis educari debere; at dum accepto etiam Protestantium ad propositam querelam Augustani Magistratus responso de superanda querela ultro deliberatum esset, de defigendis *annis discretionis* diu disputatum fuit, cumque coalitio nullo modo obtineretur, ex parte Statuum utriusque Religionis compromissum est in duos viros, quos eruditione ac doctrina praestare publica fama ferebat: ex parte Catholicorum quidem in P. Marcellum Jesuitam *Bambergensem*, ex parte autem Protestantium in Dillherum Ministrum *Norimbergensem*, qui inprimis hanc discuterent quaestionem: „an determinari possit certus annorum numerus, quo pueri vel adolescentes sufficientem habere censeantur discretionem Religionis Catholicae vel Augustanae Confessionis?" Prior censebat, nullum praecise annum discretionis huiusmodi determinari posse; posterior annum aetatis *decimum sextum* projectabat. Sumta itaque in novam discussionem quaestione controversa, in eo tandem coalitum est: ut quoad religionariam educationem prolium e mixtis connubiis praecipuas quidem partes vi potestatis patriae habeat pater, eique proles hoc sub obtutu obedire teneantur; non tamen difficultetur, ut ope pactorum quoque inter parentes aliud hoc in merito determinari possit, iis igitur integrum maneat pacta eum etiam in sensum inire, ut proles masculae in patris, foemellae vero in matris religione educentur; quoad annos denique discretionis Catholici pro quolibet casu particulari determinium Jurisdictioni Ecclesiasticae detulere, Protestantes au-

tem iuxta opinionem Dillheri annum aetatis 16. pro cynosura assumsere. [57])

§. 24.

Post conditam et executioni datam Pacem Westphalicam variabat praxis circa matr. mixta, prout nimirum Religio haec aut illa per Principes plena libertate donabatur, aut duntaxat tolerabatur; per tractatus quoque ac Recessus quaestio haec discutiebatur.

Dum de praxi quaeritur, quae in sequelam Pacis Westphalicae circa mixta connubia in Germania invaluit, distinguendum censemus inter loca, in quibus Catholici vel Protestantes pleno iure gaudebant religionem suam libere ac publice exercendi; et inter loca, in quibus Religio Catholica aut Confessio Protestantica duntaxat *tolerabatur*. In locis primi generis matrimonia mixtae religionis in genere haud impediebantur, et arbitrio contrahentium passim relictum fuit ope transactionum determinandi tum id, a cuiusnam Religionis ministro copulari, tum in qua religione nascituras proles suas educari vellent? In illis e contra locis, in quibus alterutrius Religionis sectatores solummodo tolerabantur, prout Principi plena erat matrimonia mixta impediendi et prohibendi potestas, ita per modum gratiae ac dispensationis coniugia talia admitti quoque poterant, sed pro casu isto alioquin unice a beneplacito pendebat Principis, in quanam confessione proles institui ac educari vellet. [58]) — Non desunt etiam exempla *tractatuum* inter Principes Catholicos et Protestantes initorum ad mutuis consiliis regulanda ea, quae quoad matrimonia mixta observanda videbantur. Unum ex huiusmodi Tractatibus adferimus, nimirum illum de 26. April. 1672. inter Fridericum Wilhel-

57) Vid. Joan. Godofr. Meiern, *Acta executionis Pacis Westphalicae. Hannover und Tübingen. 1736. Tom. I. p. 749. 787. 811.* et *T. II. p. 681. 687. 754. 804. 812.*

58) Cf. Moser, *von der Landeshoheit im Geistlichen. Frankfurt und Leipzig. 1773. p. 483.* Item: Moser, *von der teutschen Religionsverfassung. Frankfurt und Leipzig. 1724. p. 115.*

mum Electorem *Brandeburgicum* ex una, et Philippum Wilhelmum Comitem Palatinum *Neoburgicum* ex altera parte ad tollendas differentias religionarias inter incolas Provinciarum ex successione Juliacensi inter Principes hos divisarum exortas initum, atque sub nomine **Recessus Religionis** notum: vi cuius pro decidendis controversiis matrimonialibus id decernitur, ut actor forum rei sequatur, et pars quaelibet iuxta suae religionis principia audiatur ac iudicetur; intuitu vero proclamationis et copulationis sponsorum mixtae religionis, statuitur: ut proclamatio in utriusque Sponsi paroecia fiat, dimissoriales sine ulla tergiversatione extradentur, et ordinarie parochus sponsi copulet, proles demum masculae patris, foemellae vero matris religionem sequantur. [59])

§. 25.

Sensa Episcoporum. An statui possit, Episcopos sub tempus conclusae Pacis Westphalicae de disciplina Ecclesiae quoad matr. mixta mitius et indulgentius sensisse?

De sensu Episcoporum circa coniugia mixta quaerenti ante omnia occurrit difficultas per recentiores auctores mixtis matrimoniis faventes in eo posita: quod in tractatibus intuitu qualiter exequendae Pacis Westphalicae habitis, signanter illo Norimbergensi de an. 1650, imo in ipsis Pacis Westphalicae tabulis Ecclesiarum Principes seu Episcopi non minus, quam Seculares Principes partem habuerint, et subscriptis suo quoque nomine Pacis istius instrumentis, principia mitiora adoptaverint, nec unquam adversus conclusa et tractatus huiuscemodi contradictionem vel protestationem interposuerint. [60]) At qui sic argumentantur, non expendunt, quod in tractatibus super executione Pacis West-

59) Mon. 28. pag. 20.

60) Difficultatem hanc obmovent auctores complures, signanter: *Rechtfertigung der gemischten Ehen zwischen Katholiken und Protestanten. Köln. 1821. p. 75. 124.* item: *Über die Zulässigkeit gemischter Ehen. Jahrschrift für Theologie, und Kirchenrecht der Katholiken. Ulm. 1824. VI. B. p. 156.*

phalicae initis et in specie illo Norimbergensi de matrimoniis mixtae religionis, quae iam tunc conclusa erant, secundum leges civiles Juris Publici discutiendis ageretur: iuxta Jus Publicum autem, siquidem Protestantibus prorsus aequalia cum Catholicis iura attributa essent, alia decisio ferri haud potuerit, quam reipsa lata sit; hinc tamen non consequitur, Catholico homini integrum mansisse, in obversum principiorum suae Religionis talem contractum inire, iuxta quem pars prolium suarum in religione, quam uti veram haud tenet, educetur; imo potius certum est, plenum ius Catholicis porro quoque fuisse, occasione ineundorum mixtorum matrimoniorum praevie catholicam omnium prolium institutionem educationemque stipulandi. Ex subscriptione porro Instrumentorum Pacis Westphalicae per Episcopos praestita ad consensum eorumdem quoad stabilita principia Religioni Catholicae infesta concludi nequit, quia Episcopi duntaxat velut Civili Principum maiestate gaudentes in suis territoriis ac dioecesibus subscripsere, idque unice studio pacis inter diversae religionis sectatores colendae. Ut adeo totum illud Pacis Westphalicae instrumentum, omnesve tractatus super illius executione deinceps initi non plus fuerint, quam acta publici civilis Juris, per Potestatem Secularem condita, quae Potestati Ecclesiasticae tanto minus praeiudicare poterant, quod, in quantum tenores illorum iuribus ac praerogativis Ecclesiae Catholicae, item principiis Religionis Orthodoxae adversarentur, Sancta Sedes Romana adversus illa solenniter protestata fuerit. Sed ipsi quoque Episcopi, non obstante Articulo Pacis perfectam Catholicos inter et Protestantes iurium aequalitatem sanciente, fidelibus suis canones veteris Ecclesiae, quibus mixta matrimonia prohibentur, identidem in memoriam revocabant, coniugiaque talia unice sub conditionibus ab Ecclesia dudum praescriptis licite iniri posse, inculcabant. Ita tertio a conclusa Pace Westphalica anno, quippe 1651. Synodus Coloniensis pastoribus animarum personas diversae religionis in matrimonium coniungere non aliter indulget, quam pars haeretica eiurata haeresi orthodoxae fidei

professionem emiserit. [61]) Petimus ab adversariis vel unum exemplum adduci pro eo, quod Episcopi pastores animarum ad sectanda circa mixtas nuptias principia Religioni Catholicae adversa hortati fuerint. Nulla Synodalis, aut Episcoporum instructio in hunc sensum parochis data fuisse legitur. Quantacunque vero fuerit Ecclesiae Rectorum in manutenendis Veteris Ecclesiae quoad mixta matrimonia principiis sollicitudo: matrimonia tamen haec penitus impediri haud poterant, imo nonnumquam in illis quoque casibus, dum educatio catholica omnium prolium praevie stipulata haud fuit, Episcopis tolerantibus ac dissimulantibus, inita ea esse constat, signanter in Dioecesi *Constantiensi*: [62]) ast in casibus eiusmodi et benedictio nuptialis denegabatur, et parti catholicae obligatio iniungebatur tum parte ex sua fidei orthodoxae constanter adhaerendi, tum pro viribus curandi, ut omnes proles Religioni Catholicae addicantur.

§. 26.

Status disciplinae circa matrimonia mixta per varias Germaniae Provincias. 1. In Electoratu Palatino Rheni.

Expositis iis, quae mox post conclusam Pacem Westphalicam circa quaestionem de matr. mixtis acta sunt, ad ulteriora fata quaestionis istius et disciplinae circa connubia mixta in usum deductae enarranda progredimur. Atque inprimis diversas illas leges, statutaque, quae Principes Statuum Germaniae virtute iuris coordinandi rem religionis suorum subditorum per Tabulas Pacis Westphalicae eisdem attributi quoad rem mixtorum coniugiorum pertulerunt, proponimus. Occurrunt ante omnia ditiones Electoris Palatini Rheni. Praetermissis dispositionibus, quas circa matrimonia inter Lutheranos ex una, et Reformatos ex altera parte ineunda Principes Electoratus huius fecerunt, [63])

---

61) Mon. 29. pag. 20.

62) Vid. Gobat, *Theologia experimentalis. Monachii. 1669. Tract. IX. cas. 11.*

63) De his cf. *Die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen. Katholik, eine relig. Zeitschrift. Speyer. 1837. 63. B. p. 272—276.*

illas solum memorabimus, quas quoad matrimonia mixta, parte una Catholica, pertulerunt. Initio quidem Periodi istius nulla erant Catholicos inter et Protestantes in Electoratu Palatino matrimonia: cum Catholicorum libertas per Electores admodum constricta haberetur, adeo, ut diu nequidem proles pure catholicis parentibus genitas per Sacerdotem Catholicum baptisari facere licuerit; donec tandem Elector **Philippus Wilhelmus** ope Edicti de an. 1685. plenam exercendae religionis Catholicae libertatem concessisset. — Occupatio partis Provinciarum Rhenanarum circa finem Seculi XVII. per *Gallos* praetextu iuris successionis pro familia Ducis *Aurelianensis* facta in statu quoque religioso harum provinciarum non exiguam mutationem induxit. Galli enim in favorem ac protectionem Religionis Catholicae omnia egerunt, et mox post occupatas provincias constitutionem ediderunt: ut proles e matrimoniis mixtis, parte una catholica, genitas in alia quam Catholica religione educare cautum sit. Quae constitutio nec per *Pacem Ryswicensem* inter Gallos ex una, et Principes Rhenanos ex altera parte diebus 30. Octobris et 26. Novembris 1697. conclusam abolita, imo non obstantibus iteratis Protestantium contradictionibus Paci illi clausula in favorem Catholicorum adnexa fuit: „ut Religio Catholica in ditionibus Palatinatus Rhenani in eo statu conservetur, in quo tempore initae Pacis posita exstitit. — In illis autem provinciis, in quibus Electores propria auctoritate, absque influxu Gallorum, dominabantur, Elector **Joannes Wilhelmus** die 28. Junii 1694. statuit: ut ad praecavendas collisiones, quoslibet actus parochiales penes matrimonia mixta illius partis parochus perficiat, quae est caput familiae, seu parochus sponsi, ac proinde proles etiam sine discrimine religionem patris sequantur. Idem Elector obtentis per Pacem Ryswicensem provinciis, quas Galli occuparunt, novo decreto die 9. Octobr. 1698. omnibus tribus Christianis Confessionibus plenam exercendae religionis libertatem confirmavit, salva tamen clausula Pacis Ryswicensis pro favore Religionis Catholicae edita. Ex hac clausula Reformati, per Corpus Evangelicorum Ratisbonense insigniter defensi ac succolati, an-

sam sumserunt diversa gravamina adversus Catholicos formandi, praeprimis vero contra id excipiendi, quod proles e mixtis nuptiis prognatae absque discrimine in Religione Catholica educentur. Quamvis autem Elector ad constitutionem anni 1694. provocando, querelis et gravaminibus modum ponere adlaboraverit: ea nihilominus non tantum non cessarunt, sed et nova proposita sunt, arrepta occasione ex Officialium ea agendi ratione, qua ductu clausulae Pacis Ryswicensis in favorem Religionis Catholicae editae, sub poena quoque pecuniaria omnium matrimoniorum mixtorum copulationem unice per parochum catholicum suscipi, omniumve prolium educationem in Fide Orthodoxa institui procurabant. Querelis undique personantibus, accedente etiam intermediatione Regis *Sueciae* et Marchionis *Brandeburgici*, Elector Joannes Wilhelmus Edicto diei 29. April. 1701. primo liberum religionis exercitium pro omnibus cuicunque Confessioni adhaerentibus subditis solenniter confirmavit; deinde relate ad matrimonia mixta priorem constitutionem anni 1694. renovando, disposuit: ut actus parochiales a parocho sponsi peragantur, proles autem patris tamquam familiae capitis religionem profiteantur. [64]) Sed neque hoc Edicto Reformatis satisfactum: quod eo libertatem parentum in hac vel illa religione educandi suas proles nimium constringi existimarent; ipsi igitur projectabant decerni, ut ordinarie quidem sexus sexum in religione sequatur, parentibus tamen liberum sit de educatione omnium prolium in una eademque religione inter se convenire. Diu restitit querelis et postulatis Reformatorum Elector Palatinus: at, postquam Rex *Borussiae*, adhibitis plane contra Catholicos ditionum suarum subditos repressaliis, intercessisset, Elector tandem die 21. Nov. 1705. sic dictam *Palatinalem Religionis declarationem* edidit, cuius praecipua haec erant capita: liberum religionis exercitium pro Catholicis aeque ac Protestantibus; libera huius vel illius confessionis post annos discretionis electio ac mutatio, in matrimoniis mixtis concessa parentibus libertas iuxta praevia pacta ac conventio-

64) Mon. 30. pag. 21.

nes etiam stante coniugio initas proles in ea quam volunt religione educandi, et nonnisi in horum defectu obligatio easdem in confessione patris instituendi, copulatio parocho sponsi attributa, demum iudicatus in causis matrimonialibus ita stabilitus, ut actor forum rei sequatur, et utraque pars iuxta principia suae confessionis ius et iustitiam obtineat. [65]) Sopitis per hanc Declarationem dissidiis, pax inter Catholicos et Protestantes viguit usque annum circiter 1720. quo ex parte Reformatorum denuo querelae adlatae fuere, proles ex matrimoniis, parte una catholica, genitas nulla habita ratione contractuum ac pactorum indiscriminatim in Religione Catholica educari: ad cuiusmodi querelas sufferendas Elector Carolus Philippus Edictis dd. 1. Febr. et 7. Mart. 1721. Declarationem anni 1705. in vigorem revocavit, novaque sanctione communivit. [66])

§. 27.

2. Status matr. mixtorum in Ducatu Bipontino.

In Ducatu Bipontino ita prout in Electoratu Palatino usque dominatum Gallorum Catholicis tutis consistere minime licuit: nam in Principatu isthoc et Confessio Reformata dominabatur, et annus normalis 1624. Tabulis Pacis Westphalicae defixus stricte observabatur. At ubi *Galli* anno 1681. ditiones Bipontinas sub suam potestatem redegissent, laetior pro Catholicis epocha illuxit. Mox quippe tertio ab occupatis his provinciis anno, nimirum 1684. die 21. Decemb. Galli nomine Regio Edictum promulgarunt: Catholicis non minus quam Protestantibus liberum religionis exercitium tribui, et ubi Ecclesiis destituerentur, cousum Ecclesiarum Protestanticarum concedi. Sed non diu laeti esse poterant Catholici: nam cum per Pacem Ryswicensem a. 1697. Ducatus Bipontinus in

65) Mon. 31. pag. 21.

66) Auctor libri: *Rationaler und historischer Standpunkt zur Beurtheilung des Verhältnisses zwischen Staats-Regierungen und dem Römischen Stuhle in Beziehung auf gemischte Ehen. Köln. 1838. pag. 110.* narrat: in partibus inferioribus Rheni Declarationem anni 1705. tam sancte observatam fuisse, ut iuxta testimonium Auctoris cuiusdam anonymi anno 1735. scribentis, unicus duntaxat a. 1728. casus evenerit, in quo omnium prolium educatio catholica postulabatur. Ast

potestatem Regis *Sueciae*, Lutheranae Confessioni addicti, devenerit, sicque Lutheranis, antehac pariter ac Catholicis exulare jussis, fortuna arridere coeperit praesertim post Caroli XII. Edictum 9. Nov. 1699. perlatum: Catholicorum sors sub lutherano regimine Suecico reipsa satis dura fuit. Nam regimen Suecicum non solum a. 1698. Catholicos ab immigratione in Ducatum severe interdixit, verum etiam in obversum Pacis Ryswicensis et clausulae eiusdem Catholicis faventis, hos modis omnibus divexabat. Quoad conjugia vero illorum cum Protestantibus anno 1698 statuit: ut copulatio numquam a Presbytero Catholico, sed semper a Ministro Protestantico suscipiatur, decisio autem quaestionis circa religionariam prolium educationem arbitrio Regiminis relinquatur. — Mortuo anno 1718. Carolo XII. Rege, Ducatuque ad manus Principis Gustavi Samuelis anno adhuc 1696. Romae ad Fidem Catholicam conversi devoluto, rursum laetior rei catholicae facies sequebatur. Princeps hic statim cum aditu gubernii, die nempe 14. Januar 1719. Catholicis liberum religionis exercitium concessit, dispositionemque anni 1699. circa copulationem matrimoniorum nonnisi a Ministro Protestantico instituendam abrogavit, et eandem quoad matrimonia mixta Catholicorum cum Protestantibus normam servari iussit, quae pro connubiis Lutheranos inter et Reformatos ineundis hactenus praescripta erat, nimirum ut copulatio ad parochum sponsi spectet, et probes masculae patris, foemellae vero matris confessionem amplectantur. Anno sequente 1720. quaevis statuta quoad hoc meritum perprius lata annullando sanxit: ut parentibus mixtae religionis integrum sit, seu ante matrimonium, seu illo durante de religionaria educatione prolibus suis impertienda amicabiliter inter se transigere, et in defectu duntaxat transactionis talismodi proles in religione sexum parentum sequantur. [67]) Anno denique 1724. annum aetatis *decimum quintum* pro normali *discretionis* anno defixit.

Auctoris huius adsertum vel ea circumstantia abunde refellit, quod Reformati saepius querelas adversus Catholicos ideo proposuerint, quia proles omnes Catholice educari voluerint.

67) Mon. 32. pag. 24.

§. 28.

3. In Principatu Würtembergico.

In Würtembergia diu sola Confessio Evangelica cum exclusione aliarum imperium tenebat: de matrimoniis igitur mixtis nec quaestio esse potuit. Primum circa finem Seculi XVII. comparent leges quoad meritum isthoc latae. Vetustissimam eam censemus, cuius *Antiqua ordinatio matrimonialis* part. 2. cap. 12. §. 1. meminit: „personae diversae religioni addictae a nuptiis sunt dehortandae, si vero ab iisdem desistere nolint, istiusmodi connubium sub reversalibus de liberis utriusque sexus in religione evangelica educandis concedendum est“ [68]. — Anno 1687. sub Ducatu Friderici Caroli edita constitutio multis ex obtutibus memorabilis est. Ipsa nimirum ex fundamento praedicati *unius ac solius salvificae* Confessioni Evangelicae attributi matrimonia mixta primum dissuadet, dein illorum copulationem intra Principatum sine speciali Principis indultu ac dispensatione numquam suscipi, sed parti evangelicae suadendum esse, ut copulationem extra regnum sollicitet, statuit, demum partem catholicam ad frequentanda iuxta ritum Evangelicorum Sacramenta, et proles in confessione evangelica instituendas obligat [69]. Haec tamen constitutio Rescripto dd. 24. Nov. 1713. ita modificata fuit: ut

68) Vid. Hochstetter, *compendium Juris matrimonialis ex principiis Juris Ecclesiastici ad normam ordinationis matrimonialis Würtembergicae adornatum. Stuttgardiae. 1750. p. 37.*

69) Mon. 33. pag. 24. Vid. Moser, *Corpus Juris Evangelicorum. Züllichau. 1737. T. II. p. 396.* Circa sensum huius constitutionis iuvat notare, quae M. Jäger, *die Würtembergische Gesetzgebung über gemischte Ehen. Studien der evangel. Geistlichkeit Würtembergs. XI. B. 2. Heft. Stuttgart. 1839. p. 12.* scribit: „Nach dem Geist der damaligen Gesetzgebung kann dieser letztere Rath nicht den Sinn haben, als ob es der freien Wahl des evangelischen Theils überlassen wäre, sich innerhalb oder ausserhalb des Landes trauen lassen zu dürfen, welches erstere auf keinen Fall gestattet war, sondern es will damit nur überhaupt diesem angerathen werden, zu seiner Gewissensberuhigung die Ehe auch noch nach dem evangelischen Ritus einsegnen zu lassen. Gegenüber von dem katholischen Theil, der sich

copulatio matr. mixtorum intra regnum cum dispensatione praevie a Principe expetenda, et a Parocho domicilii partis protestanticae suscipiatur [70]). Rescriptum hoc prioribus quidem mitius, at in eo adhuc Ecclesiae Catholicae nimis praeiudiciosum fuit, quod valorem matrimonii copulationi a Ministro Protestante suscipiendae alligaverit: verum et hoc praeiudicium ope Rescripti dd. 1. Febr. 1717. sublatum, idque enunciatum est, matrimonia mixta per parochum catholicum benedicta valida fore.

§. 29.

4. In Marchionatu Brandeburgico, et Electoratu Brunsvicensi.

In Marchionatu Brandeburgico, cuius Principem iuncta cum Rege Suecorum opera in defensionem Protestantium egisse supra monuimus [71]), decreto diei 4. Maii 1711. circa coniugia Catholicorum cum Protestantibus in Civitate *Erlangensi* ineunda statutum est: actus parochiales per Ministros Evangelico-Lutheranae Confessionis suscipiendos, proles vero omnes in confessione Lutherana educandas esse. Resolutionem hanc ex summo intolerantiae ac aversionis erga Catholicos principio profectam fuisse eodem ipso decreto satis per id prodidit Marchio, quod de Reformatis ex Gallia emigrantibus et ad Civitatem Erlangensem sese conferentibus multo benignius constituerit, indulgendo iisdem, ut, si pacta de educatione religionaria prolium adessent, stricte observentur, secus autem mariti tamquam familiae capitis sit de religione prolium disponere [72]).

Elector Brunsvico-Lüneburgicus Georgius Ludovicus resolutione sua dd. 19. Febr. 1710. admisit parochis catholicis baptisare proles e mixtis matrimoniis in casu,

---

jedenfalls ausser Lands trauen lassen musste, gleich diese Verordnung der in der katholischen Praxis bei der Sanctionirung gemischter Ehen bis und wider gebräuchlichen passiven Assistenz."

70) Mon. 33.[b.] pag. 25. cf. M. Jäger. *op. cit. p. 16.*

71) cf. §. 26.

72) Mon. 34. pag. 25. Vid. *Corpus Constitutionum Brandeburgicarum Bayreuth. 1748. T. 2. Vol. 2. p. 669.*

quo pater est catholicus et in pactis coniugalibus educatio omnium prolium in confessione evangelica stipulata non habetur; resolutione autem altera dd. 4. Mart. 1710. pro casu, quo in pactis antenuptialibus quoad religionem prolium peculiaris conventio inita foret, baptismum pro ratione stipulatae religionis prolium per Sacerdotem Catholicum, vel Ministrum Protestanticum conferri, ad casum patris catholici vero et non praeexistente ulla conventione, baptismum eiusmodi prolium absque discrimine a parocho catholico administrari disposuit [73]; tertia demum resolutione dd. 25. April. 1713. de religionaria prolium educatione normae instar id definivit: ut dum in pactis anteconnubialibus nil eatenus constitutum et pater evangelicus est, proles utriusque sexus in Confessione Evangelica; dum autem pater est catholicus, proles masculae tantum in Religione Catholica educentur, salvo prolibus catholice educatis manente iure, ad confessionem evangelicam post attactos discretionis annos transeundi. [74]

§. 30.

5. In Ducatu Saxo-Gothano, et Saxonia.

In Ducatu Saxo-Gothano exstat in casu particulari edita ea Principis resolutio ex anno 1670. ut iuvenis catholicae religioni addictus matrimonium cum persona evangelica inire cupiens, ad id admittatur, si praevie promiserit: „se templum evangelicorum tam tempore concionum quam informationum frequentare, et Verbum Dei atque informationem ex illo attente auscultare eique obedire velle: pro hoc casu superintendentem pastori iniungere debere, ut praeviis consuetis denunciationibus, desponsatis his personis benedictionem sacerdotalem impertiatur." [75] Ex hac

---

73) Mon. 35. et 36. pag. 26. — Vid. Moser. *Landeshoheit im Geistlichen. p. 443.* — Willich, *Sammlung Chur-Braunschweigischer Landesgesetze. T. 3. p. 90.*

74) Mon. 37. pag. 27. — cf. Willich, *op. cit. p. 102.*

75) Vid. Bruckneri, *decisiones iuris matrimon. controversi. Gothae. 1724. T. 1. p. 77.*

resolutione apparet, nonnisi sub conditione frequentandi secundum ritum Evangelicorum cultus divini Catholicis admissum fuisse, ut matrimonium cum Protestantibus ineant, et copulationem ab evangelico pastore recipiant.

In Electoratu Saxoniae matrimonia mixta duntaxat cum speciali Principis dispensatione inire licuit. Exstat quoque resolutio de 17. Januar. 1720. id disponens, ut pars nubentium catholica praevie spondeat: partem protestanticam in exercitio cultus sui a se neutiquam turbandam, et cunctas proles nascituras in Protestantismo educandas fore. [76])

§. 31.

6. In provinciis Imperii Silesiacis.

Ex provinciis Imperii Romano-Germanici hac epocha singulariter notanda est Silesia, quae ad exemplum ceterarum haereditariarum imperii ditionum a decretorio anno 1624. per Pacem Westphalicam defixo exemta fuit. Postquam doctrina Lutheri protegentibus Principibus Protestanticis in Silesiam quoque se insinuavisset, multosque sectatores obtinuisset, sed praesertim postquam in *Congressu Alt-Ranstadtiensi* a. 1707. agente potissimum Sueco, Protestantes liberum religionis exercitium in Silesia consecuti fuissent: matrimonia mixta inter illos et Catholicos contrahi coeperunt; quae ut nonnisi in sensu conditionum ab Ecclesia praescriptarum inirentur, nihil intentatum omisere *Episcopi Vratislavienses*, diserte prohibentes quosvis contractus et pacta in praeiudicium Fidei orthodoxae, et copulationem haud secus indulgentes, quam pars haeretica ad Fidem Catholicam conversa esset. [77]) Verum haec Episcoporum agendi ratio gravaminibus et querelis occasionem dedit. Quibus ad Regimen Suecicum delatis, anno 1709. inter huius et Josephi Imperatoris legatos in sic dicto *Recessu executionis Pacis* in eo coalitum est: ut parentibus

76) cf. Weber, *systematische Darstellung des im Königreich Sachsen geltenden Kirchenrechts. 1. Thl. Leipzig. 1818. p. 198.*

77) cf. Lehmann, *Acta publica. T. 2. p. 888.*

mixtae religionis integrum sit, pacta circa religionariam prolium educationem inire. Cuiusmodi coalitionem Caesar Carolus VI. die 27. Jul. 1716. eum in sensum ratihabuit: ut ad exemplum observantiae in imperio Romano introductae, in defectu pactorum filii in religione patris, filiae in religione matris educentur [78]. Ast non obstante Decreto isto Caesareo, siquidem Ordinariatus Vratislaviensis principia Ecclesiae Catholicae egregie tueretur: matrimonia mixta in Silesia deinceps etiam fere semper characterem matrimoniorum catholicorum retinebant, ita, ut proles inde susceptae in Fide Catholica educatae fuerint. Nec respectivum Civile Gubernium ab se quidquam desiderari patiebatur, quo intentionem Ordinariatus succolaret. Ex decretis eiusdem hac de re editis notamus sequentia: a) *dd. 2. Januar. 1720.* in sequelam repraesentationis ab Ordinariatu factae, id praecipiens: ut proles omnes in una salvifica fide educentur, et ad praecavendas defectiones per respectivos Magistratus opportunae fiant dispositiones [79]. b) *dd. 15. Januar. 1720.* effectum prioris urgens [80]. c) *dd. 12. Junii 1720.* in sequelam querimoniae adversus Protestantes, qui proles e mixtis matrimoniis genitas in Confessione Lutherana educabant, constituens: ut proles eiusmodi sine mora parocho catholico pro instructione in principiis Fidei salvificae, statuantur [81]. Commemoramus quoque *Instructionem* ab *Ordinariatu* ad Sacros Curiones dimissam dd. 14. Nov. 1724. [82] diserte monentem: ut, priusquam personas diversae religionis invicem matrimonio iungant, partem haereticam ad Fidem Catholicam convertere satagant, etiam per denegationem copulationis, vel pro ea impetranda partes contrahentes ad Ordinariatum mittendo. Si autem conatus ad reducendam partem haereticam in irritum caderent, ad

78) Mon. 38. pag. 27. Vid. *Sammlung der kais. und kön. herzogl. Privilegien, Statuten, Reskripten, und pragmatischen Sanctionen des Landes Schlesien. Krossen. 1736. T. 1. p. 400.*

79) Mon. 39. pag. 28.
80) Mon. 40. pag. 28.
81) Mon. 41. pag. 29.
82) Mon. 24. pag. 30.
(79–82:) cf. Auct. *nota 78.* cit. T. 1. p. 549. T. 2. pag. 366. 374.

copulationem haud aliter procedi posse eadem Instructio indulget, quam postquam pars haeretica coram testibus et sub iureiurandi religione promittit, omnes proles in Fide Catholica educandas ab se permissum iri [83]). — Querelis contra Parochos Catholicos per Protestantes ultro quoque propositis ut modum ponat Caesar, ope decreti die 22. Nov. 1737. editi priorem resolutionem anni 1716. renovavit: ut nimirum in defectu pactorum antenuptialium proles pro discrimine sexus religionem parentum profiteantur. [84])

§. 32.

Tam Episcopi, quam Synodi hac Periodo celebratae matrimonia mixta sine conditionibus ab Ecclesia praescriptis iniri prohibuerunt.

Propositis diversis constitutionibus Principum circa matrimonia mixta et cumprimis religionariam educationem prolium, praeter ea, quae de instructione per Ordinariatus nonnullos Sacris Curionibus data in praecedentibus iam diximus, uberius adhuc exponere iuvat, qualemnam praxim Episcopi, et ipsa Sedes Apostolica de casibus connubiorum mixtorum saepe saepius consulta, in conciliandis his matrimoniis secuti fuerint. De praxi mox post conclusam Pacem Westphalicam observata, item de statuto Concilii Coloniensis a. 1651. praeterea de instructione Ordinariatus Vratislaviensis iam superius quaepiam delibavimus [85]). In genere

83) Vel hinc apparet, a veritate abludere adsertum Auctoris operis: *Darlegung des Verfahrens der Preussischen Regierung gegen den Erzbischof von Köln. Berlin. 1838.* id censentis: in Silesiacis provinciis, dum eae sub Rege *Friderico II.* ad potestatem Coronae *Borussicae* venere, mitiorem circa matr. mixta praxim viguisse; cum potius certum sit, illic principia Ecclesiae satis diu strenue defensa fuisse. cf. Herbst, *Gottesgabe, eine Sammlung zeitgemässer Schriften und Berichte für Religion und Kirche. I. B. 1. H. Augsburg. 1840.*

84) Mon. 43. pag 30. cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1834. Nr. 6. pag. 50.*

85) cf. §. 25. et 31.

notamus: Episcopos Germaniae ita, ut priore Epocha, partim in Synodis, partim in Constitutionibus Dioecesanis et Ritualibus principia Ecclesiae Catholicae quoad innumera pericula, quae coniugibus mixtae religionis eorumque prolibus impendent, fidelibus sedulo inculcavisse, modumque his principiis conformem celebrandi talia coniugia praescripsisse. Ex Decretis Synodalibus, praeter *Coloniense* iam memoratum, adferimus illud Synodi Paderbornensis a. 1688. celebratae: quae iisdem plane verbis, ac Synodus Coloniensis, et iam antea Buscoducensis anni 1612. matrimonia cum haereticis prohibuit; porro decretum Synodi Varmiensis de an. 1726. quae dum Sacris Curionibus in memoriam revocat statuta Mauritii Episcopi dd. 22. Sept. 1526. contra haereticos lata: una iubet, ut haeretici intra decursum unius anni ex dioecesi excesse, et si matrimoniis cum catholicis essent coniuncti, itidem intra unum annum ad fidem Catholicam converti teneantur, pacto de prole iuxta sexum parentum in horum religione educanda sub gravissimis arbitrariis poenis prohibito [86]). — Ex Constitutionibus Dioecesanis ac Ritualibus proferimus *Agendam* seu *Rituale* Monasteriense de an. 1712. in quo matrimonia mixta universim prohibentur, et duntaxat pro casibus extraordinariis conceditur, ut, etiamsi pars protestantica educationem catholicam prolium haud promittat, ineantur [87]); dein *Rituale* Hildesheimense, quod diserte enunciat: coniugium catholici cum haeretico esse iure non solum ecclesiastico, sed et naturali illicitum, si periculum perversionis adsit; nec sponsalia talia obligare, cum sint de re vetita, pactum de-

---

86) Mon. 44. pag. 31. — Vid. Hartzheim, *Concilia Germaniae. T. 10. p. 445.*

87) Ex hac indulgentia Ordinariatus Monasteriensis quidam pro defensione mixtarum nuptiarum argumentantur, velut Auctor operis: *Die katholische Kirche Preussens. Von einem Katholiken. Rudolstadt. 1837. p. 177.* — Auctor vero libri: *Über die Kölnische Angelegenheit. Von Irenaeus. Leibzig. 1838. p. 18. not.* refert: Episcopum Monasteriensem *Franciscum Arnoldum* pro ditione sua *Steinfurt* anno 1716. indulsisse, ut in matr. mixtis proles masculae patris, foemellae vero matris religionem sequantur.

nique de educatione unius partis prolium in confessione acatholica irritum. [88])

§. 33.

Sedes Apostolica Romana insigniter tuebatur principia Catholica, dum de matrimoniis mixtis quaestio formata exstitit. Proponitur exemplum ex Pontificatu Alexandri VII. pro eo: quod causarum matrimonialium mixtae religionis cognitio ac decisio ad Potestatem Ecclesiasticam spectet.

Summi Ecclesiae Pontifices nec secunda Epocha sublimi suo deerant muneri, Apostolica nimirum libertate et auctoritate dehortandi fideles a matrimoniis mixtis ineundis, haecque nonnisi gravibus et publicis ex causis admittendi, demum curandi, ne cognitio ac discussio causarum e matrimoniis mixtae religionis profluentium a Potestate Ecclesiastica abstrahatur. Insigne pro egregie defenso iure Potestatis Ecclesiasticae in hoc causarum matrimonialium genere proferimus ex Pontificatu Alexandri VII. exemplum. Cum nempe Princeps Megalopolitanus (Mecklenburg) Christianus Alexander, Confessioni Evangelicae addictus, in Civitate *Hamburgensi* cum *Christina Margaretha* Principissa aeque Megalopolitana Calviniana et eidem secundo cognationis gradu iuncta inivisset matrimonium, subin autem in Gallia ad Fidem Catholicam conversus a vinculo coniugii istius, fundamento impedimenti cognationis, in quo per neminem dispensatum fuit, nulliter contracti, solvi et ad alia vota matrimonialia transire cupivisset: Alexander VII. Papa, ad quem res delata exstitit, matrimonium hoc ex capite non sublati auctoritate ecclesiastica dirimentis impedimenti cognationis nulliter contractum esse, ac proin Ducem vinculo illius haud teneri, et ipsi aliud connubium cum muliere catholica servata Conc. Tridentini forma inire licitum fore, pronunciavit. Quo accepto Sedis Apostolicae iudicio, Princeps, assentiente etiam Imperatore, die 8. Januar. 1664. no-

88) Mon. 45. pag. 31. cf. *Kirchenhistorischer Bemerker zum Allgemeinen Religionsfreund. 1831. p. 295.*

vum iniit matrimonium. Adversus hanc Principis Megalopolitani agendi rationem non intermisit quidem *Corpus Evangelicorum* dd. 13. April. 1664. apud Caesarem gravamen ponere, et praeprimis contra dispensationem Papalem tamquam in praeiudicium Pacis Religiosae et legum Imperii concessam protestari, idque propugnare, quod Romano Pontifici nullum ius competat tales dispensationes elargiendi [89]). Verum protestatio ista nullius erat roboris, cum matrimonium Ducis Megalopolitani per eius ad Fidem Catholicam conversionem mixtum evaserit, et ut tale ad iudicium Potestatis Ecclesiasticae spectaverit.

§. 34.

Clemens X. de matrimoniis inter Catholicos et Schismaticos. — Innocentius XI. Electorem Bavariae a matr. mixto dehortans.

Sub Pontificatu Clementis X. quaestio mota fuit de matrimoniis inter Catholicos, et Graecos schismaticos: quam Episcopus *Tribiniensis* in Dalmatia ad Sedem Apostolicam pro decisione retulit. Decreto itaque supremae Inquisitionis Episcopo quaerenti dd. 20. Aug. 1671. responsum est: non esse permittenda coniugia inter catholicos et schismaticos, nisi praemissa abiuratione schismatis, et professione fidei ante matrimonium facienda, iuxta decisa S. Congregationis de 20. Jun. 1628. [90]) — Innocentius XI. vero intellecto eo, quod Elector Bavariae *Maximilianus Emmanuel* cum virgine quadam sectae lutheranae addicta matrimonium inire intendat: literas amoris plenas dd. 16. Aug. 1681. ad eum misit; in quibus eundem, ob oculos positis periculis non solum ipsi Electori et prolibus, sed toti Ecclesiae Catholicae in illo Electoratu ex mixto connubio impendentibus, ab ineundo eo dehortatus est, idque pro illo etiam casu dissuasit, si mulier praevie ad Fidem Catholicam converteretur: conversionem enim hanc penes aversum puellae a Fide Romana animum non verae pietatis

89) Vid. Struve, *Jurisprudentia heroica. T. 4. p. 257.*

90) De Petro, *Constitutiones Apostolicae. T. 4. p. 80. — cf. §. 15.*

studio, sed potius coniugii tam praeclari cupiditati tribuendam fore, et, cum matrem simulate conversam nemo impedire posset, quominus proles in sinu suo alat, ac teneris ipsorum animis cum lacte materno occultum haeresis virus infundat, semper cum periculo manifesto coniunctum futurum eiusmodi connubium, praeclare monuit Summus Pontifex. [91])

§. 35.

Ex decisione Rotae Romanae in causa Lamb. de Merode, et Joannae de Droste nihil pro defensione matr. mixtorum inferri potest.

Ex ultimis Seculi XVII. annis occurrit decisio Rotae Romanae, ad quam matrimoniorum mixtorum patroni praeferenter solent adpellare. Baro nimirum Wernerus Lambertus de Merode Protestans defloravit puellam catholicam Joannam Petronellam de Droste sub fide et promissione matrimonii: a quo promisso cum serius recederet, defloratamque ducere nollet, re ad iudicium Episcopi *Monasteriensis*, dein et *Nuntiaturae Coloniensis* delata, Episcopus, voto quoque Universitatis Acatholicae *Oxfordiensis*, defloratorem ad matrimonium contrahendum condemnavit. Processu subin ad *Rotam Romanam* adpellato, haec sententiam Episcopi Monasteriensis confirmavit tum, quod haeresis, quam Lambertus profitetur, illum a matrimonio cum deflorata contrahendo non liberet, et ad contrahendum matrimonium qua Sacramentum paritas non fidei sed solum baptismi requiratur; tum quod, quidquid in genere et abstracto de talibus coniugiis statuatur, ea tamen in regionibus, in quibus catholici haereticis permixti vivunt, iure quasi consuetudinario, vim legis habente, et canonum rigorem temperante, ab Ecclesia tolerentur [92]). Decisionem hanc Rotae Romanae complures eruditi instar argumenti adducunt: nec Romae creditum antea fuisse, matrimonia mix-

---

91) Mon. 46. pag. 32.

92) Mon. 47. pag. 35. Vid. Jos. Petto, S. *Rotae Romanae decisiones. Lucae. 1725. P. 1. p. 507. ss.*

ta propter religionis disparitatem vetita esse, imo illa licite iniri e iure consuetudinario vim legis obtinente, nec ad licite contrahenda eiusmodi connubia requiri, ut educatio catholica prolium praevie promittatur, cum de conditione ista decisio antelata altum sileat. [93]) — At non oportet ex oculis dimittere peculiarem conditionem casus, quem Rota Romana praedicto modo decidit: agebatur enim de ineundo matrimonio, quod defloratae virgini promissum fuit; nec tam de eo: an liceat, quam potius de validitate quaestio movebatur; 'matrimonia porro mixta in nonnullis regionibus *tolerari* ab Ecclesia dicuntur solummodo tamquam inter duo mala minus; demum de educatione prolium in Religione Catholica illic quaestio esse non potuit, eum ageretur duntaxat de quaestione iuris pro foro externo proposita: an sponsus fidem datam exolvere obligetur? [94])

§. 36.

Sub Pontificatu Clementis XI. principia Catholica circa mixta matr. denegatis quoque plus vice simplici dispensationibus, egregie manutenta.

Ex aevo Clementis PP. XI. duos admodum memorabiles casus, in quibus dispensatio ad ineunda matrimonia mixta denegata fuit, proferimus, ex illisque sensum Sedis Apostolicae principiis Catholicis plane conformem eruimus. Prior casus concernit Comitem Philippum Ernestum ab Hohenlohe, qui obtenta ab impedimento ordinis (erat enim Subdiaconus) dispensatione pro ineundo cum persona catholica coniugio, non catholicam sed protestanticam duxit puellam, et medio Episcopi *Herbipolensis* dispensationem super impedimento haereseos a Sede Apostolica petiit. At Clemens XI. in Brevi ad Episcopum recurrentem dd. 25. Jun. 1706. dimisso regulas SS. Canonum a coniugio catho-

93) Allegant decisionem istam praeprimis: *Rechtfertigung der gemischten Ehen* etc. ut *not. 60.* pag. 73. et: *Über die Zulässigkeit gemischter Ehen* etc. ut ead. nota. p. 149.

94) cf. Nellessen, *was ist Katholicismus? Aachen. 1822. pag. 168.* — Binterim, *die gemischte Ehe. Katholik, eine relig. Zeitschrift. VI. B. 1822. p. 40.*

licorum cum haereticis abhorrentium maioris esse momenti, quam imminens nefors ex irritatione connubii periculum, iudicans, dispensationem denegavit, et Episcopum hortatus est, ut id agat, quo mulier, animo a Religione Catholica non prorsus averso, ad S. Matris Ecclesiae gremium perducta, Apostolica benignitate se dignam reddat. [95])

Alter casus respicit Gustavum Leopoldum Principem Bipontinum catholicum: qui personam protestanticam, sibi tertio cognationis gradu nexam, a. 1707. duxit, et a Summo Pontifice impedimentum sufferri petiit. Verum Pontifex datis ad Principem dd. 23. Jul. 1707. literis, exposita summa difficultate, quam petita dispensatio propter diversitatem religionis in se contineat, non aliter eandem a se concedi posse rescripsit, quam si persona desponsata haeresim prius rite eiuraret, et fidem orthodoxam ex animo amplecteretur [96]). Cui proposito suo tam firmiter Pontifex institit, ut nec ad alterum Principis recursum petitam dispensationem elargitus sit, sed datis secundi ordinis ad Principem literis, instar conditionis sine qua non desideraverit, ut Principissa prius Catholicae Fidei professionem eliciat [97]). Spe obtinendae dispensationis frustratus Princeps, soluto huius connubii, quod alioquin ob subversans tertii cognationis gradus impedimentum irritum fuit, vinculo, anno 1722. aliud cum catholica persona iniit. [98])

§. 37.

Decisio casus matr. mixti Mariae de Horst, et Boleslai Schverin per S. Congregationem Romanam a. 1728.

Singularis matrimonii mixti casus in Vicariatu *Coloniensi* a. 1727. discutiebatur, et pro decisione ad S. Congregationem Romam relatus exstitit. Cum nimirum Maria Anna de Horst Catholica ex Ducatu Juliacensi Boleslao Schverin Protestanti ex Pomerania nuberet. Vicari-

95) Mon. 48. pag. 35.

96) Mon. 49. pag. 36.

97) Mon. 50. pag. 37.

98) Narrant: Jureconsultos Germanorum plura adversus proceduram in casu isto matrimoniali observatam in medium protulisse.

atus Coloniensis matrimonium hoc in conformitate instructionis in sic dicto *Recessu Religionis* inter Brandeburgicum et Neoburgicum Principes a. 1672. inito [99]) contentae *coram ministro haeretico sponsi* conclusum ad S. Congregationem pro decisione retulit, cetera inter sic scribens: „Cum in Recessu, quem vocant, Religionis, facto de anno 1672. inter Marchionem Brandeburgicum, et Ducem Neoburgicum intuitu terrarum ex successione Juliacensi inter se divisarum, conventum fuerit, quod in contrahendis mixtis matrimoniis, hoc est v. g. catholicae cum haeretico, assistere semper debeat parochus seu minister sponfi, et quod proles mascula educetur in religione patris, et proles foemina in religione matris: licet haec prodierint ab incompetente auctoritate, nihilominus in praxi recepta sunt, ita, ut mala, infortunia, persecutiones Catholicorum, et alia huius generis imminere probabilissime credenda sint, si ad aures principum acatholicorum deveniat, pro nullis haberi matrimonia contracta coram ministro haeretico a foemina catholica cum viro heterodoxo." [100]) Ex hac relatione a Vicariatu Coloniensi Romam praestita, mixtorum matrimoniorum defensores eruere volunt: Vicariatum nequaquam credidisse, mixta matrimonia esse illicita, sed potius legem illam sive transactionem civilem adprobasse et in praxim deduxisse. [101]) At oppido falluntur. Nam Vicariatus *de valore* solum matrimonii istius ex S. Congregatione Romana quaesivit, eo, quod minister haereticus adstiterit; et licet ad Recessum Religionis anni 1672. provocando, eundem in usum et praxim deductum confiteatur, per id tamen praxim hanc nondum adprobavit, imo diserte recognovit, statutum hocce ab *incompetente auctoritate* conditum, et eo ipso praxim in sequelam illius introductam abusum esse. [102]) S. Congregatio ope Rescripti dd. 21. Febr. 1728.

---

99) cf. §. 24.

100) Vid. SS. D. N. Benedicti XIV. *declaratio super matrimoniis inter Protestantes et Catholicos. Coloniae. 1746. p. 101.*

101) Auctores superius *nota 60.* citati.

102) cf. Nellessen, *was ist Katholicismus? Aachen. 1822. p. 167.*

ad mentem, id est, iuxta spiritum et sensum sanctionum canonicarum, quaestionem decidendam esse respondit.

§. 38.

Protestantes matrimonia cum Catholicis ita, prout epocha priori, prohibuerunt, illaque nonnisi sub conditione educationis omnium prolium in confessione sua admiserunt.

Apud Protestantes in Germania matrimonia mixta cum Catholicis eodem, ac priore epocha, modo impediebantur: nam solennes quoque ordines Rituales vulgo Agendae praescribebantur, in quibus Pastores sub comminatione poenarum ad matrimonia talia impedienda, et non aliter admittenda obligati fuere, quam si pars catholica instructioni in Confessione Protestantica se subiicere, et deserta Fide Catholica, illam Evangelicorum amplecti, demum prolium omnium educationem in fide protestantica promittere vellet. Has conditiones praescripsit Agenda Lutheranorum Essensiensis in Circulo *Westphalico:* refractarios Consistorio deferri, et dilatis promulgationibus sive bannis puniri praecipiens. [103]) — In *Conventu* autem Dietzensi apud Nassovios die 30. Maii. 1665. habito Pastoribus iniunctum est: ut fideles suos, quantum licet, ab ineundis mixtae religionis connubiis deterreant. [104])

II. Status mixtorum matr. in Gallia.

§. 39.

Edicto Regis a. 1680. Versaliis signato matrimonia mixta prohibentur simulque irritantur.

Favore per *Edictum Nannetense* [105]) concesso satis diu utebantur Reformati in Gallia, et tam inter se coram

103) Mon. 51. pag. 38.

104) Vid. Steubing, *Kirchen- und Reformationsgeschichte des Nassauischen Landes. Hadamar. 1804. p. 272*

105) cf. §. 11.

suis ministris, quam cum Catholicis valida contrahebant matrimonia; sed in matrimoniis, quae cum Catholicis contraxerunt, satis fore putabant, si ea coram civili quapiam publica persona, e. g. notario, inirent: id quod ex queruloso recursu Episcoporum adversus illos anno 1670. Regi porrecto adparet, in quo Regem sic alloquuntur: „dum vir catholicus in uxorem ducere vult puellam praetensive reformatae religionis, notificari curat Parocho suo per Notarium aut aliam quampiam personam publicam, ut sibi benedictionem matrimonialem impertiatur, declarando, quod ipse talem accipiat in uxorem suam, quemadmodum ipsa declarat, quod illa ipsum accipiat in maritum suum; et quoniam ipsi non sunt in dispositione requisita ad suscipiendum hoc Sacramentum, etiam Curatus recusat benedicere matrimonium, super quo ipsi testimonium perhibent in praesentia Notarii, qui ipsis adsistit post quod ipsi vivunt sicut maritus et uxor." [106]) Ex hac Episcoporum declaratione simul patet, qualisnam norma et praxis in Gallia circa celebrationem mixtorum matrimoniorum viguerit: prorsus conformis nempe Ecclesiae Catholicae principiis, iuxta quae Parochi eiusmodi coniugia neutiquam benedicebant. Petierunt igitur in hoc situ rerum Episcopi, ut Rex abusum coram persona civili ineundi mixta matrimonia abrogaret. Annuit Rex Ludovicus XIV. et memorabili Edicto, quod in Gallia epocham hoc in obiecto merito constituit, mense Novembri signato *Versaliis*, mense vero Decembri an. 1680. in Parlamento publicato matrimonia mixta inter Catholicos et Protestantes non tantum prohibuit, sed etiam *irrita ac nulla* fore declaravit. In principio huius Edicti praemittitur: in Conciliis, quae variis temporibus in Ecclesia celebrata sunt, connubia catholicorum cum haereticis tamquam publicum scandalum, et profanationem Sacramenti involventia condemnata fuisse, et catholicos in huiusmodi matrimoniis continuo periculo perversionis et defectionis a fide ac communione catholica exponi. Tum statuitur: ad impediendum abusum istum disciplinae Ecclesiae Catholicae con-

106) *Mémoires du Clergé. T. V. p. 717.*

trarium, in futurum subditos catholicos nullo sub praetextu matrimonia cum reformatis contrahere posse, illaque, si contraherentur, invalida, et proles exinde natas illegitimas, successionisque in bonis incapaces fore. [107]) — Edictum hoc mixta matrimonia irritans mense Augusto anni 1683. etiam ad Provinciam *Alsatiae* (Elsass) extensum fuit non obstante reclamatione *Argentinensium*, pro Reformatis in sensu Pacis Westphalicae liberum religionis exercitium postulantium. — Anno vero 1685. novo Edicto Rex Ludovicus Edictum Nannetense revocavit, atque Acatholicos sub comminatione exilii ad amplectendam Religionem Catholicam adegit.

§. 40.

Difficultates ex Edicto matr. mixta irritante in praxi enatae.

Post Edictum Ludovici XIV. matrimonia mixta in Gallia fere impossibilia reddita esse videbantur, imo et illa, quae iam contracta fuere, in sequelam Edicti revocatorii Nannetensis characterem catholicorum connubiorum induere debebant. Per Edictum nimirum revocatorium omnes Protestantes *fictione legali* in Ecclesiae Catholicae gremium rediisse censebantur, nullusque amplius Protestans in Galiis superesse supponebatur. Ast hoc ipso Edictum anni 1680. matrimonia mixta irritans nullum in *foro externo* effectum obtinuit: nam Tribunalia per exceptionem ex possessione Status deductam et fictione legali conversionis haereticorum Regni, omnes reclamationes Catholicorum ad declarandam nullitatem matrimoniorum mixtorum tendentes reiiciebant; cuiusmodi contradictioni legis et praxis Tribunalium ut finis imponeretur, omnem quidem operam, at in vanum, dedit celeberrimus Gilbertus de Voisin. Sed neque de sensu verborum Decreti, queis matrimonia irrita atque invalida pronunciata sunt, inter Canonistas et Theologos Galliae

107) Mon. 52. pag. 39. Vid. *Histoire de l'Edit de Nantes. T. V. Delft. 1695. Appendix. p. 119.* — In Edicto anni 1680. provocatur etiam aliud Decretum contra deficientes a Fide editum, quos poenis publicis et exilio mulctandos disponit.

convenerat; nam ex verbis Decreti quidam, inprimis ex illis, qui soli Principi ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia tribuebant, omnimodam nullitatem mixtorum matrimoniorum propugnabant [108]); alii vero Edictum Regium de mere civilibus effectibus intelligere volebant. Fictionem eam legalem, ope cuius, ut diximus, Protestantes pro conversis ad Fidem habebantur, ementitam duntaxat in Tribunalibus civilibus fuisse, eventus docuit. Nam et post revocationem Edicti Nannetensis magnae in praxi difficultates oriebantur tum circa Protestantium inter se, tum cum Catholicis connubia, id quod ex compluribus eatenus institutis discussionibus tam ex parte Regiminis, quam Episcoporum, praesertim in *Aquitania*, apparet. Si fidem adhibemus iis, quae leguntur in opere: ***Eclaircissemens historiques sur la révocation de l' édit de Nantes. 1788.*** tum in mente Gubernii non erat, ut irrita reipsa decernantur talia matrimonia: nam inde a revocatione Edicti Nannetensis usque ad obitum Ludovici XIV. nullius matrimonii nullitatem pronunciatam fuisse legimus, sed primum anno 1717. motam esse quaestionem de successione legitima filiorum a taliter nuptis genitorum; primum autem iudicium contra valorem talium matrimoniorum latum esse a. 1739. — Nec Bossueto omnia, quae pro executione declarationis Ludovici XIV. Edictum Nannetense revocantis acta fuere, probabantur.[109]) In regula tantum, ut aiunt, inconcussum mansit principium: matrimonia coram parocho non inita meros esse concubinatus; et talium ad gremium Ecclesiae redeuntium connubia ordinarie instaurabantur.

§. 41.

Decreta Synodorum, Rescripta Pontificia, et ordinationes Praesulum Galliae adversus mixta matrimonia.

Praeter ea, quae sub Ludovico XIV. Regia auctoritate adversus matrimonia mixta constituta sunt, plura insuper

108) cf. Jos. Carriere, *Praelectiones theologicae maiores in Seminario S. Sulpitii habitae, de Matrimonio. T. 2. Parisiis. 1837. p. 79.*

109) *Historiae lib. XI n. 17.* et *Epistol. 206. ss. 238. 329.*

Seculis XVII. et XVIII-i initio nunc in Synodis, nunc per Encyclicas Episcoporum literas, nunc per Rescripta Summorum Pontificum ordinata fuere tum ad impedienda mixta coniugia, tum ad modum eadem celebrandi principiis Catholicis accomodandum. Seculo XVII. iudicialiter damnatum fuit per *Navarram* pactum: ut mater haeretica cum viro suo catholico ita conveniat, quo proles foemellae in secta haeretica, masculae vero in Fide Catholica patris educentur, quia pater aut mater Catholici numquam possint consentire in id, ut unam prolium suarum partem Deo, aliam daemoni tradant. 110) — In Synodo porro Gratianopolitana (Grenoble) a. 1690. fidelibus cuiuscunque status ac conditionis sub poena excommunicationis matrimonia mixta iniri; parochis autem sub poena suspensionis eadem benedici prohibentur, qualiacunque licet promissa faciant contrahentes de eiurandis erroribus; nec prius ad matrimonia eos admitti disponitur, quam si reipsa ad sinum Ecclesiae bona fide redierint. 111) — Maxime tamen commemorari merentur celebres illae *Conferentiae* sive *Collationes* publicae Morales ac theologicae, quae ex mandato *Archiepiscopi Parisiensis* Ludovici Antonii Cardinalis de Noailles ad stabiliendam in Dioecesi doctrinae uniformitatem inde ab an. 1697. asservari iubebantur, et quas in aliis quoque Dioecesibus servatas fuisse constat. In Conferentiis enim his preter alia quaestio etiam de matrimoniis mixtae religionis pertractata, et principia Ecclesiae Catholicae in illis observanda inculcata fuere. 112) — Ex Rescriptis Pontificiis unum notamus: nimirum Clementis XI. ad *Episcopum Agennensem* dd. 23. Febr. 1706. cui occasionem praebuit relatio Episcopi super dubiis quibusdam circa matrimonia conversorum ex haeresi ad Fidem Catholicam enatis, signanter: an tales neoconversi, qui mox post conversionem aut

110) Vid. *Conférences ecclesiastiques de Paris, sur le Mariage-Nouvelle edit. Paris. 1773. T. 3. p. 19.*

111) Mon. 53. pag. 40. — cf. *Conférences eccles. etc.* ut supra *T. 3. l. 1. Tit. 6.*

112) Prodierunt in quinque Tomis Parisiis 1756. De iis in *Literatura* plura.

initum matrimonium exercitiis fidei catholicae nuncium mittunt, factoque suo insinceram suam conversionem testantur, ad matrimonium in Ecclesia ritu consueto ineundum, item ante matrimonium ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae sint admittendi? Respondit Pontifex: eos, quorum conversio dubia est, ad Sacramentum Matrimonii non esse admittendos, in aliis autem casibus iuxta pietatis et prudentiae leges agendum. [113]) — Ex ordinationibus Dioecesanis singularium Praesulum adferimus constitutionem Ritualis Parisiensis de an. 1709. sub Archiepiscopo antelato Noailles editi: iuxta quam parochus, qui haereticum vel haereticam Catholico in matrimonium iungit sciens et volens, ipso facto ab executione ordinum suspensus decernitur [114]); et quidem iuxta Mandatum eiusdem Praesulis mense Januario 1709. extradatum, suspensio AEpiscopo manet reservata.

III. Status matr. mixtorum in Hollandia, Anglia, Russia, Polonia.

§. 42.

In Hollandia Sec. XVII. et sequenti multae circa formam contrahendi matr. mixta quaestiones ponebantur, et pro decisione Romam referebantur. Ceterum nec civiles leges matrimoniis mixtis favebant.

In Hollandia et Belgio Seculo iam XVII. per Episcopos et Vicarios Apostolicos multas de matrimoniis citra formam a Concilio Tridentino praescriptam ibidem contractis quaestiones ad Sacras Romanas Congregationes pro decisione propositas legimus. Signanter de *Episcopo Castoriensi* Missionum Hollandicarum Praeside constat, eundem hoc in obiecto Romam recurrisse, et anno 1671. id tulisse responsi: non convenire, ut quaestio a se proposita

113) Mon. 54) pag. 40. — Vid. Clementis XI. *P. M. Epistolae et Brevia selectiora. Romae. 1724.*

114) Mon. 55. pag. 42.

a S. Officio definiretur. Anno autem 1681. die 23. Augusti eadem S. Congregatio a declaranda nullitate dictorum matrimoniorum consulto abstinens, reposuit: *ad mentem*, id est, si esset decisive respondendum, procul dubio negativum reddendum fore responsum: hocque ipsum dd. 13. Febr. 1683. ad positam similem quaestionem rescriptum fuit. [115]) Apostolica igitur Sedes super gravissima hac de matrimoniis non servata forma C. Tridentini initis quaestione interrogata, pro nullitate matrimoniorum horum decisionem ferri non credidit expedire, primum sub Benedicto XIV. ut sequenti Periodo referetur, uberius quaestionem hanc discutiens et definiens. — Quod autem ad matrimonia mixtae religionis attinet, videtur, Episcopos Belgii in iis admittendis initio Seculi XVIII. indulgentiores fuisse: nam Clemens XI. Papa per literas Sacrae Congregationis Officii dd. 16. Jun. 1710. *Archiepiscopo Mechliniensi* prohiberi iussit, ne dispensationes pro matrimoniis mixtis elargiatur, nisi reipsa abiuratio haeresis praecesserit, theologos vero, qui contrarium opinarentur, admonendos decrevit. [116]) — *Leges civiles* matrimoniis mixtis in Hollandia non favebant. Nam in Ordinario Statuum Congressu a. 1728. de eo deliberatum fuisse legimus, ut ad impediendas rixas, dissidia, et alia incommoda ex connubiis mixtis provenientia, matrimonia praetensorum Reformatorum cum Catholicis et vicissim interdicantur, proles vero ex iis suscipiendae declarentur illegitimae. Propositionem hanc iidem Status in Congressu anni 1732. executioni dare constituerunt. Id certum, penes officiales militares Edictum in effectum abivisse. — In Provincia *Ultrajectina* anno 1738. sub comminatione poenarum interdictum erat Catholicis, qui cum Reformatis matrimonium contraxerant, partem reformatam ad amplectendam Religionem Catholicam disponere, proles autem ex tali coniugio natae omnes in Confessione Reformata erant educandae. — Synodi quoque Reformatorum de an. 1704.

---

115) Vid. Vinc. Petra, *Commentarius ad Constitutiones Apostolicas. Romae. 1711. p. 79.*

116) Mon. 56. pag. 42.

1727. matrimonia Catholicorum cum Reformatis damnabant. [117])

§. 43.

In Anglia Puritanis Reformatis interdictum Sec. XVII. connubia cum Catholicis inire.

Quantopere Reformati in Anglia averso animo fuerint a coniugiis cum Catholicis ineundis, ex famosa Confessione Fidei patet, quae in Conventu Theologorum auctoritate Parlamenti indicto pro Reformatis Puritanis anno 1648. elaborata, et ab eodem, subin autem etiam ab Ecclesia Scoticana recognita ac approbata, atque primum Cantabrigiae a. 1659. dein Glasgowiae a. 1660. tum Edinburghi a. 1694. edita, cetera inter hoc statutum continet: quod matrimonia mixta cum infidelibus, *papistis*, aut aliis idololatris inire cautum sit. [118])

§. 44.

In Russia matrimonia mixta initio irrita, dein sub talibus conditionibus admissa fuere, quae nonnisi ad incrementum fidei Graeco-Russicae tendebant.

In Russia schismatica Canones antiqui *Graecae* Ecclesiae, matrimonia mixtae religionis non solum prohibentes, verum et irritantes, in pleno suo vigore diu perstiterunt, hodiedunque adhuc in Libris Ritualibus citantur. Ast sub Imperatore Russorum Petro I. sub quo alioquin Ecclesia Graeco-Russica cum Imperio Civili ita connexa, vel potius huic subiecta fuit, ut quasi partem integrantem Potestatis Imperialis constitueret, indulgentiorem quoad hoc disciplinae caput Status Civilis se exhibuit. Matrimonia enim

117) Vid. Bernard. Moor, *commentarius perpetuus in Johannis Marckii compendium theologiae christianae. Lugd. Batav. P. 6 1771. p. 554.*

118) Mon. 57. pag. 42. Vid. Niemeyer, *Collectionis Confessionum in Ecclesiis Reformatis publicatarum Appendix. Lipsiae.* **1840.** *p. 35.*

cum aliarum Christianarum Confessionum hominibus admisit, sed sub iis conditionibus, quae nonnisi ad incrementum Fidei Russicae tendebant. Signanter conditio sine qua non erat: ut proles omnes in Conf. Graeco-Russica educentur. Quoad alterum tamen punctum, an scilicet pars contrahentium non-Graeca fidem Russicam amplecti debeat nec ne? variabat disciplina. Ex primis Seculi XVIII. annis exstat decretum sic dictae *Synodi* seu supremi tribunalis, quod rebus sacris dirigendis praeest, dd. 6. Maii 1721. ut matrimonia Russorum mixta haud aliter admittantur, quam si pars altera Fidei Graecae se addixerit. Sed cum in sequelam huius decreti captivi *Sueci* lutheranae confessioni addicti, qui personas Russici cultus in matrimonium sibi iunxerant, has dimittere, aut ipsi quoque ad fidem Russicam transire cogerentur, modusve iste coactivus multas querelas excitaret: Synodus necessarium esse duxit, de sensu praecitati decreti semet uberius declarare, quod et praestitit, enunciando: matrimonia mixta non ideo a se prohiberi, tamquam ea ex se mala ac abominabilia forent, sed praeeuntibus vetustae Ecclesiae canonibus unice ob periculum parti Russicae imminens fidem suam deserendi et ad alius confessionis placita transeundi; huicque inhibitioni se porro quoque insistere, nec admittere velle, ut pars coniugum Russica fidem suam impune deserere, aut proles ex tali coniugio prognatas in alia, quam russica confessione educare valeat. Relate ad Russos demum, qui in Republica Polonica cum Catholicis vel Lutheranis matrimonia contrahebant, decreto dd. 15. Aug. 1723. constitutum est: matrimonia talia sic solum admitti, si sponsi aut sponsae alterius Confessionis fidem Graeco-Russicam amplecti proni essent. [119])

§. 45.

Episcopi in Polonia principia Catholica manutenebant.

Non obstantibus severis Gubernii Russici prohibitionibus, Episcopi Poloniae ea, quae suarum erant partium,

119) cf. *Allgemeine Zeitung. Augsburg. 1841. Nr. 106. p. 845.*

agere non neglexerunt: nam fidelibus suis mox per Encyclicas literas et statuta dioecesana, mox per Synodales constitutiones principia et conditiones illas, sub quibus Ecclesia matrimonia mixta indulget, assidue ob oculos posuerunt, inprimisque curarunt, ne pars coniugum catholica apostasiae a fide se addicat, aut proles suas extra gremium Ecclesiae salvificae institui sinat. Factum id legimus signanter in Synodo Cracoviensi a. 1711. cap. 38. et Epistola Pastorali Episcopi Cracoviensis Cardinalis a Lipski a. 1737. edita. Synodus autem Posnaniensis sub Episcopo Szembek anno 1720. habita Sect. II. diserte cavit: matrimonia cum haereticis contrahi, „nisi catholici fieri spoponderint, cautionemque iuratoriam fecerint de non avocanda altera coniuge a fide Catholica et prole futura utriusque sexus in eadem fide R. Catholica educanda." [120])

§. 46.

Literatura ex Epocha II.

A) Catholicorum. Quemadmodum Sec. XVI. et initio XVII-i ut superius diximus, [121]) ita praesente quoque epocha Theologi Catholici quaestionem de valore matrimoniorum mixtorum e duplici illo obtutu pensabant ac discutiebant: *an matrimoniis talibus conditiones substantiae coniugii christiani repugnantes non adiiciantur?* et *an decretum C. Tridentini de clandestinis matrimoniis publicatum receptumque sit?* Priore obtutu inter conditiones, quae ipsi substantiae matrimonii adversantur, referebant tum illam de solubilitate vinculi coniugalis, tum eam, *ut una pars coniugum in determinanda religionaria prolium educatione nullum ius habeat*, prout et hanc, *ut omnes proles in Protestantis-*

120) Errat igitur Jacobson in opusculo suo: *über die gemischten Ehen, Leibzig. 1838. p. 43. f.* scribens: nec Provincialia nec Dioecesana Concilia antiquiora AEpiscopatus Posnaniensis de matr. mixtis quidquam statuere.

121) cf. §. 21.

mo educentur. De his conditionibus, inprimis vero de postrema non convenit quidem inter omnes, an ea repugnet essentiae matrimonii? priores tamen duas omnes fere Theologi pro conditionibus non appositis habebant, matrimoniumque cum illis seu tacite sive expresse initum pro invalido. Quoad alteram quaestionem: itidem plerique matrimonia mixta in locis, in quibus Concilium Tridentinum publicatum est, absque forma illic praescripta contracta tamquam nulla pronunciarunt eo, quod etiam Protestantes talibus in locis decretum Tridentinum observare teneantur; pars tamen nonnulla Doctorum tenebat, decreto isto Protestantes haudquaquam obligari. De eo alioquin omnes convenerant, matrimonia talia esse illicita, neque aliter iniri posse, quam si periculum apostasiae a parte catholica removeatur et spes conversionis partis haereticae adsit, prolium denique in Fide Catholica educatio in tuto ponatur, et insuper legitimae Auctoritatis, nempe Romani Pontificis, *dispensatio* accedat: de hac tamen postrema conditione quidam Auctores censebant, eam hand requiri in locis, in quibus per contrariam consuetudinem legi ecclesiasticae matrimonia mixta vetanti derogatum est.

In specie vero ex hac epocha, et quidem ex Sec. XVII. commemoramus sequentes Theologos et Canonistas:

16. Guilielmus Estius in suis: *Commentariis in quartum librum Sententiarum. Tom. IV. p. post. Parisiis. 1648.* Lib. IV. dist. 28. §. 8. decretum Tridentinum de matrimoniis clandestinis explicans, ait: matrimonia ab haereticis in parochiis, in quibus idem publicatum fuit, non servata illius forma contracta esse irrita ac nulla; idque multo magis de matrimoniis mixtis valere, siquidem decretum Tridentinum Catholicos non minus quam haereticos per Sacramentum Baptismi in numerum fidelium receptos ac proin iurisdictioni et legibus Ecclesiae subditos obliget. — Eiusd. Lib. dist. 39. vero coniugia mixta illicita quidem, sed non invalida pronunciat, cum secus multis in fide Catholica vacillantibus, incertissima fore Christianorum connubia necesse esset.

17. G o b a t, in: *Theologia experimentali. Monachii 1669.* censet: conditionem contractui matrimoniali adpositam de prolibus in Confessione Protestantica educandis ipsam substantiam matrimonii evertere; matrimonia porro mixta fieri licita cessante periculo defectionis a fide, aut dum gravior quaedam urget causa, v. g. si per tale coniugium publicae gravi inimicitiae finis imponeretur, vel spes convertendi coniugis haeretici adesset; imo et tunc, si puella catholica viro haeretico ideo nuberet, quia secus inter Catholicos talem fortunam, qualem respectu suae futurae sortis temporalis per matrimonium cum haeretico adipiscitur, consequi non posse praevideatur.

18. T a n n e r u s eam singularem proposuit sententiam: in casu, quo matrimonium catholicae cum haeretico licitum est, multumque momenti ad publicum bonum promovendum habiturum videtur, nec modus suppetit, quo a viro liberam facultatem impetret universam sobolem catholice educandi: non censeri illicitum adiicere cautionem, ut saltem pars prolium nil impediente marito ad catholicam fidem reducatur, quoad reliquas vero proles iuri matris non praeiudicetur.

19. G a m a c h l u s docuit: fere numquam licita fieri mixta coniugia: nam etsi in hypothesi omnia removeantur apostasiae et seductionis pericula, semper tamen restare ius divinum prohibens, ne Sacramenta in statu peccati recipiantur, vel prudenter ac scienter alteri, peccatum mortale notorium, ut est haeresis, habenti, administrentur; nec Summum Pontificem in talibus dispensare posse, cum non habeat potestatem mutandi ius divinum et institutionem Christi, imo ipso iure naturali requiri, ut Sacramenta, ac proin illud quoque Matrimonii digne ac reverenter tractentur. [122])

20. C a r d i n a l i s d e L u g o, in operibus suis: *de virtute fidei divinae,* disp. 22. Sect. 2. et: *disputatio de Sacramentis in genere,* Sect. 8. et 14. tradidit: matrimonia mixta haud esse usque adeo intrinsece mala, ut numquam li-

---

122) Contra hanc sententiam plura observantur in opere: *Conférences ecclesiastiques de Paris, sur le Mariage — T. 3. p. 28. ss.*

cita reddi queant; ad hoc vero, ut in casibus, quibus ea ius naturae admittit, iure quoque ecclesiastico licita fiant, sufficere dispensationem Romani Pontificis, quae obligationem legis ecclesiasticae auferat; imo in locis, in quibus legitima consuetudine legi eccles. derogatum est, nec dispensationem Pontificiam requiri.

21. Joannes Cabassutius, *Aquisextiensis*, in: *Theoria et praxi Juris Canonici*, circa annum 1670. luci publicae commissa, dein Venetiis 1756. secundo edita, lib. III. cap. 23. statuit: illis in locis, ubi haeretici partem populi notabilem constituunt, secluso scandalo et periculo perversionis posse licite contrahi matrimonia cum illis absque speciali dispensatione, si gravis urgeat causa seu privata sive publica, qualis est conservatio pacis publicae, quae periclitatur ob bellum intestinum excitandum inter catholicos et haereticos, si illi istorum foedera aversentur. Scribit porro: in Gallia antea licuisse talia coniugia (intelligit tempora Edicti Nannetensis), sed nunc admodum imminuto haereticorum numero non esse illa permittenda, nec sine lethali culpa iniri posse.

22. Joannes Stalen post medium Sec. XVII. primum qua pastor animarum occasione mixti connubii in sua paroecia iniri intenti, publica in concione multis argumentis contra idmodi matrimonia depugnavit; dein edita singulari *Dissertatione theologica, politica: an matrimoniales contractus in illis Germaniae et aliorum Regnorum aut Provinciarum locis, in quibus viget Pax publica Religionis, et decretum Tridentinum est publicatum, coram Acatholicis Ministris sint validi? Coloniae. 1677.* dum peculiarem hanc quaestionem pertractaret, simul contra matrimonia mixta lectores suos praeclare animavit. Notanda est vero illius circa quaestionem: *an matrimonia mixta dici possint Sacramenta?* sententia, quam his verbis proponit: „Si haereticus censeat, matrimonium non esse sacramentum nova Legis, imo ex haeresi sua neget, sed habeat contractum mere politicum et naturalem et a Deo institutum et deinceps ante legem et sub lege Moysis usurpatum: sane non habet intentionem Sacramenti conficiendi, et ex consequenti nolit conficere Sacramentum, matrimonium illud sane Sacramentum non erit; non enim in

eo casu satis est ad Sacramentum Matrimonii sola recta intentio coniugis catholici, cum ad Sacramentum requiratur intentio Ministri, et uterque contrahens sit causa partialis huius Sacramenti, quod dependet ab intentione utriusque tamquam a causa ad unicum contractum indivisum sic et sacramentum, itaque qualibet earum deficiente circa rectam rationem faciendi, quod facit Ecclesia, Sacramentum non fieri." [123])

23. Canonista Italus De Justis in opere: *de dispensationibus matrimonialibus. Lucae. 1691.* lib. ii. cap. 15. quoad ius dispensandi tenuit: id in genere quidem ad Summum Pontificem, in Germania autem ad Episcopos pertinere.

24. Zegerus Bernardus Van Espen, celebris Belgarum Canonista, *Operum* suorum *Canonicorum* Part. II. tit. 13. cap. 8. docuit: iustissimam esse matr. mixtorum prohibitionem ex motivis periculi perversionis non tantum prolibus, sed et nepotibus ac pronepotibus subinde in multas generationes imminentis; nec praecaveri periculum per iuramentum et promissiones coniugis haeretici, siquidem ministri acatholici iuramenta huiusmodi non solum servanda non esse, sed et illicite servari dicant: atque ideo existimat Van Espen, matrimonia talia utplurimum iure ipso naturali illicita esse, prudenterque positivo decreto parochis interdici, ne iis adsistant, nisi prius Episcopus consenserit.

25. Martinus de Sovaen, aeque Belga, Professor *Lovaniensis*, in sua *dissertatione de sponsa duorum*, circa finem Seculi XVII. edita de matrimoniis Acatholicorum in Belgio coram Magistratu politico, aut ministro acatholico contractis censet: ea esse valida, etiamsi adsit copia parochi catholici; in matrimoniis mixtis autem partem catholicam graviter peccare ita contrahentem, parochumve merito sollicitum esse debere, ut tum in concionibus et confessionibus, tum privatis colloquiis gravitatem peccati huius exponat, matrimoniaque eiusmodi dissuadeat.

---

123) Auctor hic Basilium Pontium (cf. §. 21. num. 4.) presso pede sequitur.

Seculi XVIII. principio paucos quidem invenire licet auctores de quaestione matr. mixtorum peculiariter tractantes: quos tamen nobis invenire datum est, ii omnes principia Ecclesiae strenue defendebant; circa valorem autem horum coniugiorum distinguendum rati, an C. Tridentini decretum publicatum fuerit nec ne? in priore casu illa non servata C. Tridentini forma invalide iniri fere unanimes docebant, si *Belgarum* ditiones demamus, ubi, saltim quoad matrimonia haereticorum inter se, ea obtinuit sententia: haereticos decreto Tridentino etsi forte quoad forum internum obligatos, quoad forum externum nequaquam obstringi: quod nonnulli etiam ad matrimonia mixta extendebant. Ex Auctoribus singularibus notamus hos:

26. Joannes Kugler, e Soc. Jesu, Universitatis Leopoldinae *Vratislaviensis* Cancellarius, in: *tractatu theologico canonico de Matrimonio. Herbipoli 1713.* Part. I. quaest. 65. pag. 408—416. discutit thema: an matrimonia haereticorum sine praesentia veri et catholici parochi sint valida? Pro valore talium connubiorum multa profert argumenta, cumprimis vero id, quod ad fidem conversi consensum coram parocho catholico renovare haud urgeantur, et proles eorum pro legitimis habeantur. At alibi quaestionem illam sic restringit, ut ea tantum loca intelligat, in quibus catholici cum haereticis permixti degunt, aut ubi non deest absolute copia catholici sacerdotis. — *Part. II. cap. 5. p. 719. ss.* matrimonia mixta eo solum casu non videri illicita statuit, dum ex iis publicum bonum promoveudum speratur, nec, si parti catholicae via non suppetat a marito facultatem ad omnes proles catholice educandas impetrandi, illicitum esse cautionem adiicere, ut aliqua saltem liberorum pars in Fide Catholica educetur. [124])

27. Philippus Hoffstetter, e Soc. Jesu, Professor *Passaviensis*, in assertionibus operi: *Species factorum de S. Matrimonii Sacramento. Ratisbonae. 1713.* adnexis Nro. 24. censet: matr. mixta nonnisi e gravibus causis admitti

124) Idem censet Auctor iste cum *Tannero*, de quo Nro. 18.

posse, inter eas tamen haud referri solam consuetudinem, aut solam absentiam periculi perversionis.

28. Franciscus Verde, Vici Aequensis in *Sicilia* Episcopus, in *Institutionibus Canonicis. Neapoli 1735.* posita sibi ea quaestione: num in partibus borealibus, Germania, Polonia, ubi commixtim vivunt haeretici et catholici, valeat et sit licitum inter illos matrimonium? affirmative respondet, ea addita ratione, quod illic canones prohibentes contrario usu sint abrogati, periculumve scandali et subversionis cesset, et prout dispensante Papa, ita contraria etiam consuetudine, lex abrogetur. [125])

B) Protestantium. Epocha 2. maxima pars Theologorum Protestantium adversus matrimonia mixta se enunciavit, easdemve conditiones pro matrimoniis suos inter et catholicos incundis praescribendas proposuit, quas Catholici occasione connubiorum cum haereticis, ut ea licita fiant, deposcunt. Sequentes ex illis nominamus:

29. Benedictus Carpzovius, Consil. Eccles. et Jureconsultus *Saxonicus*, in sua: *Jurisprudentia ecclesiastica seu consistoriali, rerum et quaestionum in Consistorio ventilatarum et decisarum definitiones exhibente. Hanoviae. 1652.* Lib. II. tit. 1. de Matr. et nupt. Defin. 6. p. 316. ss. plura S. Scripturae exempla profert pro eo, quam inconsulta et intuta sint disparis religionis coniugia; distinguit porro inter haereticos pertinaces, et seductos doceri paratos; in Imperio Romano, ubi tam lutherana quam pontificia religio toleratur, matr. mixta non esse penitus dissuadenda, sed in iis caute procedendum et ad haec duo inprimis attendendum statuit: utrum spes sit conversionis in persona pontificiae religionis, item ut conveniant de liberis in religione lutherana educandis, et desuper cautionem praestent. [126])

30. Joannes Dannhauer, in *Theologia conscientiae. T. I. a. 1663.* contra matr. mixta etiam pro eo casu se

125) Auctor hic in censum illorum venit, qui principia laxiora circa matr. mixta tenebant.

126) Multa argumenta, quae Joan. Gebrardus (cf. §. 21. num. 14.) adhibuit, sua fecit.

enunciat, quo educatio prolium parti lutheranae orthodoxae concrederetur. Verba illius sunt: „coniugium tale abludere a vero scopo, qui est prolis generatio, disciplina religiosa, et educatio ad Dominum. Aut enim educatio tota orthodoxo, aut tota heterodoxo, aut dimidiata, puerorum v. g. orthodoxo per pacta connubialia, puellarum heterodoxae permittitur: si primum, periculosa est saltem ob casum mortis praeventaneae ante solidam educationem accidentis; qua enim conscientia abibit defuncturus a prole, quam suo vitio permittere cogitur disciplinae allophylorum. Si alterum, heu vulnera conscientiae perpetua, toties vivacia, quoties natos intuetur candidatos, vel potius sordidatos inferni, haeresim cum lacte ipso bibentes, quos eripere nequit. Si tertium, dimidiatum et omne periculum et vulnus conscientiae mordens, ubi nondum cauterio obduruit."

31. 32. Circa finem Seculi XVII. non exiguo certamini literario inter Theologos Protestanticos Philippum Müller et Christianum Thomasium occasionem praebuit coniugium, quod *Princeps Saxo-Zeitzensis Mauritius Vilhelmus* Lutheranus cum Reformata Regis Borussiae sorore iniit. Prior vulgavit a. 1689. reticito nomine, libellum: *Fang des edlen Lebens durch fremde Glaubensehe*, in quo contra matrimonia Lutheranorum cum Reformatis declamavit. Alter pro illis in arenam descendit in libello: *Rechtmässige Erörterung der Ehe- und Gewissensfrage: ob zwei fürstliche Personen im römischen Reich, deren eine der lutherischen, die andere der reformirten Religion zugethan ist, einander mit gutem Gewissen heirathen können? 1690.* Prior Auctor ob scriptum suum adversus matrimonia mixta concinnatum interceptus et arci Spandanensi inclusus est. — Plures etiam de quaestione ista illo tempore scripsere, utpote: *Paulus Tarnovius*, *Lynkerus*, *Georgius Nic. Ockel*, et *Thomas Ittigius*, hique omnes contra talia connubia sententiam dixere; praesertim postremus, gravissimos esse doctrinae Reformatorum errores contendens, ac proin sine magno salutis periculo Lutheranos cum Reformatis coniugia contrahere non posse inferens.

33. Fridericus Lud. Hünnefeld in dissertatione: *de potestate parentum circa religionem liberorum. 1701. Jenae.* pro patria potestate de aducandis hac vel illa in religione prolibus dimicavit. [127])

34. Daniel Pfeffinger, elucubravit *exercitium theologicum de nuptiis mixtis. Argentorati. 1708.*

35. Henricus Andreas Cranius in *Dissertationibus iuridico-politicis de Pace Religionis, ac libertate conscientiae in Romano Imperio servanda. Francofurti. 1709.* Part. III. probl. 7. p. 141. vehementius perorat pro eo, ut iudicium super causis matrimonialibus inter Catholicos et Protestantes ad Judicem Secularem devolvatur, cum Judex Ecclesiasticus pontificius Protestantes qua haereticos non tantum non admittat ad matrimonium cum Catholicis, verum etiam si admitteret, pro arbitrio suo tale coniugium vel copulari indulgeret vel minus.

36. Johannes Adamus Gregorosius scripsit *de matrimonio personarum diversae religionis Regiomonti. 1712.* opus tamen hoc, omni licet adhibito conatu, comparare et inspicere nobis concessum non est.

127) Opus hoc nullibi procurare nobis licuit; in *Glasseyi Bibliotheca Juris Naturae* citatur.

EPOCHA III.

A Constitutionibus Benedicti XIV. PP. an. 1741. et 1748. pro Hollandia et Polonia editis usque Foedus Germanicum anno 1806. initum.

I. Status disciplinae quoad matrimonia mixta in Hollandia et Belgio.

§. 47.

Occasio Constitutionis sive Declarationis Benedicti XIV. pro Hollandia 1741. editae de matrimoniis non servata forma C. Tridentini contractis et de matrimoniis mixtis inter Catholicos et haereticos.

Constitutio sive Declaratio, quam de matrimoniis in Hollandia, ceterisque Foederatis Belgii Provinciis tam ab haereticis inter se, quam a Catholicis ex una, et haereticis ex altera parte absque forma per decretum Conc. Tridentini praescripta initis, et iam priori epocha ab Antistitibus Belgii in quaestionem vocatis, [128]) doctissimus Pontifex Benedictus XIV. die 4. Novembr. 1741. edidit, merito epocham in hac de matrimoniis mixtis quaestione figit. Necesse vero est, rem nonnihil altius repetere.

Cum Sacrosancti *Concilii Tridentini* acta et decreta a Pio IV. Summo Pontifice die 26. Januar. 1564. confirmata fuissent: nulla interposita mora, religiosissimis et Catholico Rege dignis curis Philippi II. Hispaniarum Regis, cuius dominio Belgium quoque subiectum erat, non in Hispaniis solum, verum etiam in Belgio, non obstantibus *Margaritae* Parmensis, Gubernatricis nomine Provinciis Belgicis praesidentis, et nonnullorum Episcoporum atque Magistratuum intercessionibus, decreta Concilii solenniter publi-

128) cf. §. 42.

cata [129]), et in duobus Conciliis Provincialibus: *Cameracensi* de an. 1565. et *Mechliniensi* de an. 1570. irrita declarata sunt ea matrimonia, quae sine parochi et duorum testium praesentia celebrari contingeret. Ast mutata a. 1572. in Belgio rerum facie, et Republica Batavorum intestinis bellis vexata, Romano-Catholica fide vero ex Provinciis proscipta, publica quoque sacrorum administratione Edictis vetita, legibus denique Summi Pontificis constantissime spretis: quaestio et controversia formari coepit, *an Decretum Tridentinum porro quoque in his provinciis a Catholici Regis ditione in haereticorum possessionem translatis vi obligandi polleat, ita, ut ad matrimonia seu haereticorum inter se, seu mixta cum catholicis valide ineunda praesentia Parochi Catholici et duorum testium requiratur, aut praesentia Civilis Magistratus vel Ministri haeretici sufficiat?* — Quaestionis huius resolutio maximis Teologis eius temporis non exiguam creavit difficultatem, et adeo incerta hac in re visa sunt illis omnia, ut nemo unus esset, qui audacter in alterutrum littus auderet adpellere vel omnia coniugia rata dicendo, vel ad fornicarii concubitus tenebras omnia secus contracta damnando; hoc enim lex ipsa Tridentina praecipere, illud forte caritas, temperationem severitatis continuo inculcans, exigere videbatur. Romam itaque scrupuli pepulere Theologos et Episcopos, quod scirent certius se tutiusque locuturos, et acturos, si Roma Rescripta venerint. Cum autem in Romanae Curiae Tribunalibus et Cardinalium Congregationibus super hoc quaestionis capite deliberaretur: fateri oportet, plurimis initio eam arrisisse opinionem, quae matrimoniorum non servata forma C. Tridentini initorum nullitatem tuetur. Ita anno adhuc 1605. S. Congregatio in literis ad S a s b o l d u m Vicarium Apostolicum per Hollandiam matrimonia coram Magistratu inita

---

129) Primo solenniter publicatum fuit C. Tridentinum in Synodo Provinciali *Ultrajactensi* a. 1565. dein a. 1566. tandem a. 1568. In singulis quoque Dioecesibus promulgata et recepta fuisse decreta Tridentina plures Auctores demonstrarunt, quos commemorat Auctor libri: *De impedimentis Matrimonii. Mechliniae.* **1834.** *edit.* **IV.** *p.* **74.** *a.*

prorsus nulla esse affirmavit [130]). Fuere tamen in gremio harum Congregationum et Tribunalium Romanorum non pauci, iique magni nominis viri, qui, etsi non negarent, matrimonia eiusmodi initio revolutionis, dum adhuc copia parochi haberi poterat, nulla fuisse, subiu tamen iugo Religionis excusso, et haeretici ac politici Magistratus duntaxat auctoritate ac imperio vigente, rata esse censebant. Atque ex horum numero fuit etiam doctissimus Pontifex Benedictus XIV. dum adhuc in qualitate Secretarii Congregationis Concilii, dein Doctoris in Decretis penes Poenitentiariam Apostolicam, atque Consultoris supremae Inquisitionis deliberationibus intervenisset, prout ipse de se testatur.[131])

§. 48.

Episcopi Belgii, praeeunte Iprensi, dubia sua circa matrimonia in Provinciis Foederatis absque forma C. Tridentini decreto praescripta contrahi solita proponunt, Sedisque Apostolicae decisionem expetunt.

Episcopis in Belgio super matrimoniis non servata forma Conc. Tridentini illic contractis et contrahendis dubia sua et quaestiones Romam deferentibus. praeivit Episcopus Iprensis: dum in relatione, quam de statu Ecclesiae suae et Dioeceseos ad Clementem XII. Papam a. 1737. praestitit, cum suam tum Parochorum anxietatem quoad coniugia in Hollandia coram Magistratu et Ministro haereticis tam ab haereticis inter se, quorum alter subinde Religionem Catholicam amplectitur, quam ab haeretico ex una et catholico ex altera parte contracta manifestavit, in eoque instrui petiit: an coniugia eiusmodi valida forent, et quid parochus ac confessarius cum talibus coniugibus Sacramenta suscipere volentibus agere debeat? [132]) Ad hanc

130) Constat, Bellarminum quoque in epistola ad Nuntium Apostolicum in Germania Episcopum Tricaricensem a. 1600. data pro nullitate eiusmodi matrimoniorum sententiam dixisse.

131) *De Synodo Dioecesana. Lib. VI. cap. 6. n. 4. T. I. edit. de an. 1767. pag. 180.*

132) Mon. 58. pag. 44.

Episcopi Iprensis interrogationem mox dd. 17. Maii 1737. nomine *S. Congregationis* responsum fuit: coniuges de validitate matrimonii non dubitantes in bona fide relinquendos, neque a Sacramentorum participatione arcendos esse, ast peculiares casus et circumstantias illorum, qui scrupulis super connubiorum suorum valore anguntur, distinctim pro decisione exponi debere. Iprensis Episcopus acceptis S. Congregationis literis, non intermisit in secunda relatione dd. 17. Aug. 1737. praestita multiplices recensere casus tam in sua, quam vicinis dioecesibus evenientes, eorumque intuitu congruas inviationes sibi praeberi supplex postulavit.[133])

Perlatis Romam Episcopi Iprensis literis, difficiles casus in se continentibus, magnus Auctorum in Germania et Belgio numerus consulitur, libri Decretorum S. Congregationis Concilii studiosissime pervolvuntur, Episcopis vero Belgii, praeprimis *Mechliniensi*, *Brugensi*, *Gandavensi*, et *Antverpiensi* id negotii datur, ut quod quisque usu apud gentes illas obtinere nosset, fideliter perscriberet. Episcopi a S. Congregatione provocati praestiterunt suas relationes, quae in descriptione praxis inter se haud plene concordabant [134]): doctissima tamen Thomae Cardinalis de Alsatia Archiepiscopi Mechliniensis relatio dd. 18. Octobr. 1737. praestita difficillimae quaestioni lucem attulit. In ea eruditissimus Praesul primum dubia sua de eo proponit, quod in Hollandia et Confoederatis provinciis sufficiens Concilii Tridentini promulgatio facta non fuerit, imo nec fieri potuerit, talis nimirum, qualis ex mente ipsius Concilii necessaria sit, adeoque observantiam constitutionis Tridentinae circa matrimonia cum auctoritate et effectu in Hollandia minime inductam haberi. Hoc praemisso, ad propositas per S. Congregationem quaestiones respondet, asserendo: ex vetusta praxi matrimonia, de quibus quaerebatur, uti rata ac valida habita, et partem coniugum catho-

---

133) Continetur haec relatio in: SS. D. N. Benedicti XIV. *declaratione super matrimoniis inter Protestantes et Catholicos. Coloniae. 1746. p. 18—23.*

134) Vid. opus priori *nota* citatum pag. 299. ss.

licam, aut illam, quae matrimonio in haeresi inito subin conversa fuit, altera adhuc in errore permanente, a parochis ad Sacramenta admissam fuisse. Suam demum opinionem ita depromit: Matrimonia Acatholicorum in Hollandia citra formam a Conc. Tridentino praescriptam contracta rata esse et valida, neque renovanda, si nullum obstet canonicum impedimentum, partem porro conversam posse relinqui in coniugio taliter contracto et in bona sua fide, atque a parocho ad Sacramenta admitti; expedire quoque in re adeo perplexa, ut pro salute animarum et incremento fidei Catholicae in foederatis illis provinciis, in quibus Conc. Tridentinum sufficienter publicatum non fuit, Summus Pontifex legem per Concilium hoc latam ex suprema auctoritate relaxet, et super dicto impedimento cum incolis harum provinciarum dispenset; e contra expediens haud fore, ut matrimonia talia solenniter declarentur nulla ac irrita, cum inde inevitabilia et gravissima mala Religioni Catholicae imminerent. [135])

§. 49.

Benedictus XIV. PP. quaestionem ab Antistitibus Belgii propositam doctissimis quibusdam viris discutiendam committit. Horum sententiae.

Interea Benedictus XIV. suprema Ecclesiae gubernacula capessit, et quaestionem gravissimam ex parte Episcoporum Belgii Praedecessori suo Clementi XII. propositam inter primas Apostolici regiminis curas referens, quo illam rite definiat, primum publica opinione doctissimorum virorum, utpote Guidoboni Cavalchini, S. Congregationis Concilii a Secretis, et Archiepiscopi Philippensis tum S. R. E. Cardinalis; Joachimi Besozzi, Monasterii Cisterciensis S. Crucis in Jerusalem Abbatis, subin aeque Cardinalis; Thomae Sergii, S. Officii Consultoris; Dominici Turani, et Aegidii Giulii Soc. Jesu Theologorum — sententiam exquisivit. Viris his neutiquam propositum fuit, inter se de palma contendere: ipsi sane

135) Mon. 59. pag. 45.

nonnisi salutem spiritualem populorum, Episcoporum sollicitudinem, et Beatissimi Patris exspectationem, piaque Theologorum vota, qui molestam hanc et perplexam quaestionem Apostolico oraculo profligatam cupiebant, pro scopo habuerunt. Quam hunc feliciter assecuti sint eruditione ad prudentiae normam temperata: aequi lectoris iudicio relinquimus, id unum addentes, ne ipsos quidem a Religionis Catholicae communione alienos Theologos diffiteri: omnia ab his viris methodice librata, Ecclesiae principiis optime conformata, et una ad civilem sub communi Foederatorum Ordinum supremo Principatu societatem christiana pace fovendam promovendamque disposita fuisse. Viri hi scilicet prout valida pronunciant Batavorum Protestantium coniugia patriis legibus conformiter inita, ita mixta uno ore detestantur, in hocque Patrum, qui primis Ecclesiae temporibus vixere, severitatem imitantur. Sed iam singulares illorum sententias audiamus.

Cavalchinus, productis variis S. Congregationis Concilii decretis, et controversiae statu accuratissime exposito, sequentia ferrei sui laboris in praeclara eruditissimaque sua dissertatione reliquit resultata: a) Concilium Tridentinum in Hollandia sufficienter promulgatum non esse, nequidem relate ad Catholicos, ita, ut matrimonia, quae ab ipsis non servata C. Trid. forma contrahuntur, irrita censeri possent. b) Pro illo etiam casu, si C. Tridentinum publicatum receptumque foret, si in loco, ubi matrimonia celebrari contingit, nec parochus, nec sacerdos alius reperiatur, aut metu haereticorum latitet, et tutus accessus ad eum non pateat, matrimonia inter haereticos et inter ipsos Catholicos absque praesentia parochi coram Magistratu politico valide contrahi. c) Quoad matrimonia mixta propendet ad valorem eorumdem pronunciandum. [136])

Besozzi, matrimonia haereticorum inter se non servata forma C. Tridentini in Belgio valida quidem censet in ratione contractus; circa matr. mixta vero distinguendo inter loca, in quibus habetur parochus catholicus, et ea, in

---

136) cf. *Benedicti XIV. declaratio* etc. ut *nota* *133.* pag. 41.—87.

quibus talis non existit, in priore casu invalida, in posteriore valida tenet matrimonia coram Magistratu, vel Ministro haeretico inita; plures simul commemorat tristes sequelas, quae evenirent, si matrimonia haec decernerentur irrita, siquidem adulterinis coniugiis, conscientiarum anxietatibus et circa legitimas haereditates dubietatibus opportunum remedium non aliter quam declarata talium matrimoniorum validitate procurari possit, idque pro nunc per suspensionem decreti Tridentini fieri posse, quoad nimirum corda haereticorum illuminare Deo placuerit. [137])

Thomas Sergius, permotus maxime ratione petita ex vi obligandi legum humanarum, quae pondus non habent, ubi inutiles, perniciosae, aut servatu moraliter impossibiles evadunt, pro validitate matrimoniorum inter haereticos stat, additque noluisse Concilium quidquam pro haereticis definire tum quia declaravit decreto suo neminem obstringi nisi post illius in parochiis promulgationem, qualibus propric carcant haeretici, tum quia scopus Concilii fuit, providere, ne matrimonia in concubinatus evaderent. Ast matrimonia inter Catholicum et haereticam vel vicissim sine forma Concilii contracta, nulla pronunciat, quod pars catholica, nisi forma Concilii observetur, ad contrahendum sit inhabilis. [138])

Dominicus Turanus censuit: mentem C. Tridentini benigne interpretandam esse, ita, ut decreto suo noluerit haereticos comprehendere, idque cum ex regulis epikiae, e quibus moraliter impossibile erat haereticis parochum catholicum adire, tum ex consuetudine Ecclesiae post Concilium probat, per quam in Belgio decretum Concilii non-usu abrogatum sit. Haec tamen matrimoniis mixtis neutiquam suffragari ait. [139])

Aegidius Giulii quoad matrimonia, quae haeretici inter se contrahunt, censet ea valida esse, cum promulgatio C. Tridentini in Hollandia facta non fuerit, decreta

137) Vid. *Benedicti XIV. declaratio* etc. pag. 106—138.
138) Loc. cit. p. 139—148.
139) Loc. cit. p. 149—213.

vero S. Congregationis contra valorem eorumdem ad illa tempora sint referenda, quibus Catholicus Rex Belgio dominabatur; matrimonia autem mixta illicite quidem, sed valide contrahi statuit, idque ideo, quod, si matrimonia inter haereticos valida sint, talia esse debeant etiam in eo casu, quo altera pars est catholica, tum ex consuetudine, tum ex plurium Doctorum sententia. [140])

Quodsi iam Doctorum horum sententias combinare placet, apparet, in eo omnes convenisse, quod matrimonia inter duos coniuges haereticos sine parochi catholici praesentia in Belgio contracta valida sint; licet non omnes eodem modo suam probaverint sententiam, nam quidam existimarunt, universim deesse certum ac perspicuum super sufficienti promulgatione decreti Tridentini documentum; alii autem publicationem Concilii pro Catholicis solum factam fuisse censebant, haereticos vero post exortos motus civiles in Belgio decreto Concilii obstringi non potuisse, idque eo minus, quia Concilium voluit, ut decretum suum primo post triginta dies a facta in singulis parochiis promulgatione obliget. Circa matrimonia vero, quae in Belgio inter haereticos ex una et catholicos ex altera parte contrahuntur, Doctorum antedictorum nonnulli indicabant, ea absque praesentia parochi catholici irrita fore, alii autem pro eorum validitate pugnabant.

§. 50.

Decisio quaestionis controversae a Benedicto XIV. in celebri Declaratione dd. 4. Nov. 1741.

Virorum doctrina praestantium, quos superius laudavimus, consultationibus, et opinionibus in Congregatione Cardinalium coram se die 13. Maii 1741. habita ad examen revocatis, aliorumque Theologorum sententiis discussis, tandem dd. 4. Nov. eiusdem anni 1741. Benedictus XIV. memorabili edita Declaratione ac Instructione, instar normae futuris temporibus habenda, quaestionem de matrimoniis in Belgio supremo suo decidit oraculo.

140) Loc. cit. p. 213—298.

Praemissa in exordio Declarationis istius succincta historia quaestionis ad Sedem Apostolicam pro decisione perlatae, in *prima parte* de matrimoniis, quae *haeretici inter se* in locis Foederatorum Belgii Ordiuum dominio subiectis non servata forma a Concilio Tridentino praescripta contrahunt, statuit: tam ea, quae hucusque contracta sunt, quam et in posterum contrahenda, etiamsi forma a Tridentino praescripta in iis celebrandis non fuerit observata, modo aliud canonicum impedimentum non obstet, pro *validis* habenda esse; adeoque converso etiam utroque conjuge ad sinum Ecclesiae Catholicae, ipsos eodem, quo antea, coniugali vinculo manere obstrictos; si vero alteruter tantum convertatur, neutrum tamen posse, donec alter superstes est, ad alias nuptias transire.

Pars altera Declarationis versatur circa matrimonia, quae in iisdem Belgii provinciis *Catholici cum haereticis* sine forma a C. Tridentino praescripta contrahunt, et de his aeque statuit: eadem *valida* esse, si nullum aliud obstet canonicum impedimentum; at simul graviter hortatur omnes et singulos, ut a matrimoniis istiusmodi mixtis, quae Ecclesia Catholica semper detestata sit, sollicite abstineant; illos autem catholicos, qui matrimoniis talibus illigati essent, monet, ut pro gravissimo scelere, quod admiserunt, poenitentiam agant, et alterum coniugem omni studio ad gremium Ecclesiae Catholicae reducere conentur.

In *tertia parte* demum quoad ea matrimonia, quae in Principum Catholicorum regionibus ab iis ineuntur, qui domicilium habent in Provinciis Foederatis vel vice versa, nil peculiare decernendum censuit Summus Pontifex, sed sanctiones canonicas Juris stricte observari iussit [141]). Atque haec est celebris illa Declaratio Benedictina, quae, quoniam matrimonia tam haereticorum inter se, quam haereticorum cum Catholicis etiam sine forma per Conc. Tridentinum praescripta valida pronunciavit, memorabilem in quaestione de mixtis matrimoniis conversionem induxit.

141) Mon. 60. pag. 49. — cf. opus saepe cit. SS. D. N. Benedicti XIV. *declaratio super matrimoniis inter Protestantes et Catholicos etc. Coloniae. 1746.*

§. 51.

Variae erant sententiae Doctorum circa motivum, quo inductus Benedictus XIV. matrimonia in Belgio, de quibus in Declaratione eiusdem sermo est, valida pronunciaverit.

Non una erat Doctorum super hac Declaratione Benedicti XIV. sententia, quod ad *rationem* attinet, ob quam Pontifex permotus sit ad pronunciandam validitatem matrimoniorum in Belgio, de quibus quaestio erat, cum talem in Declaratione sua haud commemoret; sed neque de eo inter Doctores convenerat, an statui possit, Benedictum reipsa *legi Tridentinae* derogasse, seu in illa *dispensavisse*? Quod ad posteriorem quaestionem attinet: permulti quidem Declarationem Benedictinam velut dispensationem a Papa concessam habebant, qua haeretici et catholici a lege C. Tridentini eximantur. Verum similior vero illorum videtur sententia, qui Declarationem hanc non uti dispensationem, sed tantum qua authenticam legis Tridentinae *interpretationem* accipiunt. Nam Declaratio haec non minus respicit matrimonia antea inita, quam quae postea ineunda erant; deinde ex iis, quae in S. Congregatione Conciiii in causa ista acta fuere [142]), apparet, Benedictum Papam non intendisse legi Tridentinae derogare, sed voluisse solum declarare, an ex eius tenore et ex mente Ecclesiae illa matrimonia, de quibus quaestio mota fuit, lex ea respiceret nec ne? — De ratione porro, sive motivo, e quo Benedictus utplurimum inductus fuerit ad declarandam matrimoniorum talium validitatem, quidam existimarunt: instar motivi eam circumstantiam habitam fuisse, quod non satis constaret publicatum fuisse in Hollandia C. Tridentini decretum. Ast probabile non est, id censuisse Benedictum, qui potius iudicabat, verosimiliter promulgatum sufficienter esse decretum illud, nec potuissent in hac hypothesi tot Doctores pro nullitate dictorum connubiorum stare. Alii itaque dicebant, praecipuas rationes Benedicto praebuisse tum impossibilita-

142) Acta haec omnia exstant in opere *nota* priori citato.

tem servandi legem Tridentinam, tum incommoda, quae ex decisione contraria secutura erant, existimasseque Papam, quod de mente Ecclesiae esse non potuerit, ut decreto Tridentino haeretici quoque comprehendantur. Sed huic opinioni tertia pars Declarationis Benedictinae repugnat: nam in hac haereticos Principibus Catholicis subjectos ad communis iuris regulas remittit, eoque ipso eosdem legibus C. Tridentini obstringi indicat. Nos proxime veritati accedere censemus illos, qui aiunt, Pontificem ea ratione permotum fuisse ad hanc edendam Declarationem, quod duas ab invicem distinctas reputaverit in Hollandia societates occasione defectionis efformatas: alteram catholicam, haereticam alteram, hincque existimasse, etiamsi ante perturbationem civilem in Belgio decretum Tridentinum promulgatum esset, dum nondum constituta fuit haereticorum societas, post perturbationem tamen efformata iam per hos cum suis paroeciis peculiari societate, hanc amplius decreti Conciliaris publicatione obstringi nequaquam potuisse. [143])

§. 52.

Per Declarationem Benedictinam quaestionibus finis impositus non fuit: nam Missionarii in Belgio porro quoque quoad matrimonia tam Catholicorum inter se, quam mixta, diversa dubia Pontifici proposuere, quae is decidit a. 1746.

Postquam Declaratio Benedicti XIV. in Foederatis Belgii Provinciis promulgata fuisset, exspectare licuit, omnem de matrimoniis illic celebratis quaestionem plene decisam nullasque amplius dubietates et anxietates in praxi formandas fore. At vix perlata ad oras Belgicas Pontificia Declaratione, nova mox quaestio de matrimoniis, quae illic *Catholici inter se sine praesentia parochi catholici* inirent, eidem Summo Pontifici Benedicto XIV. proposita, decisioque eiusdem super eo expetita fuit: an Catholici ita, ut dictum est, contrahentes coniugia, decreto Pontificis declaratorio aeque comprehendantur? et si non comprehenderentur, ad il-

143) cf. Jos. Carriere, *praelectiones theol. maiores in Sem. S. Sulpitii. De Matrimonio — Tom. 2. Paris. 1837. p. 428—432.*

los quoque per modum indulgentiae Declaratio extendatur, ut sic conscientiae Catholicorum in tuto ponerentur. Ad quaestionem hanc respondit Pontifex [144]): dicta matrimonia priore suo decreto minime comprehendi, et extensionem, quae petitur, absurdam, ac mali exempli futuram; primum ideo, quod Decretum restrictum sit ad ea matrimonia, quae in praefatis regionibus vel inter duos haereticos, vel inter unam partem catholicam et alteram haereticam contrahuntur; alterum autem ideo, quod, quum iis in locis Missionarii Catholici adsint, coram quibus antea a Catholicis celebrata fuere matrimonia, cumque C. Tridentini decretum inter Catholicos illarum partium, et in peculiaribus eorum parochiis, saltem postquam provinciae Foederati Belgii a Catholici Principis dominatione in haereticorum potestatem transiverunt, rite publicatum fuisse constet, magna sane cum offensione totius Ecclesiae eveniret, si matrimonia Catholicorum, quae in illis regnis iuxta formam C. Tridentini celebrari possunt, a tam providae legis observantia eximerentur. [145])

Nec per alteram resolutionem Pontificiam quaestionibus finis impositus. Nam rursum ex parte *Missionariorum* in Hollandia relatum est ad Sedem Apostolicam: catholicos matrimonia inire cupientes teneri se sistere coram civili Magistratu, vel ministro haeretico, et coram eo quamdam contractus matrimonialis speciem celebrare, idque absque gravissimis secus indubie sequuturis consectariis et infortuniis intermitti non posse; imo saepe contingere, ut cum memoratus actus coram ministro haeretico praecedat, celebratio vero matrimonii coram parocho et duobus testibus differatur, hoc intermedio tempore inter sponsos tales copula etiam intercedat, et proles oriatur. Nonnulli ex Missionariis fundamento eo, quasi in matrimonio Catholicorum contractus a Sacramento seiungi possit, actus illos intermedios excu-

144) Prout ipse enarrat: *De Synodo Dioecesana. Ferrariae. 1767. T. I. p. 183.*

145) En novum argumentum pro eo, Benedictum reapse existimasse, quod Conc. Tridentinum pro Catholicis in Belgio sufficienter promulgatum fuerit.

sabant, matrimoniaque in ratione contractus valide inita censebant; alii vero Concilii Tridentini sanctionibus inhaerentes, nullo modo validum tenebant matrimonium, quod coram parocho et duobus testibus celebratum non foret, adeoque actus quoque illos intermedios uti illicitos, et prolem tamquam illegitimam habebant. — Benedictus PP. accepta relatione de hoc merito, auditoque prius consilio Cardinalium et Theologorum, qui concordibus suffragiis pro nullitate matrimonii in praedicto casu steterunt, nisi ita contrahentes vel ante vel post illum coram Magistratu aut ministro haeretico actum, in praesentia parochi catholici et duorum testium matrimonium rite celebrassent: datis ad Missionarios dd. 17. Sept. 1746. literis, *Paulo Simoni a S. Josepho* inscriptis, rem controversam sequenti ratione decidit: Matrimonia a Catholicis inter se aliter, quam praesente parocho et duobus testibus in locis, in quibus Conc. Tridentinum promulgatum est, inita esse invalida, nec posse in talibus matrimoniis rationem contractus a ratione Sacramenti separari, cum Synodus Tridentina eos, qui praeter formam ab se praescriptam matrimonium contrahere attentant, ad sic contrahendum inhabiles declaraverit; porro declarationem a. 1741. pro matrimoniis, quae vel haeretici inter se, vel Catholici cum illis ineunt, editam non posse accomodari coniugiis, quae Catholici legi Tridentinae subiecti inter se contrahunt; actum igitur eum, quo catholici matrimonium contracturi ministro haeretico vel Magistratui se sistunt, mere civilem esse, ad ostendendum erga leges civiles obsequium pertinentem, neque actu tali contrahi matrimonium, ac proinde coniuges sic contrahentes non esse veros legitimosque coniuges, prolem quoque exinde susceptam non esse in foro Ecclesiae legitimam, sed teneri taliter contrahentes vel ante vel post ceremoniam illam coram Magistratu aut ministro haeretico ex tenore legum civilium servandam, se coram parocho catholico sistere, et in eius ac insuper duorum testium praesentia legitimum inire coniugium. Postremo monet Missionarios ac parochos, ut fideles suos super his opportune instruendo, id praeprimis curent, ne matrimonium contracturi, dum in vim legum civi-

lium coram Magistratu aut Ministro haeretico se stiterint, legitimi coram parocho catholico coniugii celebrationem diu differant. [146])

§. 53.

Declaratio Benedicti XIV. instar normae a Successoribus eiusdem habita signanter a Clemente XIII.

Declaratio Benedictina instar normae habita et mox ab immediatis Benedicti Successoribus in usum deducta fuit. Sic Clemens XIII. quaestionem de singulari coniugio, quod Catholicus quidam *Bruxellensis* cum vidua haeretica in Hollandia domicilium habente non servata forma C. Tridentini iniit, per *Archiepiscopum Mechliniensem* positam ope literarum dd. 15. Maii 1767. sequenti ratione decidit: matrimonium hoc, si aliud non obstet impedimentum canonicum, etsi illicitum, validum tamen esse ideo, quod lege Tridentina de matrimonio coram proprio parocho contrahendo mulier in Hollandia iuxta declarationem Benedicti XIV. non obstringatur, privilegium autem mulieris viro quoque cum illa contrahenti communicetur, iuxta sententiam eiusdem Benedicti XIV. in praeclaro opere de Syn. Dioec. expressam; in reliquo autem admonendum esse virum catholicum, ut salutarem agat poenitentiam super commisso crimine, curetque, ut mulier ad fidem Catholicam convertatur, et liberi ex isto coniugio oriundi in Catholica Religione educentur. [147])

§. 54.

Sub Pontificatu Pii VI. quaestio de matrimoniis mixtis, et nominatim de assistentia parochi iis praestanda in Belgio uberius evoluta; cui occasionem praebuit decretum Josephi 2. Imperatoris de tolerandis mixtis connubiis anno 1782. pro Belgio editum.

Sub Pontificatu Pii VI. in provinciis Belgii, dominio Josephi II. Romanorum Imperatoris subjectis, valde me-

146) Mon. 61. pag. 52. Vid. Ben. XIV. *de Synodo Dioec. T. 1. p. 186.*

147) Mon. 62. pag. 56. — Notandum: ipsos Status Foederatarum Provinciarum a matrimoniis mixtis magnopere adhorruisse, et saepi-

morabilis circa matr. mixta, et signanter circa assistentiam a parocho catholico iisdem praestandam, edita est decisio. Cum nimirum Josephus 2. Imperator Edictum suum, quo matrimonia mixta inter Catholicos et Protestantes suis in ditionibus universim toleranda decrevit, ope *Rescripti Gubernialis* dd. 21. Maii 1782. etiam ad Belgium extendisset, ac simul constituisset, ut interea, donec Protestantes illic suae confessionis ministros habuerint, matrimonia talia coram parochis catholicis ineantur, et per hos more consueto publice proclamentur [148]): Episcopi Belgii in non levem anxietatem ac sollicitudinem ideo cumprimis conjecti, quod parochi praesentia ad valorem eiusmodi coniugiorum ibidem ex lege Tridentina prorsus foret necessaria, Edicta autem Caesarea pro favore matrimoniorum mixtorum praevie iam edita salutarem de prolibus ex iis susceptis in Fide Catholica educandis cautionem et conditionem abrogaverint: primo quidem nihil non egerunt, quo Edictum Guberniale memoratum retractaretur; tum datis nomine omnium per *Archiepiscopum Mechliniensem* dd. 28. Maii 1782. ad Gubernatores Belgii literis, candide aperuerunt: se decreto Caesareo cousque, dum a Sancta Sede Apostolica decisio venerit, obsequi haud posse [149]); reipsaque per *Memoriale* de 8. Junii 1782. *Pium VI.* Papam consuluerunt, eiusque supremum iudicium expetierunt. In Memoriali hoc Episcopi ante omnia suam sollicitudinem Summo Pontifici exponunt cum ideo, quod, quum matrimonia mixta innumeris Ecclesiae legibus ob gravissima pericula parti catholicae ac prolibus impendentia vetita nec aliter quam sub diserta conditione et cautione de prolibus omnibus catholice educandis admissa essent, ea nunc, sublata per Caesarem cautione hac, sine

---

us decreta ad impedienda illa edidisse, signanter a. 1750. adeo, ut iuxta illius temporis monumenta admodum pauca coaluerint mixta connubia. Parochique et Missionarii plena et irrestricta libertate contra ea vocem suam levaverint.

148) Mon. 63. pag. 57. Vid. Petr. Franc. de Ram, *Synodicon Belgicum. AEpisc. Mechliniensis. Tom. 2. Mechliniae. 1829. p. 61. not. 1.*

149) Mon. 64. pag. 57. cf. *op. cit. p. 61. not. 1.*

discrimine toleranda et coram parocho catholico contrahenda decernantur; tum ideo, quod, cum Conc. Tridentinum in omnibus Belgii Austriaci ditionibus rite esset promulgatum et receptum, ac proin praesentia parochi catholici ad validitatem matrimonii absolute requiratur, si haec matrimoniis mixtis denegata fuerit, pessimas sequelas inde orituras praevidere liceat, cumprimis publicam perturbationem, conscientiarum anxietates, et Religionis Catholicae detrimentum. Post haec iidem Episcopi opinionem suam in hoc merito sequentibus proponunt: a) *benedictionem* talibus connubiis minime impertiendam esse, quippe in partem haereticam alioquin non cadentem, parti autem catholicae in ipso actu initi connubii ordinarie graviter peccanti nullam utilitatem adferentem; b) *promulgationem* sine difficultate institui posse, cum sit actus plus civilis quam sacer; c) fideles a nuptiis talibus assidue quidem dehortandos, iis tamen impediri nequeuntibus, matrimonia ita celebranda esse, ut parochus a sponsis coram se constitutis mutuum illorum in matrimonium consensum excipiat, nulla veste sacra utens, aut ceremoniam sacram adhibens, ut appareat illum non assistere uti ministrum sacrum, verum potius qua testem civiliter necessarium et auctorisatum. [150])

§. 55.

Rescriptum Pii VI. ad Episcopos Belgii dd. 13. Jul. 1782. de modo assistendi matrimoniis mixtis.

Ad Memoriale Episcoporum Belgii edidit Pius VI. PP. Rescriptum, seu Breve dd. 13. Jul. 1782. Cardinali a Frankenberg, *Archiepiscopo Mechliniensi* inscriptum: in quo opinionem Episcoporum quoad assistentiam a parochis catholicis in matr. mixtis adhibendam probavit, sed proclamationes institui prohibuit. Juvat memorabile isthoc Breve Apostolicum iuxta suas subdivisiones uberius proponere.

In *prima parte* exponit Summus Pontifex constantem Ecclesiae, Praedecessorumque suorum, praesertim Bene-

150) Mon. 65. pag. 57. — Apud Ram, *cit. op. p. 61—64.*

dicti XIV. in damnandis matrimoniis mixtis disciplinam et praxim, declarando: se nullo modo approbare posse aut velle talia connubia, sed tolerare duntaxat, ut sanctae Religioni maiora damna evitentur; nec credere se posse, ut Imperator Josephus decreto suo, quo matrimonia mixta permisit, ipsi Ecclesiae doctrinae et admonitioni matrimonia talia prohibenti sese opponere intenderit: qui disertis et sollennibus verbis professus fuerit, solam Religionem Catholicam esse salvificam, huiusque propagationem et incrementum sibi praeprimis cordi esse. Addit Pontifex: se in dispensationibus pro talibus matrimoniis concedendis, praesertim dum de impedimentis graduum vetitorum parentelae agitur, facilem et conniventem esse non posse, cum dispensatio, fidelibus sub Ecclesiae obedientia viventibus reservata, ad haereticos extendenda non sit.

In *altera parte* agit Summus Pontifex de assistentia parochi in matr. mixtis, eamque pro casu, quo matr. mixta conatibus suis impediri non possent, materialiter praestandam admittit, his servatis cautelis: a) ut non assistat in loco sacro, nec veste sacra indutus, nec benedictionem impendat; b) ut exigat et recipiat a parte haeretica scriptam cum iuramento declarationem, per duos testes subscribendam, quod se obliget ad non turbandam partem catholicam in usu libero Religionis Catholicae et educatione prolium utriusque sexus in eadem Religione Catholica; c) ut pars quoque catholica scriptam edat coram testibus declarationem iuratam, quod nec ipsa a Fide Catholica unquam deficere, nec proles in protestantismo educari sinere velit, imo curatura sit, ut compartem haereticam ad sinum Matris Ecclesiae reducat; d) denique proclamationes, cum ad futuram celebrationem matrimonii ordinatae sint, positivamque eidem cooperationem contineant, non posse fieri, sed recurrendum esse ad Imperatorem, ut parochos ab iis in loco sacro faciendis eximat.

In *tertia parte* demum instruit Pontifex Episcopos, quid cum Catholicis post conclusa matr. mixta usum Sacramentorum petentibus agendum sit: eos nimirum, si de admisso scelere sincera tangantur poenitudine, et in S. Tribunali

promittant, se acturos ut et pars haeretica convertatur et proles omnes catholice educentur, et scandalum ab illis datum reparetur, sacramentorum participes reddi posse. [151])

§. 56.

Episcopi in sequelam Rescripti Pontificii Caesari repraesentant, et prius decretum in favorem matr. mixtorum editum relaxari petunt: sed frustra; unde denuo ad Summum Pontificem recurrunt, et ab hoc novum Breve a. 1783. obtinent.

Episcopi Belgii per Rescriptum Apostolicae Sedis eo inviati, ut apud Caesaream Maiestatem revocationem Edicti, in quantum matrimonia mixta more alias consueto in Ecclesia promulgari iubet, procurent: sub dd. 31. Augusti 1782. Repraesentationem communi nomine Imperatori substraverunt. In ea primum sumta occasione ex decreto Caesareo die 21. Maii 1782. circa toleranda in Belgio matr. mixta edito, energice remonstrant: quam multis iisque gravissimis considerationibus Edicto huic se conformare prohibeantur, inprimis autem ob prohibitionem connubiorum mixtorum ab Ecclesia plurimis vicibus severe inculcatam, tum ob infelices eiusmodi coniugiorum pro parte catholica et prolibus sequelas; provocant quoque cum ad sensa ipsorum Protestantium, praesertim in Gallia, adversus mixtas nuptias in compluribus Synodis declarata; tum ad vicinam Belgio Catholico Hollandiam, quae coniugiis mixtis minime faveat. Exponunt porro: qualesnam instructiones ac inviationes a Supremo Ecclesiae Capite obtinuerint quoad assistentiam per parochum catholicum talibus matrimoniis praestandam: ubi cumprimis haec duo extollunt, desideratam per Summum Pontificem cum a parte haeretica tum catholica scriptam et iuratam super educatione omnium prolium catholica declarationem, et proclamationes in Ecclesia institui vetitas. Quare requirunt Caesarem, ut Edictum suum, in quantum his postulatis obsisteret, relaxet, hocque eo magis, quo certior manet partem catholicam ex iure divi-

151) Mon. 66. pag. 61.

ne aeque ac naturali obligatio proles suas in unice vera ac salvifica Religione educandi. [152])

At Caesar in responso, quod ad repraesentationem Episcoporum die 30. April. 1783. dedit, postulatis eorumdem ex omni parte nequaquam detulit: et, quoad celebrationem quidem matrimoniorum mixtorum declaravit, a parochis non desiderari, ut matrimoniis mixtis in Ecclesia assistant, sed sufficere, si in domibus etiam suis aut alio loco honesto pro arbitrio parochi et contrahentium deligendo, suam praesentiam iisdem praebeant; quoad *proclamationes* autem porro quoque desideravit, illas per parochos institui, ab illorum tamen pendere arbitrio, an eas in Ecclesia aut extra illam, v. g. in atrio, aut ante portam Ecclesiae instituant; pro casu demum illo, dum vir protestans ducit mulierem catholicam, non prohibuit equidem, ut inter eos conventio de educatione prolium in Religione Catholica ineatur; sed ad hanc ineundam partes cogi non indulsit. [153])

Resolutione Caesaris per Archiepiscopum Mechliniensem die 9. Maii 1783. ad Summum Pontificem perlata, is ope Brevis dd. 31. Maii 1783. decrevit: a) proclamationes institui posse, at extra locum sacrum, et simul addendo consuetae bannorum formulae quampiam expressionem, quae indicet, quantopere Ecclesia matr. mixta aversetur; b) a parte Catholica iuramentum de procuranda partis haereticae conversione et prolium in Fide Catholica educatione porro quoque exigendum venire; at ab exactione similis iuramenti ex parte Sponsi haeretici praescindi posse, prudentique Episcoporum iudicio relinqui, ut zelum suum iuxta occurrentium casuum adiuncta temperatum adhibeant. [154])

Haec fuit series actorum, quae quoad decreta Caesarea in favorem matrimoniorum mixtorum edita inter Episcopos Belgii ex una, et S. Sedem Apostolicam, ipsumque

152) Mon. 67. pag. 66.

153) Mon. 68. pag. 71. Id quoque improbavit Caesar Episcopis, quod *communi nomine*, quasi corpus aliquod efficerent, repraesentaverint.

154) Mon. 69. pag. 72. cf. Ram, *op. cit. p. 64—74.*

Caesarem ex altera parte sub Pontificatu Pii VI. intervenerunt: quorum pro coronide id unum notamus adhuc, sollicitudinem Antistitum Belgii, in quam illos decreta Josephi 2. Imp. conieccrant, multum sublevatam fuisse per exiguum sectariorum in Belgio Austriaco numerum, et summam Belgarum erga novitates sectarum aversionem: quae illum tandem felicem consecuta est effectum, ut Imperator ipse non modo ea, quae quoad mixta connubia pertulit, sed et alia Religioni Catholicae minus faventia decreta retractaverit.

II. Status matr. mixtorum in Polonia.

§. 57.

Benedicti XIV. constitutiones duae ex an. 1748. adversus connubia catholicorum cum haereticis, et abusus in dispensationibus matrimonialibus commissos

Quemadmodum *Declaratio* Benedicti XIV. pro Hollandia et Belgio a. 1741. super matrimoniis edita summi, ut in antecedentibus exposuimus, erat momenti; et gravia post se traxit consectaria: ita Constitutiones ab eodem Benedicto XIV. pro Polonia anno 1748. perlatae, non minoris sunt in quaestione de connubiis mixtae religionis auctoritatis et ponderis. Harum prior est de 29. Junii 1748. cuius occasionem ipse Pontifex in eiusdem prologo enarrat. Cum nimirum ad aures Summi Pontificis nuntium perlatum esset, de opinione in Polonia vigente, quasi Sedes Apostolica mixtas nuptias adprobaret, et dispensationes matrimoniales prout circa alia impedimenta, ita et quoad haereseos impedimentum nullo negotio concedere prona foret, ita, ut per hanc Sedis Apostolicae indulgentiam quodammodo haereseos impedimentum sublatum, nec amplius ob id necesse esse ad eandem Sedem pro dispensatione recurrere existimaretur: Summus Pontifex opinione ista per iniuriam et intolerabilem calumniam excogitata permotus, literas dedit ad Primatem et ceteros Praesules Poloniae: in quibus falsam eam opinionem animis Episcoporum ac fidelium eximere, et

si quid forte in executione literarum Apostolicarum dispensationalium erratum esset, id non tenori harum literarum, sed personis exequentibus, quae literas fors nec legerint, minus debite expenderint, tribuendum esse, ostendere satagit. Gravissimis porro verbis deducit, quam constans semper fuerit Sedis Apostolicae in damnandis connubiis catholicorum cum haereticis doctrina et agendi ratio; quantopere item Romani Pontifices in dispensationibus super impedimento haereseos, et in gradibus vetitis difficiles se praebuerint, nec aliter licentiam contrahendi eiusmodi coniugia concesserint, quam sub expressa hac conditione: ut haereseos abiuratio praecedat; quandoque quidem conditionem hanc exmissam in matrimoniis Principum fuisse, sed et rarissime id evenisse, et alias opportunas cautiones interpositas exstitisse, tum ne coniux catholicus ab haeretico perverti posset, tum ut proles utriusque sexus ex tali matrimonio progeneranda in Religione Catholica educaretur. — Confutata iniqua opinione, transit Pontifex ad exponendam praxim, quam Sedes Apostolica in dispensationibus tenuerit semper teneatque: dispensationem videlicet semper ad certum aliquem executorem dirigi, eique id negotii dari, ut de omnium expositorum veritate praevie cognoscat; si itaque contrahentium aut uterque aut alteruter sit haereticus, idque in libello supplici haud exponatur, ad partes executoris literarum Apostolicarum pertinere, ut ad circumstantiam hanc probe attendat, et dispensationem suspendat, remque prius ad Sedem Apostolicam referat, cum ei ignotum esse non possit, a Sede hac mixtas nuptias constanter damnari: hinc vitio et culpa executoris evenire, si dispensationis pro oratoribus duntaxat catholicis concessae tunc quoque fiat usus, dum eorumdem alter est haereticus, ac proinde nullam prorsus suppetere causam calumniandi, quasi Sedes Apostolica in merito mixtorum connubiorum conniventer se gereret; idque eo minus, quod in tenoribus literarum Apostolicarum, quibus dispensatio conceditur, diserte exprimatur, supponi, oratorum utrumque orthodoxae fidei cultorem existere, et sub obedientia Romanae Ecclesiae vivere. — In epilogo hortatur Pontifex Episcopos, ut literas

Apostolicas, quibus dispensatio conceditur, sollicite legant prius, quam eas executioni mancipent. [155])

Literis his novo confirmavit Benedictus XIV. documento, quaenam fuerint Sedis Romanae et sua propria sensa circa mixtas nuptias, ac una normam scripsit Polonis qualiter in exequendis dispensationibus matrimonialibus per Sedem Romanam concessis procedere debeant. — Idem Summus Pontifex in altera quoque ad Episcopos Poloniae Encyclica dd. 8. Aug. 1748. dimissa, sensa sua circa hoc meritum in priori expressa, denuo confirmavit. Encyclicae huic occasionem praebuit factum cuiusdam Episcopi Poloniae, qui in impedimento cognationis secundi gradus inter duos lutheranos dispensavit. Factum hoc Summus Pontifex non potuit non improbare, et insuper animadvertit, tolerari equidem in nonnullis locis matrimonia mixta, dum impediri nequeunt, sed dispensationem in gradibus prohibitis non concedi aliter, quam si haeresis abiuratio praecesserit. [156])

§. 58.

In Tractatu Varsoviensi de an. 1768. favorabiles quidem pro parte contrahentium diversae religionis personarum conditiones sancitae; per id tamen Constitutionibus Benedictinis neutiquam derogatum, imo eae deinceps quoque per Episcopos Poloniae in usum deductae.

Constitutionibus Benedictinis fatalis videbatur illuxisse annus 1768. quo *Respublica Polonorum* ad intermediationem Principum acatholicorum, Borussi quippe et Russi, in sic dicto Tractatu Varsoviensi favorabiles pro Acatholicis edidit sanctiones, ac inter cetera de matrimoniis quoque mixtis disposuit: ut a) matrimonia inter personas diversae religionis a nemine prohibeantur vel impediantur; b) proles ex iis genitae parentum religionem sequantur, filii quidem patris, filiae autem matris, nisi in pactis antenuptialibus aliter constitutum esset; c) copulatio a parocho spon-

155) Mon. 70. pag. 74.
156) Mon. 71. pag. 79.

sae peragatur, quam si parochus catholicus negaret, minister religionis dissidentium perficiat; d) decreta in contrarium horum a quocunque lata sint nulla.[157])

Per hanc Tractatus Varsoviensis sanctionem quidam censent abolitas fuisse Constitutiones Benedictinas a. 1748. pro Polonia editas: inque huius opinionis confirmationem et id adferunt, quod Primas cum duobus Episcopis Tractatum memoratum subscripserint [158]). Et reipsa si tenor sanctionis illius Varsoviensis in se spectetur, in ea fere omnia contraria iis disponuntur, de quibus in Constitutionibus Pontificiis provisum fuit. Ast iuvat ad sequentia animum advertere: 1. Modus, quo Tractatus Varsoviensis in favorem *Dissidentium* coaluit, non usquequaque probatur: nam ex iis, quae scriptor coaevus Josephus Wybicki in suo *Memoriali*, novissime, cura Eduardi Com. Raczynski in lucem protracto, posteritati consignavit, clarum fit, diversis artibus eum Imperatricis Russorum Catharinae II. tum aliorum Reipublicae Polonicae Repraesentantes eo permotos fuisse, ut Tractatum subscriberent, imo nonnulli, cumprimis autem Episcopi inter minas ad subscribendum compellerentur. 2. Subscriptio Tractatus ab Episcopis praestita considerari potest ceu talis, quam ii veluti Senatores et minis adacti perfecerunt. Ceterum negari ex altera parte non potest, statum Religionis et Ecclesiae Catholicae eo tempore admodum desolatum iacuisse, Episcoposque fere magis Senatores fuisse, quam Pastores gregis Dominici.[159]) Demum et id de subscriptione illa Episcoporum notandum, eam legi Benedictinae alioquin praeiudicare haud potuisse. 3. Sedes Apostolica eodem anno, quo famosus Tractatus initus est, nempe 1768. medio Nuntii sui *Durini* solennem adversus eundem interposuit protestationem et contradictio-

---

157) Mon. 72. pag. 80.

158) *Ministerium Borussicum* in suis cum *AEppo Posnaniensi Dunin* correspondentiis, ut inferius ostendetur, etiam eius erat opinionis, per Tractatum Varsoviensem ab Episopis Poloniae subscriptum Constitutionibus Benedictinis derogatum fuisse.

159) Cf. *Historisch-politische Blätter für das kathol. Deutschland. von* Phillips *und* Görres. *V. Band. München. 1840. p. 626.*

nem, anno 1775. per Nuntium *Garampi* iteratam; anno autem 1777. per Clementem XIV. exacta Constitutionis Benedictinae observantia denuo inculcata fuit. 4. Cum in Tractatus istius tabulis „Religio Romano-Catholica tamquam dominans in perpetua tempora agnoscatur, ita, ut transitus ab illa ad aliam religionem instar delicti criminalis habendus declaretur;" haecque Religionis Catholicae praerogativa per Aulas Regias Tractatum concludentes agnita et in tuto locata, post factam Reipublicae et totius Regni Poloniae divisionem a respectivis Principibus Acatholicis haud amplius conservata, imo ei contraria plane decreta edita sint: suapte apparet, decretum quoque Tractatus Varsoviensis quoad mixta matrimonia ipso facto irritatum et pro cessante habendum evasisse. 5. Episcopi in suis dioecesibus, non obstante Tractatus sanctione, matrimonia mixta tantum in sensu Constitutionis Benedictinae celebrari admiserunt. Ita in specie de Dioecesi *Gnesnensi ac Posnaniensi* constat, non aliter illic benedicta fuisse mixta coniugia, quam obtenta plena certitudine super educatione prolium catholica, imo et iuramentum super observantia Constit. Benedictinae ab iis, quorum intererat, exactum esse. [160])

III. Status matr. mixtorum in Germania.

1. In minoribus Principatibus.

§. 59.

Variae leges per Principes circa matr. mixtorum copulationem et prolium educationem religionariam perlatae: in Elect. Coloniensi, Saxonico, Ducatu Megalopolitano etc.

Principes Germaniae virtute iuris reformandi in rebus religionis per Pacem Westphalicam attributi hac quoque Pe-

---

160) Id in aliis quoque Provinciarum Polonicarum dioecesibus usuvenisse, inferius demonstrabitur.

riodo complures circa religionem in genere, et signanter religionem, quam proles e mixtis connubiis progenitae sequi debeant, item circa administrationem Matrimonii mixti perferebant leges: quarum scopus is esse videbatur, ut inter asseclas diversarum religionum, perfecta ceteroquin iurium aequalitate perfruentes, mutua pax et harmonia perseveret. Legum harum nonnullae *patriam potestatem* pro fundamento ponendo, omnes proles absque sexus discrimine in religione *patris;* aliae autem *iura patris et matris* quodammodo in aequilibrio continere intendendo, proles quidem masculas in patris, foemellas vero in matris confessione educandas disposuere; erant etiam Status, in quibus *pacta* sive transactiones quoad religionariam prolium institutionem parentibus inire integrum fuit. Quoad *copulationem* personarum mixtae religionis non una eademque erat in Germaniae Statibus praxis ac observantia. Sed iam leges et statuta singularium Statuum contemplemur.

Elector Coloniensis in tractatu, quem cum *Osnabrugensibus* a. 1754. inivit, declaravit: se quoad mixta matrimonia nihil, quod legibus Ecclesiae Catholicae adversum foret, constituere, imo talia coniugia et prohibere, ad casum vero, quo ipsa impediri haud possent, sanctiones Pacis Religiosae et Westphalicae observare velle. [161])

Regimen Sayn-Hohenburgicum dd. 8. Mart. 1763. disposuit: a) coniugibus mixtae religionis liberum esse ante nuptias solenni declaratione mutua coram Consistorio circa religionariam prolium educationem transigere, idque, in quo conventum est, sancte observandum esse. b) Etiam durante matrimonio, si id cum pace et amicabiliter, atque ex libera voluntate cumprimis mariti tamquam capitis familiae fieri possit, pacta de educatione prolium in hac vel illa religione iniri posse. c) Ad casum mortis alterutrius coniugum in defectu pactorum liberum fore superstiti coniugi proles in sua confessione educare. d) Prolibus non admitti, ut ante decimum quintum aetatis annum aliam,

---

161) cf. *Die Darlegung des Verfahrens der Preuss. Regierung gegen den Erzbischof v. Köln beleuchtet. Augsburg. 1838. pag. 11.*

quam quae in pactis parentum praefinita est, confessionem sequantur; post expletum autem memoratum annum plena eas libertate gaudere, unam e tribus confessionibus Christianis in Imperio civitate donatis eligendi. [162]) — Idem Regimen in decreto dd. 16. Mart. ei. a. ad parochos et pastores dimisso quoad matrimonia mixta iam inita constituit: ut omnes proles in confessione patris educentur.

In Ducatu Megalopolitano (Mecklenburg-Schwerin) decreto *Friderici* Ducis dd. 27. Aug. 1763. Presbyteris Catholicis matrimonia mixta copulare vetitum, alio autem decreto dd. 14. April. 1764. declaratum fuit: copulationem mixtorum coniugiorum semper a Ministro Protestantico instituendam, et proles in confessione protestantica educandas esse. Quae declaratio dd. 12. Maii 1790. renovata est. [163])

Episcopus et Princeps Fuldensis una cum suo Capitulo cum Duce Saxo-Vimariensi dd. 24. Maii 1764. ad interpositionem Legati Borussici intuitu mixtorum coniugiorum iniit tractatum: ut proles e mixtis matrimoniis, nisi in pactis aliter sancitum haberetur, sexum parentum in religione sequantur. [164])

In Electoratu Saxoniae dispositio anni 1720. [165]) ope Rescriptorum dd. 19. Jul. et 1. Dec. 1774. item 6. Mart. 1777. ita modificata est: ut copulatio mixtorum matrimoniorum etiam a parochis catholicis et reformatis ministris *annuente utraque parte contrahentium* peragi possit, abrogato una more, iuxta quem pars coniugum non-lutherana praevie spondere debuit, proles non in alia quam lutherana religione educandas fore. [166])

---

162) Mon. 73. pag. 80. Vid. Scotti, *Sammlung der Gesetze und Verordnungen. 2. Thl. p. 997.*

163) cf. *Sammlung aller für das GH. Mecklenburg-Schwerin gültigen Landesgesetze. Wismar. 1836. IV. B. pag. 374. 494. 498.*

164) Mon. 74. pag. 83. Vid. Faber, *neue Staatskanzlei. XIV. Thl. p. 390.*

165) cg. §. 30.

166) cf. Weber, *system. Darstellung des im Kön. Sachsen geltenden Kirchenrechts. Leipzig. 1818. I. Thl. p. 198.*

§. 60.

Leges in Electoratu Palatino Rheni perlatae. 167)

Post obitum Caroli Philippi, de quo priore epocha, Carolus Theodorus Palatinatus dominus effectus, ad tollenda gravamina, quae Reformati adversus Catholicos in capite de mixtis matrimoniis, signanter autem de educatione prolium utriusque sexus in Religione Catholica, substraverunt, novum die 15. Febr. 1766. edidit Decretum *Tolerantiale*, in eoque cuilibet Confessioni religiosae, quod suum est, tribuendum, seque haud unquam admissurum declaravit, ut una religio cum praeiudicio alterius dominetur. [168])

Successor Caroli Theodori Maximilianus Josephus, simul iam *Bavariae* quoque Elector, celebrem die 9. Maii 1799. edidit *Declarationem religionariam:* in qua ad sufferendas in perpetua tempora simultates ac differentias inter Catholicos et Protestantes antea obtutu diversae religionis exortas, quoad connubia mixta speciatim sanxit: tam Catholicis quam Protestantibus plenam ad ineunda mixta coniugia, et ad copulationem seu a sponsi sive a sponsae parocho suscipiendam, competere libertatem, prout etiam ad determinandam religionariam prolium educationem; ad casum vero defectus mutuae cuiuspiam conventionis inter coniuges super hoc capite initae, proles quidem masculas patris, foemellas autem matris religionem usque annos discretionis sequi debere. [169])

Idem Elector dd. 8. Nov. 1802. singularem tulit constitutionem circa matrimonia, quae *inter catholicum ex una et Protestantem a vinculo prioris coniugii per fora secularia solutum ex altera parte vivente adhuc coniuge altero iniri* contingeret. De his nimirum decrevit: solutionem vin-

---

167) cf. §. 26.

168) cf. *Die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen. Katholik, eine relig. Zeitschrift. 64. Band. 1837. p. 113. ff.* Sub Electore Carolo Theodoro a. 1777. etiam *Electoratus Bavariae* in potestatem Palatini Rheni venit.

169) Mon. 75. pag. 84. — Vid. *Deutsche Blätter für Protestanten und Katholiken. 4. Heft. Heidelberg. 1840. p. 29. ff.*

culi per fora civilia enunciatam ubique pro valida habendam, et parti catholicae cum protestantica praevio modo divortiata contrahere cupienti nullum impedimentum ponendum; parochum catholicum tamen, ut nuptiis huiusmodi intersit, nequaquam cogendum, sed partibus contrahentibus integrum fore, etiam a ministro acatholico copulationem benedictionemque recipere, et copulationem huiusmodi in foro civili eiusdem prorsus futuram esse valoris, ac si a catholico sacerdote peracta exstitisset. [170]) — Mox atque Pio VII. Papae innotuit, constitutionem hanc in ditionibus Electoris Bavariae promulgatam esse: literas dedit dd. 12. Febr. 1803. ad Electorem, quibus contra decretum principiis Religionis Catholicae adversum solenniter protestatur, eiusque revocationem urget [171]); sed Electorem voci Pontificiae obsecutum fuisse nuspiam legimus, imo ex relatione *Archiepiscopi Moguntini* et Germaniae Primatis Caroli Dalberg ad Sedem Apostolicam dd. 16. April. 1803. praestita apparet, in sequelam decreti Electoralis repetitis vicibus contigisse, ut, attentata per sententiam Consistorii Protestantici vinculi coniugalis solutione, partibusque ad alia vota transeundi libertate donatis, harum una, vivente adhuc altera, novum matrimonium cum parte catholica inire contenderit, benedictionemque sacerdotalem expetierit. Cumque interea et Parochi complures in anxietatem conjecti, opportunas instructiones apud Ordinariatus quaererent: idem Archiepiscopus rem totam ad S. Sedem Romanam pro suprema decisione retulit, instruique supplicavit super sequentibus: an parochi talibus nuptiis tuta conscientia interesse possint; item an, si eas coram ministro acatholico celebrari contingat, pars catholica ad Sacramentum Poenitentiae accedens absolvi, ad S. Eucharistiam admitti, proles denique exinde nata pro legitima haberi valeat? [172]) Summus Pontifex in Brevi ad referentem AEpiscopum 8. Octobr.

170) Mon. 76. pag. 85. Decretum hoc etiam *Marchio Badensis* die 31. Januar. 1803. adoptavit.

171) cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1823. p. 467. ff.*

172) Vid. opus meum: *De Matrimonio in Ecclesia Catholica. Tom. I. Augustae Vindel. 1840. §. 19. p. 26.*

1803. dato primum in memoriam revocat Ecclesiae Catholicae de vitandis mixtis nuptiis tamquam illicitis, perniciosis, ac detestabilibus doctrinam, praesertim a Benedicto XIV. solenniter declaratam; tum declarat, sententiam laicorum tribunalium et conventuum acatholicorum, a quibus matrimonii nullitas enunciatur, et dissolutio vinculi attentatur, nullam vim in foro Ecclesiae habere posse. Ad quaestiones tandem ab Archiepiscopo positas respondet: gravissimum scelus commissuros, suumque sacrum ministerium proditurus eos parochos, qui nuptias, de quibus agitur, sua praesentia probarent et benedicerent, cum nuptiae tales, immoto perstante prioris matrimonii vinculo, adulterina sint connubia; parochorum igitur esse, admonere partem catholicam gravis reatus, quem incurrat, si tale foedus matrimoniale ineat; sique monita in vanum cedant, silere et tolerare, numquam tamen vel copulationi interesse, vel plane benedictionem impertiri; coniuges porro catholicos ita coniunctos, ad Sacramenta admitti supplicantes, si vere poenitentiam agant, et a secundo coniuge reipsa separentur, ad Sacramenta admitti posse; si autem prior coniux iam decesserit, Episcopos et Parochos omnimode curare debere, ut ab ineundis connubiis mixtis fideles dehortentur, et nonnisi tunc pro dispensatione ad Sedem Apostolicam recurrant, si periculum perversionis a parte catholica removeatur et educatio prolium catholica in tuto ponatur. [173])

Unum adhuc notamus Electoris Palatini edictum pro Ducatu Bergico dd. 18. Maii et 10. Octobr. 1803. editum: ut copulatio personarum mixtae religionis pro arbitrio quidem et libera electione earumdem seu per sponsi sive per sponsae parochum suscipiatur; educatio autem prolium secundum pacta ante matrimonium inita, in horum vero defectu iuxta sexum parentum instituatur. [174])

---

173) Mon. 77. pag. 86.

174) Mon. 78. pag. 90. Planck, *gutachtlicher Entwurf einer gesetzlichen Bestimmung des Verhältnisses zwischen Staat und Kirche. Nürnberg. 1807. p. 43.* observat: dispositionem hanc Bavaricam in quantum pacta duntaxat ante vel sub ipso matrimonio coniugibus

Singularis erat Ordinariatus Wirceburgensis dd. 18. Jun. 1805. constitutio: contrahentibus integrum esse, an copulationem ab utriusque religionis ministro recipere velint nec ne? curam tamen peculiarem eo convertendam venire, ne pars catholica gratia sacramentali privetur. [175])

§. 61.

Status mixtorum matrimoniorum in reliquis Germaniae Principatibus.

Nonagesimis Seculi XVIII. annis cum Parochi Ducatus Cliviensis plures circa matrimonia mixta quaestiones *Sacrae Congregationi Concilii* pro decisione proposuissent, signanter „an matrimonia inter catholicos et acatholicos coram ministris acatholicis in Ducatu isto contracta sint licita et valida? an et quomodo parochi catholici ad matrimonia talia ineunda literas dimissorias extradare valeant? an declaratio Benedictina de matrimoniis pro Hollandia edita ad Ducatum Cliviensem extendatur?" quaestionibus his in consilio antefatae S. Congregationis discussis, 15. Jun. 1793. peculiaris Instructio parochis quaerentibus danda proposita, et 19. eiusdem mensis ac anni a Summo Pontifice Pio VI. adprobata fuit: Catholicos videlicet ante omnia monendos esse, ne contrahant cum acatholicis, cum talia matrimonia licet valida, sint tamen illicita, atque ideo a parochis actus quosvis, quibus matrimonia talia approbare censeri possent, omitti, sed si ad assistendum cogantur, eosdem mere passive se habere, et benedictionem nequaquam impertiri debere; in promulgatione porro talium coniugiorum religionis, cui contrahentes addicti sunt, mentionem haud iniiciendam, dimissorias literas, dum canonicum quodpiam inter illos intercedit impedimentum, minime extradandas, nec unquam in iisdem dimissoriis verba: *pace mea*, adponenda esse, e quibus quippe ad approbationem

---

inire permittit, iuri eorumdem praeiudicare, et coniuges pari iure etiam durante matrimonio pacta eiusmodi ineundi gaudere.

175) cf. Brendel, *Handbuch des katholischen und protest. Kirchenrechts. 3. Aufl. Bamberg. 1840. p. 1066.*

mixtorum connubiorum conclusio formari posset, in reliquo autem sequendam esse declarationem Benedicti XIV. pro Hollandia editam. [176])

In Ducatu Bipontino [177]) post obitum *Gustavi Samuelis* Principis Catholici, variabat disciplina circa matrimonia mixta, prout nimirum Principes Religioni Catholicae, aut sectae Lutheranae erant addicti: donec a. 1775. summa rerum ad Carolum II. e linea Catholicorum Principum devolveretur, qui constitutionem anni 1720. contrahentibus plenam pactorum quoad religionariam prolium educationem seu ante matrimonium sive eo durante ineundorum libertatem tribuentem, confirmavit.

In Ducatu Nassoviensi pro matrimoniis mixtis inter Lutheranos et Reformatos a. 1765. statutum fuit: ut filii patris, filiae matris religionem sequantur; illi autem, qui matrimonium cum persona catholica inire, hocque scopo et ipsi Religioni Catholicae nomen dare volebant, facultatem tale coniugium ineundi nequaquam obtinuerunt, et contrarium agentes poena exilii mulctabantur.

Ex Electoratu Trevirensi proferri quidem solet constitutio Vicarialis de 20. Febr. 1787. matrimonia mixta sine discrimine benedici admittens [178]); ast ex literis Vicarii Trevirensis Josephi ab Hommer dd. 12. Jun. 1822. ad Episcopum Michaelem Sailer datis et infra producendis [179]) constat, in Electoratu Trevirensi absque speciali dispensatione Ordinariatus mixtas nuptias contrahere cautum fuisse, et signanter Electorem ac AEpiscopum Clementem Venceslaum dd. 5. Jun. 1787. ordinavisse: ut matrimonia inter Catholicos et Protestantes tunc tantum indulgeantur contrahi, si pars protestantica scripto

---

176) Mon. 79. pag. 91.

177) cf. §. 27.

178) cf. *Der gegenwärtige Grenzstreit zwischen Staats- und Kirchengewalt aus dem staatskirchenrechtlichen und legislativen Gesichtspunkt erörtert von einem norddeutschen Publicisten. Halle. 1839. p. 97.*

179) Literas has nobiscum benevole communicavit Illustrissimus *Lincensium* Praesul.

pomiserit, se passuram, ut omnes proles catholicae educentur.

In Electoratu Hassiae usque annum 1804. tanta erga Catholicos vigebat intolerantia et aversio, ut vel proles e matrimonio pure catholico genitas in Fide Catholica educare eis prohibitum fuerit. Primum per decretum Electoris de 27. Mart. 1804. obtinuerunt Catholici facultatem, proles suas in Religione orthodoxa educandi: sed quoad matrimonia mixta eodem decreto sancitum erat, ut filii in patris, filiae in matris confessione educentur, nisi per pacta praevia aliter constitutum foret. [180])

Ex Principatu Magno Hassiaco notanda est Resolutio M. Ducis pro Ducatu *Westphalico* dd. 7. Nov. 1805. edita: proclamationes in utriusque contrahentis paroecia instituendas, copulationem autem arbitrio partium relinquendam esse, eo tamen intellecto, quod dimissoriales a parocho non-copulante sine ulla tergiversatione extradari, proles autem usque annos discretionis pro diversitate sexus in religione parentum educari debeant, nisi in pactis antenuptialibus alia provisio facta haberetur. [181])

In Marchionatu Badensi die 20. April. 1750. lex condita fuit de coniugiis mixtis sine speciali indultu Gubernii nequaquam celebrandis: quae primum Edicto dd. 11. Febr. 1803. pro abrogata declarata, et simul plena libertas ineundi matr. mixta concessa est. In Edicto hocce sequentia de matr. mixtis praescribuntur: ante nuptias liberum esse sponsis pacta super eo inire, in quanam religione proles suas educare velint; sed pacta haec amplius immutari, aut nova durante coniugio iniri haud posse; in defectu pactorum omnes proles in confessione patris educandas esse, siquidem hoc ad pacem inter coniuges aeque ac universam cognatorum familiam procurandam necessarium et maxime congruum sit; copulationem a quonam parocho suscipiendam arbitrio sponsorum relinqui, sed partem illam, cuius parochus copulationem non peragit, testimonialibus literis

---

180) Mon. 80[a]. pag. 93.
181) Mon. 80[b]. pag. 93.

de institutis promulgationibus provideri debere; quodsi demum pars alterutra contrahentium per proprium insuper parochum copulari cuperet, nil obstare, quominus id fiat; tandem post attactos discretionis annos, qui in 18. anno aetatis defiguntur, liberum cuique esse, quam velit, confessionem deligere. [182])

In Ducatu Würtembergico post Rescriptum anni 1717. quo valida declarata fuere matrimonia copulante Catholico Sacerdote [183]), status disciplinae circa matr. mixta ab eo pendebat, an Princeps Catholicus esset vel Lutheranus. Ex Periodo ista commemorari meretur Resolutio de 6. Mart. 1758. vi cuius ius concivilitatis diserte professioni Lutheranismi velut *conditio sine qua non* alligatur, ita, ut mulieres quidem catholicae extraneae, quae subdito Würtembergico nubunt, donec in Religione Catholica perseverant, concivilitatem consequi non possint; illi vero, qui post obtentum ius civitatis Fidem Catholicam amplectuntur, ipso facto iure hoc excidisse conseantur, imo et exulare teneantur; in quolibet demum casu matrimonii mixti pars catholica literas reversales de eo extradare obligatur, quod proles omnes in Confessione Evangelica educatura sit. [184]) Summa profecto intolerantia! quae in Würtembergia usque finem Seculi XVIII. duravit, ita, ut Catholicis nec copulationes suorum coniugiorum, nec administrationem baptismi per sacerdotes suos institui curare licuerit, sed ad quosvis actus sacros opera Ministrorum protestantium uti coacti fuerint.

182) Mon. 81. pag. 94. — Edictum hoc Badense multis laudibus celebrat Joannes Richardus de Roth, in opere: *Privatgedanken über das Recht deutscher Landesherren gegen Religion und Kirche. Würzburg. 1805. p. 88. f.*

183) cf. §. 28.

184) Vid. Jäger, *die Würtembergische Gesetzgebung über gemischte Ehen. Studien der evangel. Geistlichkeit Würtembergs. XI. B. 2. H. Stuttgart. 1839. p. 27.*

2. In Regno Borussiae.

§. 62.

Status disciplinae circa matr. mixta in provinciis Borussiae Silesiacis, regnante Friderico II.

Dum Fridericus II. Borussiae Rex quadragesimis Seculi superioris annis Silesiam occupasset: in solenni equidem tractatu de an. 1742. sub fide verbi sui regii spopondit, se Religionem Catholicam in statu quo conservaturum, nec quidquam in eius praeiudicium fieri admissurum [185]; ast cum Rex hic, famoso tunc *Voltaire* amicissimus, Religionis Catholicae summus osor fuerit, exspectari vix potuit, ut Religio Catholica favores ab eo consequatur. Imo complura egit, e quibus nisus eiusdem, Silesiam a fide orthodoxa sensim abstrahendi, haud obscure intelligitur. — In merito mixtorum matrimoniorum decretum 15. Januar. 1742. edidit: ut causae huiusmodi coniugiorum semper ad Consistorium Protestanticum decidendae referantur. Anno autem sequenti dd. 9. April. legem tulit de educatione religionaria prolium ex talibus connubiis genitarum, ut nimirum eae sexum parentum in religione sequantur. Quae lex occasionem praebuit Ordinariatui Vratislaviensi, ope Instructionis dd. 16. Jul. 1743. ad Clerum Curatum dimissae, eiusdem peculiarem ad id provocandi vigilantiam, ut sollicite pervestigent, an pacta antenuptialia, in quibus educatio prolium catholica stipulata erat, accurate serventur, aut saltim prolium pars fidem orthodoxam sequatur.

Quoad matrimonia autem primum contrahenda, eadem **Instructio admonet Curatos**, ut omnimode, vitata tamen **promulgationis** copulationisque denegatione, adlaborent, quo in favorem Religionis Catholicae scriptam a contrahentibus super educandis catholice prolibus promissionem impetrent, numquam vero pactum Catholicae Religioni infestum iniri admittant, cum in tali casu proclamationes non minus quam copulatio, imo et aliorum Sacramentorum administratio par-

185) cf. Wenck, *codex Juris Gentium recentissimi. T. 1. p. 744.*

ti coniugum catholicae tamquam renitenti ac impoenitenti e principiis Religionis denegandae forent. [186])

Contra hanc Ordinariatus Instructionem Fridericum Regem nihil constituisse, imo in casu singulari pro favore Ecclesiae Catholicae sententiam dixisse legimus. Cum nimirum Dominicani Halberstadienses in virum quempiam catholicum, qui obtenta ad ineundum matrimonium mixtum Civilis Jurisdictionis facultate praeceptum Ecclesiae nihili duxit, conditionibusque ab eadem praefinitis se submittere recusavit, censuris ecclesiasticis animadvertissent anno 1749; re vero ista ad Magistratum Civicum delata, hic contra Dominicanos sententiam pronunciavisset: Rex, datis ad Magistratum Halberstadiensem literis, palam edixit, apud Catholicos etiam ea, quae pure ecclesiasticae sunt disciplinae, secundum canones et Conciliorum definitiones per Judices Ecclesiasticos pertractari debere, neque se admittere posse, ut in ditionibus suis parte hac vis quaepiam personis spiritualibus Catholicorum inferatur [187]). Atque sic Rex licet Potestanticus Dominicanos contra insultus Magistratus regia sua tuebatur auctoritate!

Anno 1750. die 8. Augusti sub nomine Concordati transactio inita est, ut pacta quaelibet antenuptialia et tractatus circa educationem religionariam prolium omni coram Jure vi exuantur et cassentur, atque instar normae id stabiliatur, ut proles e matrimoniis mixtae religionis suscipiendae sexum parentum in religione sequantur [188]). Anno vero 1752. die 7. Octobris decretum insuper fuit: mutationem religionis per parentes in articulo mortis factam nullum in educationem religionariam prolium in praeiudicium Concordati influxum exserere posse, nisi parentes post mutatam religionem diutius adhuc vivere contingat.

---

186) Mon. 82. pag. 96.

187) cf. Justi, *Anweisung zu einer guten deutschen Schreibart.*

188) Mon. 88. pag. 97. — Decretum hoc sive Concordatum etiam post introductum Codicem legum fere usque ad initia praesentis seculi in Silesia viguisse observat Bessel, *über die gemischten Ehen. Frankfurt. 1839. p. 79.*

Utut autem Ordinariatus *Vratislaviensis* sua ex parte, ut paulo ante diximus, non intermiserit eo curas suas convertere, ut principia Ecclesiae Catholicae circa rem mixtarum nuptiarum accurate serventur: eundem tamen post annum 1743. quo memoratam ad Parochos Instructionem dimisit, magis conniventer in hac materia, studio forte pacis, se gessisse vel inde apparet: quod, dum Fridericus Rex Concordatum anno 1750. ederet, praevie per suos Ministros, Cancellarium quippe Status *Coccejum*, et Comitem *Münchov* cum Episcopo Vratislaviensi negotium isthoc contulerit, Concordatumque post mutuam praeviam coalitionem publicari fecerit.

In Silesia porro id usuvenit, ut dispensatio ad ineunda matr. mixta a Sede Apostolica haud peteretur, sed talem Ordinariatus motu proprio elargiretur: quo ex incidenti Benedictus XIV. in Brevi ad Episcopum Vratislaviensem dd. 12. Sept. 1750. declaravit: „non posse se positive actu adprobare, ut dispensationes concedantur inter haereticos, vel inter ipsos et catholicos, sed tamen se posse hoc *dissimulare*, atque scientiam hanc suam et tolerantiam sufficere debere ad assecurandam Episcopi conscientiam, quandoquidem in materia, de qua agitur, non occurrat oppositio cum iure divino aut naturali, sed tantummodo cum iure ecclesiastico; seque ad pedes Crucifixi attestari, id se unice facere, ut sanctae Religioni nostrae damna maiora evitentur." [189])

§. 63.

In provinciis Borussiae Polonicis principia catholica quoad mixta connubia per respectivos Praesules egregie sustinebantur.

Donec provinciae *Polonicae*, quae hodie partem Monarchiae Borussicae faciunt, sub dominatu Polonorum erant,

---

189) Verba haec Benedicti Papae Pius VI. in literis ad Cardinalem AEppum *Mechliniensem* de 13. Jul. 1782. citat (cf. §. 55.), et ait: sermonem esse de dispensationibus in gradibus parentelae, in quibus dispensandi praxis in Dioecesi Vratislaviensi inveterata fuerit, et Benedictus XIV. mentem suam in terminis merae tolerantiae exposuerit.

leges Ecclesiae quoad matrimonia mixta exacte observabantur, nec aliter ea admissa legimus, quam praestita per partem haereticam cautione de non pervertendo coniuge catholico, et prole utriusque sexus in Fide Catholica educanda. Cautionem huiusmodi inculcavit decretum Synodi Culmensis et Pomesaniensis anno 1745. celebratae: in quo diligenter examinandum committitur, an sponsi diversae religionis habeant bona immobilia, quae in maius robur cautionis super adimplendis Ecclesiae conditionibus instar hypothecae obligare valeant [190]. Insuper e relatione *Episcopi Culmensis* Andreae Ignatii Bayer ad S. Congregationem Concilii dd. 30. Januar. 1764. praestita [191] apparet, Episcopos Culmenses repetitim statuta, per Reges quoque Poloniae adprobata, edidisse: ut sponsi mixtae religionis ante ineundum matrimonium sponsionem sive cautionem sub confiscatione bonorum dent de prole universa in fide partis catholicae educanda, et coniuge catholico ad deficiendum a fide sua per alterum minime inducendo. His amplius adhuc progressus idem Episcopus, matrimonia mixta simpliciter prohibuit.

At postquam Dioecesis Culmensis in potestatem Borussorum venisset, Episcopis principia catholica manutenere adnitentibus multae contradictiones et persecutiones ex parte Regiminis civilis subeundae erant. Signanter iam a. 1766. Regimen Borussicum decreto dd. 18. Dec. *Regiomonti* edito sanxit: ut in Polonia Borussica sponsi diversae religionis, quorum connubium ex parte Ecclesiae Catholicae ideo, quia pars acatholica Fidem orthodoxam amplecti nollet, impediebatur, per vicinum ipsis Protestanticum ministrum, etiam sine proclamationibus, copulentur, dummodo constet, nullum secus inter illos intercedere impedimentum [192]. Idem Regimen ad faciliora reddenda mixta matrimonia complures pertulit constitutiones, e quibus eas so-

190) Mon. 84. pag. 98. — Vid. *Constitutiones Synodales editae et promulgatae ab Ill.* D. Andrea Stanislao Kostka. *Brunsbergae. 1746. p. 136. ss.*

191) Mon. 85. pag. 99.

192) Mon. 86. pag. 100.

lum memoramus, queis a. 1772. item a. 1773. in sensu *Tractatus Varsoviensis* [193]), quaevis pacta et conventiones quoad educationem prolium religionariam iniri prohibuit, hasque in religione parentum pro sexus diversitate institui iussit [194]). Verum haec Gubernii Civilis decreta Episcopum Culmensem supra laudatum *Bayer* eo permoverunt, ut rem totam ad S. Sedem Apostolicam referret. In relatione hac sua anno 1773. facta exposuit: „matrimonia diversae religionis personarum nunc liberius quam antea fieri, et ex recenti decreto Aulae Berolinensis nullas antematrimoniales respectu educandae prolis conditiones interponi, sed infantes ex parentibus diversae religionis natos secundum sexum suorum parentum fidem tenere debere"; tum instrui postulavit: an saltem in casu, quo persona catholica a proposito contrahendi matrimonium cum persona acatholica recedere nullatenus vellet, liceret parocho catholico tali matrimonio assistere illudque benedicere? Ad cuiusmodi quaestionem id Roma dd. 5. Maii 1774. venit Rescriptum: parochos catholicos talibus matrimoniis assistere non posse, si autem ea reipsa coram acatholicis ministris ineantur, pro legitimis coniugibus tales habendos, et non poenis canonicis sed svavibus adhortationibus partem catholicam ad poenitentiam super patrato gravi scelere agendam, omniaque ea, quae ad conversionem coniugis haeretici et prolem universam catholice educandam praescripta habentur, praestanda admonendam esse. Hoc Rescriptum Episcopus dd. 9. Sept. 1774. Clero suo pro observamine publicavit. [195])

§. 64.

Codicis universalis anno 1784. et 1794. introducti sanctiones circa mixta matrimonia.

Leges et dispositiones, quas Regimen Borussicum circa religionariam educationem prolium antea in casibus par-

193) cf. §. 58.

194) Mon. 87. pag. 100. Vid. *Corpus Constitutionum Pruss. Brandeb. 1772. num. 49.* et *1773. num. 52.*

195) Mon. 88. pag. 102.

ticularibus potissimum et occasionaliter edidit, anno 1784. in legem pro tota Borussia abiere, **Codici universali legum** insertam: ut nimirum proles ex eiusmodi matrimoniis genitae sexum parentum in religione sequantur, seu masculae patris, foemellae matris fidem amplectantur, in eaque usque annum aetatis 14-um educentur, et in obversum huius normae ne parentes quidem seu ante coniugium, sive eo durante quidquam constituere praesumant. [196]) Singularibus insuper Rescriptis dd. 8. Januar. et 14. Octobr. 1784. cuncti Parochi Catholici in partibus Regni Borussici tam Orientalibus quam Occidentalibus eo inviati fuere, ut personas diversae religionis, in quantum secus nullum obstaret canonicum impedimentum, absque ulla protelatione promulgent et copulent; si autem posterius facere quacunque ratione prohiberentur, testimoniales literas super institutis proclamationibus extradent, ut in tali casu Minister Protestanticus copulationem peragere valeat. [197])

Anno 1794. Codex legum civilis denuo redactus et in omnibus provinciis promulgatus quoad dispositiones in re mixtorum coniugiorum nonnihil modificatus exstitit, cumprimis ea parte, quae contractus et pacta de educatione religionaria prolium inter parentes respicit, quae per legem anni 1784. ut diximus, prohibita erant. Statutum nempe fuit: a) religionis, in qua proles educandae sint, delectum ad iura patris e conceptu patriae potestatis pertinere; b) proles masculas ordinarie in confessione patris, foemellas in matris religione educandas esse c); in obversum huius normae neutrum equidem ex coniugibus per pacta ad aliud quidpiam alterum obligare posse, ast d) simul nemini ius fore, parentibus, donec in determinanda prolium religione inter se conveniunt, contradicendi e); superato 14. aetatis anno prolibus liberum relinqui, quam velint, religionem sequendi. [198])

---

196) Mon. 89. pag. 103.

197) Vid. Borowski, *neue preussische Kirchenregistratur*, p. 35.

198) Mon. 90. pag. 108.

§. 65.

Post publicatum Codicem anni 1784. in Dioecesi Varmiensi a pristino rigore circa mixta connubia recessum est: e contra in Dioecesi Gnesnensi ac Posnaniensi principium catholicum manutentum.

Post publicatum Codicem matrimonia mixtae religionis frequentiora erant, praesertim cum et Ordinariatus nonnulli de pristino sanctiones canonicas rigide in effectum deducendi zelo et studio remiserint: velut id de Varmiensi in specie constat, quippe qui dd. 20. Febr. 1786. Clerum suum eo inviavit, ut meritum cuiusvis matrimonii mixti ad se eum in finem referat, quo id in *mutua cum Regimine Civili cointelligentia* pertractari valeat. Subin autem, ut narrat Josephus Scheill [199]), Seminarii *Braunsbergensis* Regens, ea invaluit illic praxis, ut matrimoniorum mixtorum celebratio fere unice prudentiae pastorali et arbitrio Curatorum relinqueretur, quorum plerique matrimonia talia etiam in casibus illis, in quibus Ecclesiae conditionibus satisfactum non fuerat, benedictione muniebant. — E contra in provincia Gnesnensi ac Posnaniensi tametsi Regimen nil intentatum reliquerit, quo Codicem suum in Provincias quoque Orientales, et praesertim illas, quas Archidioecesis memorata sinu suo comprehendit, quaeve anno 1793. in potestatem Borussiae Regis venerunt, inferret, Clerus porro quoque legibus Ecclesiae sese conformabat, et consuetas cautiones a sponsis mixtae religionis exigebat, quibus et partis coniugum catholicae et futurarum prolium salus in tuto poneretur; sed et dispensatio Ordinariatus pro quolibet casu erat necessaria. Quid quod nec Regium Ministerium, saltim initio, praxim istam Ordinariatui Gnesnensi controverterit: imo Rescripto dd. 17. Jul. 1800. contrahentium reliquit conscientiae, dispensationem a Superio-

---

199) *Von den vermischten Ehen. Athanasia, von Dr. Benkert. XVI. Heft. 1829.* et. M. de Schenkl, *Instit. Jur. Eccles. P. II. Landishuti. 1830. p. 429.*

ritate ecclesiastica petere, si indulgentia per legem civilem tributa nondum sat tutos se existimarent. [200])

§. 66.

Declaratio Regia de 21. Nov. 1803. normae instar sanciens: ut proles omnes e mixtis connubiis genitae in religione Patris educentur.

In legislatione Borussica circa matrimonia mixta epocham merito figit Regia sic dicta Declaratio dd. 21. Nov. 1803. cuius ope constitutum fuit: „ut ad evitandas dissensiones, quae ex dispositione legis de prolibus e mixtis connubiis prognatis in confessione parentum pro ratione sexus educandis inter familias facile oriri, et in plures generationes protrahi possunt, proles ex talibus matrimoniis suscipiendae semper confessionem *Patris* sequantur, et parentum neuter alterum in obversum normae istius, per pacta ac conventiones ad aliud per modum obligationis, determinare valeat: dispositione ceterum illa Codicis porro quoque in salvo relicta, vi cuius nemini integrum est, parentibus contradicere, donec hi inter se de religionaria prolium educatione conveniunt." [201]) — Occasionem Declarationi huic Regiae praebuit singularis casus matrimonialis duorum Evangelicae confessioni addictorum virorum in Silesia, qui proles suas foemellas e matribus catholicis genitas, iuxta dispositionem Codicis a. 1794. in Religione Catholica educandas, post obitum matrum confessioni evangelicae addixere, non obstantibus reclamationibus Parochorum Catholicorum, legis praesidium implorantium; cumque et Regimen civile fundamento eo, quod, donec inter parentes de religionaria prolium educatione convenit, nemo illis repugnare licite possit, memoratis viris talem, qualem ipsi cupiebant, religionariam educationem prolium admiserit: fundamentum vero seu motivum hoc per Regimen allatum *sophisticum* duntaxat prorsusve arbitrarium, et ad casum

200) Vid. Carl G. N. Rintel, *Vertheidigung des Erzbischofes von Gnesen, und Posen. Würzburg. 1839. p. 42. f.*

201) Mon. 91. pag. 104.

praesentem nuspiam applicabile esse, non agnosci non potuerit: hinc ad praecavendas arbitrarias in futurum resolutiones, Rex Ministerio suo id dedit negotii, ut discuteret, an non satius foret, legem priorem, iuxta quam proles e mixtis connubiis genitae sexum parentum in religione sequi obligabantur, ita modificare, ut eae semper in confessione patris educentur? Utut autem Ministerium Regium in praestita super quaestione ista opinione motivo illo, quod prior lex a partium studio magis immunis videatur, quam projectata modificatio, hanc suscipi non suaserit, Rex nihilominus, non attenta hac vice Ministerii sententia, praefatam edidit Declarationem.

Fatendum est, motivum in Declaratione ista memoratum, *ut nimirum dissensiones in familiis praepediantur*, fictum tantummodo fuisse, et dispositionem ipsam Declaratione Regia expressam iuribus matris summe praeiudiciosam, dum totam de educatione prolium determinandi potestatem unice patris arbitrio ac lubedini commisit. Reipsa nempe pro motivo Declarationis memoratae inserviit studium ac nisus, Religionis Catholicae incrementum praepediendi, e contra Confessionem Evangelicam protegendi; penes maiorem enim subditorum Protestantium numerum prorsus naturale erat, ut matrimonia mixta per viros confessioni evangelicae addictos longe plura inirentur, quam vicissim: hocque ipso in sensu legis asseclarum Confessionis huius numerus admodum augeretur. Nec dicat quis, iniuriam per nos Gubernio Borussico inferri, dum motivum tale dispositionis illius fuisse asserimus; nam ipsum Ministerium Regium, dum a. 1831. leges Codicis civilis in novam sumeret discussionem, ultro agnovit, eum legi anni 1803. subfuisse scopum, quem nos supra ei tribuimus: *„Der Grundsatz*, sunt verba Ministerii, *ist vielmehr auf den von Seiner Majestät ausgesprochenen Zweck der Beschützung des evangelischen Glaubens wohl berechnet. Denn in einem Staate, wo die Mehrzahl der Einwohner evangelisch ist, muss der Fall, dass ein evangelischer Mann eine katholische Frau heirathet, häufiger seyn, als der umgekehrte, weil gemischte Ehen meistens durch Ortsveränderungen der Männer herbeigeführt*

werden, und diese Erfahrung scheint dem Gesetze zu Grunde zu liegen." [202])

§. 67.

Declaratio in praxi non omnes sustulit difficultates. Vicarius Monasteriensis in re matr. mixtorum iusto indulgentior.

Per Declarationem anni 1803. non omnes difficultates in praxi sublatae sunt, imo identidem quaestiones circa illius sensum et applicationem positas fuisse legimus. Talis erat signanter quaestio: an Declaratione memorata etiam matrimonia mixta, quae ante illam contracta fuere, comprehendantur? ad quam Ministerium Regium dd. 28. Januar. 1804. respondit: Declarationem anni 1803. solummodo ad coniugia mixta, quae post eius promulgationem iniri contingeret, applicandam venire [203]). At nec hoc responso plene soluta est difficultas: quin potius exemplo casuum in Silesia, qui ipsi Declarationi occasionem praebuere, alios quoque similes facile orituros cum praevidere licuerit, ad eos praecavendos suprema auctoritate dd. 30. Jul. 1804. decretum fuit: patrem a morte uxoris superstitem ius habere, religionariam prolium suarum educationem pro suo arbitrio determinandi. [204])

Praesules in Provinciis Borussicis huiusmodi Edicta prorsus arbitraria et ipsis legibus civilibus praeiudiciosa [205]) nonnumquam abs ulla reflexione in effectum deduci sinebant, seque indulgentes et conniventes praebebant: quod exemplo Vicarii Monasteriensis a Fürstenberg docere possumus, qui in relatione dd. 9. Nov. 1804. Regimini praestita non dubitavit affirmare: veteres canonicas sanctiones matrimonia mixta interdicentes ad Germaniam applicari non posse, parochosve catholicos, etiamsi educatio catholica

---

202) cf. *Merkwürdige Aktenstücke, die gemischten Ehen betreffend. Allgemeiner Religionsfreund. 1832. N. 44. ff.*

203) cf. *Neues Archiv der Preuss. Gesetzgebung. III. B. p. 296.*

204) Vid. *Kamptz, Jahrbücher für Preuss. Gesetzgebung. 2. B. p. 18.*

205) Tale fuit illud *dd. 30. Jul. 1804.* Codicis §. 80. Contrarium.

omnium prolium praevie in tuto posita non sit, copulationem ultro impertiri debere, tunc duntaxat intermittendam, dum e principiis Ecclesiae Catholicae in casu aliquo singulari dispensatio nullo modo dari potest, ast nec tunc promulgationes et dimissoriales a parochis negandas, quin imo eo connitendum esse, ut leges ecclesiasticae cum civilibus in concordiam adducantur. [206])

IV. Status matr. mixtorum in Gallia.

§. 68.

Praesules Galliae doctrinam et disciplinam Ecclesiae circa mixtas nuptias egregie tuentur: Ludovicus XV. Rex vero per suam constitutionem Edicto Ludovici XIV. matr. mixta irritanti non parum derogat.

Edicto Ludovici XIV. de anno 1680. quo matrimonia Catholicos inter et Protestantes pro invalidis declarata fuerunt [207]), huius quoque Epochae initio, adminus in theoria, salvo adhuc persistente, Praesules etiam Galliae tam in libris Ritualibus, quam per statuta et decreta pastoralia, matrimonia mixta sub gravissimis poenis prohibebant, et benedici numquam admittebant. Sic in *Rituali*, quod iussu A r m a n d i G a s t o n i s C a r d i n a l i s d e R o h a n pro Dioecesi A r g e n t i n e n s i anno 1742. editum fuit, licet matrimonium cum haereticis quoad vinculum foederis ac sacramenti valere dicatur, eius tamen celebratio tam severe prohibetur, ut nec parochi illud benedicere, aut alio quovis modo copulare possint, secus ab executione Ordinum ipso facto suspendendi, nec nisi speciali licentia Episcopi obtenta absolvendi [208]). — Celebres porro C o n f e r e n t i a e, quarum superiore Periodo mentionem fecimus [209]),

---

206) cf. I r e n a e u s, *über die Cölnische Angelegenheit. Leipzig. 1838. p. 189. f.*

207) cf. §. 39.

208 M o n. 92. pag. 105.

209) cf. §. 41.

hac quoque Epocha continuatae, et anno 1756. typis vulgatae eo alioquin tendebant, ut animarum pastores in iis, quae fidei ac morum sunt, praecipue vero, quae administrationem Sacramenti Matrimonii concernunt, solide instruant, et propositis mixtorum matrimoniorum periculis, ab iis quoquomodo approbandis deterreant.

Sed post annum 1770. de rigore legum civilium contra matrimonia cum haereticis perlatarum sensim remitti, et Edictum Ludovici XIV. eadem irritans, quod in praxi fororum civilium, ut vidimus [210]), fere numquam receptum erat, in oblivionem sumi coepit; praesertim postquam Ludovicus XV. Rex ope Declarationis, et respective Edicti pro Alsatia dd. 19. Mart. 1774. perlati matrimonia Catholicorum cum Protestantibus sub certis conditionibus contrahi permisisset, sicque facto Edictum anni 1680. saltem pro Alsatia, abrogasset. Inter conditiones autem admissorum mixtorum matrimoniorum tum ea erat, ut semper Ordinarii facultas pro iis ineundis petatur; tum illa, ut omnes liberi in Religione Catholica educentur. Ut vero conditiones hae, praesertim posterior accurate adimplerentur, Rex ad partes supremi sui in Alsatia Consilii sive Gubernii pertinere iussit, ut invigilet, an proles reapse in Fide Catholica instituantur; hocque fine decrevit, ut semper a Parochis Catholicis desuper testimonium expetatur, reluctantes autem, vel plane scopo subterfugiendae catholicae educationis proles extra regnum efferentes arbitrariis poenis plectantur; Episcopis tandem et Parochis necessaria adsistentia per Civiles Magistratus praestetur. [211])

§. 69.

Sub Ludovico XVI. Edictum anni 1680. matrimonia mixta irritans penitus abrogatur, Protestantibusque laetior epocha illucescit: sed Clerus contra Edictum Regium, Protestantibus favores tribuens, protestatur.

Protestantibus Galliae admodum favorabilis illuxit epocha sub Rege Ludovico XVI. qui a. 1787. et 1788. no-

210) cf. §. 40.

211) Mon. 93. pag. 105. — cf. Bessel, *über die gemischten Ehen. Frankfurt. 1839. p. 53. f.*

vum circa matrimonia ipsorum qualiter ineunda decretum edidit. Per Edictum enim Ludovici XIV. ut superiori epocha narravimus, matrimonia, quae Protestantes cum Catholicis inirent, pro irritis declarata, Edicto autem anni 1685. quo Decretum *Nannetense* revocatum est, iidem Protestantes vel inter se valida matrimonia contrahere prohibiti fuerunt, sed aut Religionem Catholicam amplecti, aut e Regno exesse iubebantur [212]. Hunc rerum statum tollere, simulque difficultatibus, quae ex Edicto Ludovici XIV. in praxi nascebantur, occurrere Ludovicus XVI. in animum suum induxit: hocque scopo ope decreti dd. 19. Nov. 1787. Parlamento proposuit, „se quidem Religionem Catholicam, in qua natus esset, velut etiam Status religionem, porro quoque conservare ac tueri velle, sed una admittere se haud posse, nec passurum, ut subditi sui Protestantes iuribus suis vel e natura ipsa, vel e ratione societatis civilis, in qua vivunt, iisdem competentibus, exuantur; se igitur cupere, ut edictum, quod de modo celebrandi apud Protestantes valida coniugia animo suo iam dudum statuerat, quo ocyus in effectum abeat." In Parlamento maior pars Edicto Regis patrocinabatur; imo ex gremio ipsorum Ministrorum Regiorum erant, qui editis plane scriptis pro re Protestantium apologiis inclaruerunt [213]; quin et inter Episcopos fuisse unum refertur, qui Protestantes ocyus iuribus suis naturalibus reddi peroptabat [214]. Etsi autem parte quoque ex adversa, agente potissimum Nuntio Parisiensi, et compluribus Episcopis, oppositis etiam libellis [215], con-

212) cf. §. 39. 40.

213) Apologiam huiusmodi concinnavit Minister de Malesherbes, opera cumprimis potentis matronae de Noailles propagatam; similiter de Rhuilliere, cui secretiora quoque Regiminis acta patebant, pro Protestantibus exaravit librum: „*Ecclaircissemens historiques sur l'etat des Protestans en France.*"

214) Episcopum hunc fuisse *Tolosanum* refert: H. E. G. Paulus, *der wieder lautgewordene Principienkampf zwischen römischer Hierarchie und teutscher Staatsrechtlichkeit. Heidelberg. 1838. p. 123.*

215) Qualis erat e. g. sequens: „*Lettre à un Magistrat du Parlement de Paris*," in quo demonstratum fuit: numerum Protestantium

tra Edicti Regii promulgationem strenue dimicatum fuerit: mense tamen Jannario a. 1788. votorum pluralitate Edictum in Parlamento acceptatum et publicatum fuit. In prooemio Edicti Rex praemittit: se hac lege non aliud Protestantibus concedere, quam ut ipsi quoque in ineundis connubiis talibus gaudeant iuribus, qualia cum lex naturalis, tum ratio societatis civilis pro iis vindicat: in reliquo se nolle, imo prohibere, ut Protestantes peculiaro quodpiam corpus in Regno efforment. De matrimoniis vero sequentia constituit: Protestantibus integrum fore, matrimonia coram parochis catholicis, a quibus et promulgationes prae foribus Ecclesiae nulla religionis facta mentione instituentur, inire, ita, ut coram illis consensum suum declarent, sibique invicem vir et mulier fidelitatem promittant, parochus autem nomine legis annunciet, illos verum, legitimum, ac indissolubile matrimonium contraxisse, idque scripto etiam testimonio confirmet; casum denique in eum, si parochi catholici assistentiam praebere recusarent, liberum esse Protestantibus coram Magistratu Civili coniugium inire, iisdem gavisurum effectibus, ac si coram parocho contractum fuisset [216]). Hoc itaque Edicto Rex Parochos Catholicos quadamtenus obligavit, ut matrimoniis Protestantium tamquam civiles et legis ministri adsistant. Verum contra Edictum istud remonstravit Clerus eodem adhuc a. 1788. quaestionem quidem eam: an matrimonia modo per Edictum praescripto coram Civili Magistratu inita sint valida? sollicite devitando, et adversus provisionem, ut matrimonia Acatholicorum coram Seculari Judicio cunctis effectibus civilibus matrimonii Catholicorum gaudeant, nihil proferendo: at contra dispositionem illam, ut Clerus Catholicus in matrimoniorum istiusmodi celebratione partem capiat, solennibus verbis protestando, cum id, inconsulta Sede Apostolica, alioquin Clerus facere nequeat, demum apostolica libertate id quoque declarando: nulli super terram potestati civili datum

---

in Gallia esse exiguum, eorumve religionem sincerae pietati ac religiositati minus faventem.

216) Mon. 94. pag. 106.

esse, ut animarum pastores ad id obligare possit, quo ii Acatholicis annuncient, matrimonium ipsorum, absque ritu religioso, et vi solius civilis dispensationis initum, legitimum esse coniugale foedus: cum potius certum sit, per canonicas sanctiones separationem civilem matrimonii a sacris ritibus prohiberi, et ipsos Protestantes agnoscere, sigillum religionis indispensabiliter necessarium esse ad hoc, ut matrimonium omni ex parte licitum et legitimum sit. [217])

§. 70.

Sub Revolutione Gallicana, quae nonagesimis Seculi XVIII. annis erupit, fluxa de matrimoniis et incerta erant omnia; indeque evenit, ut innumerae quaestiones ad Sedem Apostolicam pro decisione referrentur.

Sub temporibus perturbationis sive Revolutionis Gallicanae anno 1789. et deinceps proclamata absoluta libertate cultuum, matrimonio, uti iam alias uberius ostendimus [218]), sua dignitas et sanctitas erepta fuit. De matrimoniis mixtis speciatim primis Revolutionis mensibus non aliud intervenisse legimus, quam quod Conventus Nationalis dd. 27. Aug. 1790. ad gravamina Protestantium in Alsatia degentium decreverit: proles e talibus matrimoniis sexum parentum in religione sequi debere; et cum contra hoc decretum Alsatae Catholici repraesentavissent, a. 1791. idem Conventus declaraverit: decreto suo matrimonia antehac inita nequaquam comprehendi. [219]) — Lex a. 1792. circa matrimonia rogata id peculiaris magnique pro praesenti quaestione momenti constituit: ut matrimonia omnia, nulla prorsus distinctione facta, coram *Civili Magistratu* qua ministro ineantur, et nonnisi sic inita pro validis habeantur. Cum autem ex decreto Conventus Nationalis novam Regni

---

217) Mon. 95. pag. 107. — cf. Carriere, *Praelectiones theologicae de Matrimonio. T. 2. Paris. 1837. p. 439.*

218) Vid. librum meum: *De Matrimonio in Ecclesia Catholica. Augustae Vindelic. Tom. I. 1837. p. 16. s. T. II. 1840. p. 18. ss.*

219) cf. *Beiträge zur Religionslehre und Kirchengeschichte. II. Jahrg. Wien. p. 1791. p. 459.*

constitutionem Episcopi et Parochi non minus quam reliqui Cives sub religione iurisiurandi acceptare, eique fidelitatem suam polliceri tenerentur: non exiguae difficultates in praxi quoad matrimonia, tam quae a Catholicis inter se, quam quae ab illis cum Protestantibus contrahi contigit, ob memoratum decretum ortae fuerunt, inprimis quoad quaestionem: *an ea valida habenda sint, quae coram Parochis novae constitutioni fidem suam obstringentibus, et schismaticis, vel etiam sine praesentia parochi coram solo Officiali civili inita essent* 220)? Quod ex innumeris fere decisionibus ad quaestionem hanc aliasque sub Pontificatu Pii VI. editis 221), item ex instructionibus Episcoporum Galliae Londini degentium in lucem publicam exmissis 222), circa resolutionem quaestionis supra positae adferri potest: id omne huc redit: 1. Quoad matrimonia coram sacerdote *schismati* adhaerente inita, si talis sacerdos duntaxat intrusus fuit, id est, auctoritatem, quam non habuit, ex constitutione civili usurpavit, illius praesentia nullam vim potuisse matrimonio conferri, taleque connubium, si parochus proprius accedi potuit, irritum fuisse; si autem sacerdos iuramentum civicum super nova Constitutione elicuit, praesentiam illius velut iam antea auctoritate praediti ad valorem coniugii suffecisse. 2. Matrimonia sine praesentia sacerdotis celebrata, si recursus ad eum possibilis fuit, invalida exstitisse, secus valida. 223) Quoad quaestionem porro eam Parochorum, quid agendum, si fideles matrimonium inire volentes coram Civili Magistratu in nexu decreti Conventus Nationalis se sistere iubeantur? Pius VI. idem prorsus resolvit, quod Benedictus XIV. pro Hollandia 224), nimirum non esse impedimento,

220) De hac quaestione cf. *Essai de morale à l'usage de l'Eglise non assermentée, par M. Bacht. 1792.*

221) Eae collectae inveniuntur in opere: *Collection générale des Brefs et Instructions de N. S. P. le pape Pie VI. relatifs à la révolution francaise, par Guillon. 2. Vol.*

222) Vid. *Asseline, avis concernant l'exercice du saint ministère dans les circonstances présentes. Tit. 6.*

223) Vid. Carriere, *Praelectiones theologicae. De Matrimonio. T. 2. p. 444—452.*

224) cf. §. 52.

quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a Conventu Nationali declarationem coram Civili Magistratu faciant, id semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri. [225])

§. 71.

Status mixtorum matrimoniorum sub consulatu Napoleonis.

Circa finem Seculi XVIII. Ecclesia Catholica in Gallia laetiorem faciem induere coepit: iam enim a. 1798. libertas exercendi cultum catholicum restituta, subseque autem per Consulem Reipublicae Napoleonem plura ad coordinandas res Ecclesiae Catholicae in mutua cum Ecclesiae Capite cointelligentia constituta sunt. Quorsum praeprimis Concordatum anni 1801. referimus inter Pium VII. et Consulem Gallorum conclusum, liberrimum Religionis Catholicae exercitium stipulans. In eo quidem de matrimoniis mixtis nil sancitum invenitur: at in sic dictis Articulis Organicis, quos Minister Cultus Portalis concinnavit, quive proprie leges pro parte Protestantium in se continent, *art. 54.* enunciatum legimus: benedictionem nuptialem a Parocho illis tantum coniugibus impertiendam esse, qui prius debite docuerint se coram Magistratu Civili modo praescripto matrimonium inivisse. [226])

Codex Napoleoneus civilis anno 1803. publicatus, et successive in omnes provincias ab illo occupatas, sed et in nonnullas Germaniae Civitates introductus, circa celebrationem matrimonii et prolium educationem sequentia constituit: Matrimonium ineuntes post peractas consuetas

225) *Breve Pii VI. ad Episc. Lucionensem dd. 1. April. 1794.*

226) Quantopere erret Auctor Opusculi: *Rechtfertigung der gemischten Ehen zwischen Katholiken und Protestanten. Köln. 1821.* dum pag. 124. scribit: „zufolge des Concordats ist auch kirchlich gebilligt, Kinder aus gemischten Ehen zur protestantischen Religion anzuleiten". — multis ostendere opus haud est, siquidem in Concordato ne una quidem vocula attingantur matr. mixta. Cf. Nellessen, *was ist Katholicismus? Aachen. 1822. p. 158. ff.*

promulgationes coram Magistratu sive Officiali civili se sistere, illic suum consensum declarare, ab eoque, matrimonium legitime conclusum esse nomine legis enunciante, huiusmodi enunciationem recipere debere; de educatione prolium, quousque hae minorennes sunt, Patrem solum disponere, eo autem mortuo tutelam naturaliter in matrem superstitem devolvi quidem, ast simul patri integrum esse adhuc in vivis coniugi suae consiliarium quempiam ceu tutorem constituere, in dispositiones circa educationem prolium essentialiter influxurum; coniugibus porro pacta et conventiones, quae iuribus patris praeiudicent, inire cautum esse, omnes autem conventiones ut robur habeant, ante nuptias coram Civili Magistratu concludendas venire, nec amplius mutari posse. [227])

§. 72.

Resultata ex legislatione Gallicana quoad quaestionem de mixtis matrimoniis.

Si legislationem matrimonialem Gallicanam decursu Epochae huius tertiao vigentem, et cumprimis sanctiones Codicis Napoleonei magnam celebritatem et propagationem consecuti paulo attentius expendamus: sequentia relate ad quaestionem de mixtis matrimoniis resultata inde colligimus: 1. Cum, ut primo obtutu videre est, Legislatio Gallicana civilis, seposita omni ad Religionem relatione, de matrimonio quasi *mere civili quopiam contractu* leges statuerit, ea vero, quae religionis sunt, libero contrahentium arbitrio ac conscientiae reliquerit, sicque stricte ita dictum coniugium civile (Civilehe) introduxerit: de assistentia Parochi tamquam Religionis Ministri, in eadem legislatione frustra quidquam quaerimus, minus adhuc de eo, quaenam in celebratione mixtarum nuptiarum a Parocho forent servanda: haec omnia e sensu Codicis civilis arbitrio contrahentium relinquuntur. 2. Potestatem determinandi: in quanam religione proles in genere, et e connubiis mixtae religionis susceptae in specie educandae sint, durante vita pater tam-

227) Mon. 96. pag. 108.

quam familiae caput habuit, cui nulla pacta aut conventiones praeiudicare potuerunt. 3. Conventionum sive transactionum antenuptialium ineundarum libertatem coniugibus legislatio Gallica quidem non ademit, cavit tamen, ne in iis quidpiam contineatur iuribus patris adversi, item ut eae non aliter quam in forma iuridica coram Magistratu ineantur. 228)

V. Status mixtorum matr. in aliis Regnis.

§. 73.

In Regnis Septemtrionalibus, signanter Dania, et Suecia.

Admodum pauca constant de disciplina circa mixtas nuptias in Regnis Septemtrionalibus Dania et Suecia observata: unum duntaxat alterumve decretum ex sexagesimis et septuagesimis Seculi 18. annis communicarunt novissime Ephemerides *Coppenhagenses* In *Dania*, ubi summa erga Catholicos grassabatur intolerantia, decreto Regio dd. 19. Sept. 1766. statutum legimus: a parte catholica, quae cum lutherana matrimoniale foedus pangere cupit, praevie reversales literas super eo dandas esse, quod omnes proles in Confessione Lutherana educari permissura sit, et coniugem suum ad fidem Catholicam nequaquam perductura. 229)

In *Suecia* decretum dd. 19. Jul. 1779. id disposuit: ut ad casum quo sponsi diversae religionis praevio pacto educationem quarumvis prolium protestanticam stipulati non essent, filii patris, filiae matris confessionem sequantur; copulatio autem pendeat ab arbitrio Sponsorum, num eam a parocho catholico vel protestantico ministro peragi cupiant, stola mihilominus semper posteriori cedat. 230)

---

228) cf. *Die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen. Katholik. 64. Band. 1837. p. 140—149.*

229) cf. *Allgemeine Zeitung. 1840. de 5. April. Beil. No. 96.*

230) Vid. *Die neuesten Religionsbegebenheiten mit unpartheyischen Anmerkungen für das Jahr 1785. Giessen und Marburg. X. Stück. p. 747.*

§. 74
In Russia, et America Septemtrionali.

In Russia conclusum *Tractatus Varsoviensis*[231]) Gubernio Russiae Albae pro futura cynosura et observantia dd. 13. Nov. 1780. intimatum; recentiori vero decreto dd. 24. Januar. 1784. pro Provinciis Finnlandiae statutum est: ut proles e mixtis connubiis semper in confessione patris educentur. [232])

In America Septemtrionali Synodus Baltimorensis sub primo Praesule Joanne Carrol a. 1791. celebrata connubia mixta Catholicis simpliciter interdixit.[233])

---

§. 75.
Literatura ex Epocha III.

A) Catholicorum. Ex horum numero primum, ut par est, nominamus

37. Benedictum XIV. Papam, auctorem celeberrimi operis *De Synodo Dioecesana libri tredecim. Ferrariae. 1767.* cuius prima editio prodiit Romae 1748. In opere isto de mixtis matrimoniis saepius tractat, praesertim vero *Lib. VI. Cap. 5.* ss. ubi expositis constitutionibus suis circa matrimonia Catholicorum cum haereticis et horum inter se pro Hollandia aliisque regionibus editis [234]) opportunas inviationes et instructiones pro Ordinariis locorum et animarum pastoribus suppeditat. Theoria vero Benedicti XIV. de mixtis matrimoniis in summa haec est: Illicitum ac sacrilegum esse, cum haereticis connubia inire; quod taliter unum idemque Sacramentum cum illis vel conficiatur, vel percipiatur; hinc Ecclesiam iisdem fere legibus, quibus Christianis interdixit, ne coniugia cum infidelibus contrahant, Catholicos

---

231) cf. §. 58.

232) *Allgemeine Zeitung. 1841. No. 106. p. 846.*

233) cf. *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1841. p. 210.*

234) cf. §. 49. ss.

pariter a sacrilegis nuptiis cum haereticis contrahendis deterruisse; Episcoporum itaque officium esse, maxima Catholicis denunciare pericula, quae tam ipsis, quam nasciturae soboli ex praefatis imminent nuptiis; nec eas cohonestari posse obtentu solius consuetudinis, nisi ea pericula removeantur: quod licet admodum sit arduum, non tamen esse impossibile, cum tales reapse circumstantiae concurrere possint, quae si ab eo, qui facultatem habet dispensandi, expensae fuerint, aditum aperiunt concessioni legitimae dispensationis; et ideo iis in locis, ubi huiusmodi matrimonia sic contrahi permittuntur, expedire, ut Episcopus ad tuendum Ecclesiae decorem ritus in eorumdem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat; benedictionem vero nuptiis mixtis impendi haud posse. — *Lib. IX. cap. 3.* asserit: matrimonia catholicorum cum haereticis aliter licita evadere non posse, quam *per dispensationem a Romano Pontifice obtentam*, exclusis Episcopis, nisi ab illo facultatem acceperint dispensandi. Contra illos demum, qui matrimonia mixta, habita licet Pontificia dispensatione, illicita et peccaminosa esse contendunt, statuit Benedictus: eadem per dispensationem omnino licita fieri, cum dispensatio sub iis solum conditionibus tribuatur, ut Religio Catholica in prolibus conservetur, et pars catholica curet, quo haereticam ad orthodoxam fidem amplectendam perducat. [235]).

38. Vincentius Lud. Gotti in *Theologia scholastico-dogmatica iuxta mentem D. Thomae Aquinatis. Tom. III. Venet. 1750.* Tract. 13. de Matrim. quaest. 2. dub. 3. §. 2. ad eam quaestionem: an matrimonia mixta inter catholicos et haereticos, saltem ex parte coniugis fidelis ac catholici sint *sacramenta?* respondet: probabilius non esse sacramenta, cum haereticus negans Sacramentum, non habeat intentionem suscipiendi Sacramentum; porro cum matrimonium prout unum est vinculum, ita unum sit sacramentum, vel ex utraque parte, vel ex neutra possit esse sacramentum.

---

235) Vid. Kutschker, *über die gemischten Ehen. Vien. 1838. p. 236—253.*

39. Ludovicus Habert, Doctor Sorbonicus, in *Theologia Dogmatica et Morali. Tom. II. Augustae Vind. 1751.* Tract. de Matr. cap. 9. §. 2. praeeuntibus Estio [236]), Sambovio et Gamachio [237]), Doctoribus Sorbonicis, matrimonia mixta *iure divino* esse prohibita defendit, inprimis ideo, quod gravia in illis concurrant sacrilegia, siquidem sacramentum indigne recipiatur et publicis peccatoribus a Corpore Christi seiunctis administretur, item haereticus catholico coniugi sacramentum conferat: unde etiam penes maximam licet cautionem matrimonia talia dissuadenda censet.

40. Isambertus, Doctor Sorbonicus priori recte contrariam amplexus est sententiam, dum docuit: matrimonia mixta iure tantum *humano* illicita esse; utque vim argumenti e notione Sacramenti petiti declinaret, asseruit: contrahentem catholicam partem sibi ipsi et non alteri ministrare sacramentum.

41. Franciscus Anton. Dürr, Professor *Moguntinus* singulari *dissertatione de potestate patria circa religionem liberorum. Moguntiae. 1755.* [238]) argumentum isthoc uberius discutiendum sibi proposuit: moxque in principio sui laboris a studio partium intuitu religionis se plane alienum profitens, principia *Juris Naturae* pro fundamento ponit, illisque placita *Juris Publici* superstruendo, sua dein evolvit resultata. Quoad *primum:* parentibus vi iuris naturalis potestatem competere, imo et obligari eosdem, religiosam prolium educationem saltim eousque dirigendi, donec eae ad proprii iudicii maturitatem pervenerint, parentumve religionem fors minus rectam esse convictae, ipsae ius nanciscantur proprii potius arbitrii nutum, quam voluntatem parentum sequendi. Quoad *alterum:* ex Jure Publico Germaniae probare conatur, in regula liberos in religione patris seu capitis familiae educandos esse: potestatem ta-

---

236) cf. §. 46. num. 16.

237) cf. §. 46. num. 19.

238) Exstat in Schmidtii *thesauro Juris Eccles. T. VI. Heidelbergae. 1777. pag. 674—704.*

men hanc patriam haud esse illimitatam, sed per pacta dotalia restringi et sic determinari posse censet, ut proles vel omnes in religione alterutrius parentum, vel pro diversitate sexus filii in patris, filiae in matris fide educentur. De pactis circa educationem prolium religiosam agens, statuit: pactum non aliud licitum esse, quam quod initur de educatione in Fide Catholica, huic contrarium irritum et impium fore Jure Canonico, non tamen Jure Germanico, ubi omnes tres Christianae Confessiones uno habentur loco, et cuilibet libertas conscientiae atque optio exinde resultans tribuitur, quamcunque e toleratis religionem profitendi: hinc Jure Germanico pactum de educandis in Protestantismo liberis non minus iustum fore, ac illud de prolium in fide Catholica educatione.

42. Collator Parisiensis, ut passim nominatur, seu editor celebrium *Conferentiarum* sive *Collationum Ecclesiasticarum*, Lesemelier, de quo jam in historia sermo occurrit [239]), hoc loco peculiariter commemorandus venit. Conferentiae hae Parisiis institutae, primum per Parochum ad S. Nicolaum Boucher collectae, dein per dictum Lesemelier a. 1756. editae sub titulo: *Conférences ecclesiastiques de Paris, sur le Mariage, ou l'on Concilie la discipline de l' Eglise avec la Jurisprudence du Royaume de France. Etablies et imprimées par ordre de S. E. Mgr. le Cardinal de Noailles, Archevéque de Paris. 1756. Nouvelle edition a. 1773.* Tomo I. lib. 1. §. 3. p. 36. ss. item T. III. lib. 1. p. 14. ss. tractant de matrimoniis catholicorum cum haereticis: quae omnino valida esse, e comparatione praxeos Ecclesiae Latinae cum Graeca, illa olim irritante, pluribus probat; cumprimis autem ex eo: quod nec in mixtis matrimoniis quidquam desit ad Sacramentum constituendum, quodque haereticus etiam sit capax suscipiendi Sacramentum Matrimonii. Circa quaestionem: an semper peccetur, quoties pars catholica cum haeretica matrimonio iungitur? tenent hae Collationes: in dispensatione Ecclesiae pro ineundo tali coniugio tunc saltim abesse culpam, si

---

239) cf. §. 41. et 68.

preces et benedictio omittendae decernantur, cum in eiusmodi casu Ecclesia nec suadere, nec commendare talia connubia censeri possit, sed solum id declarare: quod ea nec iuri naturae nec divino repugnent, ac proin Ecclesia toleret tantummodo, quod impedire nequit. [240])

43. Gallus Cartier, in *Theologia universali a Religiosis Monasterii D. Ettonis, vulgo Ettenheim-Münster dicti, Ord. S. Bened. in Brisgovia tradita. Tom. IV. Augustae Vind. 1757.* Tract. 8. de Sacr. Matrim. Part. 3. cap. 2. matrimonia catholicorum cum haereticis in Germania probare videtur, quasi nullum illic subsit periculum perversionis, et si etiam esset, id certe elidatur per spem conversionis alterius coniugis, imo teste experientia coniux haereticus facilius ad fidem convertatur, quam catholicus pervertatur. Dubitat quoque, an in Germania benedictio iure prohiberi possit, cum potius in matrimoniorum mixtorum celebratione eaedem prorsus solennitates, quae in pure catholicis, observandae veniant.

44. Anacletus Reiffenstuel, in *Jure Canonico universo. Maceratae. 1760. Tom. IV.* lib. 4. tit. 1. §. 10. sententiae ei Canonistarum contradicit, qui existimant in locis nonnullis, e. g. Germania, Gallia, Polonia ex recepta consuetudine et tolerata licite iniri matr. mixta; censet enim, in praxi vix unquam removeri scandalum et periculum, praeterea in Germania semper tacitum, si non expressum, adiectum haberi pactum de prolibus iuxta sexum parentum in religione educandis, cuiusmodi pactum sit semper et ubique illicitum, iniquissimum et graviter peccaminosum. Idem in *Theologia Morali. T. II. Romae. 1765.* Parochos energice hortatur, ut quum ex connubiis mixtis passim maiora eveniant mala quam bona, talibus, quoad possunt, se opponant, numquam vero iis assistant, in quibus sponsi paciscuntur de parte prolium in haeresi educanda.

240) Quamvis autem in opere isto *Collationum Eccles. Paris.* multa utilia contineantur: plura tamen simul in eo proponuntur veteri iurisprudentiae de contractu civili matrimonii accomodata, quae hodie minus opportuna videntur.

45. Caspar Juenin, Oratorii Gallicani Presbyter, in *Commentario historico et dogmatico de Sacramentis. Venetiis. 1773.* diss. 10. de Matr. quaest. 7. cap. 6. art. 3. accedit eorum opinioni, qui iure divino illicita tenent mixta matrimonia, ex verbis Apostoli: „nolite iugum ducere cum infidelibus" iuxta communem Patrum sensum praeceptum divinum in se continentibus, et pari ratione ad haereticos, quam ad infideles spectantibus; porro censet iuri quoque naturali repugnare mixta connubia, cum, quantacunque adhibeatur humana diligentia, in praxi tamen semper periculum perversionis adsit; dispensationes Pontificias ait recentioris esse instituti, ante *Clementem VIII.* non concessas, et Summos Pontifices in dispensando secutos fuisse opinionem, quae ipsis videbatur probabilior, sed non certa, atque ideo praxi, quam iidem rogantium importunis precibus victi secuti sunt, non everti contrariae sententiae probabilitatem.

46. Joannes Laur. Berti, *Florentinus*, in *Theologicis Disciplinis. Tom. IV. Romae. 1765.* lib. 37. cap. 8. priori contrariam tuetur sententiam: nimirum quod opinio, quasi matr. mixta iuri naturali repugnent, falsissima sit, cum complura coniugia non cum haereticis solum sed cum ethnicis iure naturae nequaquam violato perstiterint, imo plura valuerint ad fidei incrementum et coniugum sanctificationem.

47. Honoratus Tournely, Doctor Sorbonicus, in *Praelectionibus Theologicis de Sacr. Matrimonii. Parisiis. 1765.* eiusdem est cum *Juenin* opinionis, nempe iure naturali ac divino illicita esse matr. mixta ob praesentissima pericula seductionis; dispensatione tamen fieri licita, tum quia in aliquibus adiunctis pericula illa a matrimoniis istis separari possunt, tum quia profanatio Sacramenti et irreverentia non necessario annexa est celebrationi horum connubiorum, saltim ex parte coniugis catholici non, quippe qui suo duntaxat iure utatur, nec habeat intentionem parti secum contrahenti occasionem dare ad profanationem Sacramenti.

48. Natalis Alexander, in *Theologia dogmatica et morali. Tom. III. Parisiis. 1767.* de Sacr. Matr. cap. 4. art. 8. consuetudinem contrahendi matr. mixta in regionibus,

in quibus catholici haereticis permixti vivunt, non esse rationabilem, nec legitime praescriptam, sed peccaminosam ostendit, de eaque valere, quod *B. Cyprianus* ep. 1. dixit: „consenserunt iura peccatis, et coepit iam licitum esse, quod publicum est."

49. Lucius Ferraris, in *Bibliotheca canonica, iuridica, morali, theologica. Tom. III. Romae. 1767. Art.* „Haereticus" pag. 306. matrimonia mixta, nisi Papa dispenset, aut aliae rationabiles causae excusent *sub peccato mortali* esse illicita, pactum vero de prolibus masculis in fide orthodoxa patris, foemellis in secta haeretica matris, et vicissim educandis iniquissimum ait. *Tom. V. Art.* „Matrimonium" pag. 31. nuptias mixtas nequaquam benedicendas, nec ritum connubii intra ambitum Ecclesiae peragendum censet.

50. Petrus Collet, Tournelyi Continuator in *Tractatu de universa Theol. Morali. Tom. VIII. Venet. 1769.* cap. 2. tenet: matr. mixta omni iure graviter esse prohibita, posse tamen nonnumquam ex dispensatione Ecclesiae iniri, inprimis si statuatur, matrimonia talia ex parte haeretici simplicem ac merum esse contractum. Contra *Basilium Pontium* [241]) asserit: ne tunc quidem licite contrahi matr. mixta, si eximia quaepiam suadeat causa, quamprimum probabile adest perversionis periculum: cum proximam peccandi occasionem semper vitare oporteat, nec liceat sequi opinionem minus tutam, nisi sit multo probabilior.

51. Benedictus Stattler, in *Theologia Christiana theoretica. Eustadii. 1780.* Tract. VI. de Sacram. cap. 7. §. 622. singularem profert sententiam: Ministrum nempe Matrimonii esse Sacerdotem, eiusque benedictionem ad essentiam Sacramenti spectare, in eaque vim practicam sacramenti in ordine ad conferendam nubentibus gratiam consistere; §. 624. autem: matrimonium catholici cum haeretico sub sacerdotali benedictione initum in locis, in quibus catholici cum haereticis degunt, accedente dispensatione aut ordinaria permissione, esse sacramentum practicum con-

---

241) cf. §. 21. num. 4.

ferens gratiam coniugi, qui eius parte ex sua capax est, cum pars acatholica etsi in errore formali constituta non impediat vim ac rationem Sacramenti, licet fructum et gratiam sua ex parte impediat.

B) Protestantium. Ex his commemoramus:

52. Breitenbach, *de matrimonio allophylorum seu personarum diversae religionis. Giessae. 1740.*

53. Jos. Ernst, *dissertatio de irrevocabilitate pacti matrimonio catholicam inter et augustanae confessioni addictum de educandis in fide catholica liberis adiecti. Moguntiae. 1740.*

54. Pestel, *num pacta dotalia, quibus cautum, ut masculi patris, foeminae matris religione imbuantur, sunt servanda? Rintelii. 1752.* [242])

55. Joh. Hermann Benner, in *oratiuncula de potestate patris in prolem maternis sacris addictam. Giessae. 1761.* propugnat paria iura patris ac matris, et ideo educationem prolium religiosam iuxta sexum parentum dividendam esse.

56. Christianus Jacobus de Zwierlein, *Nebenstunden. I. Thl. Giessen. 1778.* dissert. IX: „Ist ein Landesherr befugt, eine Verordnung zu geben, nach welcher die aus vermischten Ehen erzeugten Kinder so getheilt werden, dass die Söhne dem Glauben des Vaters, die Töchter der Mutter folgen?" pag. 169—196. ex iure naturae et gentium probare conatur: Principem habere ius majestaticum non tantum limites defigendi, intra quos diversae religiosae societates in suo territorio se contiuere debeant, verum et determinandi, in quanam religione proles e disparis religionis connubiis educandae sint; ipsoque iure naturali dictante consultissimum fore ita decernere, ut proles masculae patris, foemellae matris religionem amplectantur. — Dissert. X. autem: „Ist ein Landesherr befugt, einer Verordnung über vermischte Ehen eine Strafe

242) Tria haec opera, adhibito, licet omni conatu, nullibi invenire potuimus, unde illorum argumentum uberius proponere non valemus.

gegen die Übertreter anzuhängen?" p. 199—204. affirmativam defendit, provocando ad complures leges olim latas et sanctione quoque munitas, signanter *Argentoratensem*, quae in praevaricatores poenam privationis iuris concivilitatis dictavit.

57. Commemorari meretur dissertatio anonymi: *Über Heirathen zwischen Personen evangelischer und katholischer Religion. Iris, eine Monatschrift von Deutschen und Schweizerischen Gelehrten. Zürich. 1805. Jun. pag. 518—532.* in qua praemisso eo, quod matrimonia mixta iuxta principia Juris Civilis et Moralis in abstracto consideratae, item tolerantiae ac humanitatis nefors iustificari possint: eadem obtutu tam religioso, quam experientiae dissuadenda esse, ostenditur; praeprimis vero ideo, quod coniuges religione dispares nequidem in genuina notione matrimonii consentiant. Factis dein pluribus contra principia per Legislationem Civilem quoad religionariam educationem prolium stabilita animadversionibus, auctor tam Helvetas Civitatis Moderatores, quam Ministros Religionis alloquitur: et hos quidem ad dissuadenda suis auditoribus mixta connubia, illos autem ad id provocat, ut libertatem ineundi connubia haec restringant, nec nisi ab illis contrahi indulgeant, pro quibus publica stat opinio characteris moralis et religiositatis.

EPOCHA IV.

A Foedere Germanico a. 1806. usque Congressum Viennensem anno 1815. celebratum.

I. Status mixtorum matr. in Provinciis Foederis Germanici Rhenani.

§. 76.

Per Foedus Phenanum Protestantes inter et Catholicos perfecta aequalitas iurium stabilita. Mixta matrimonia in Würtembergia.

Per Foedus Germanicum Rhenanum die 12. Julii 1806. signatum, quod inter *Würtembergum*, *Bavarum*, *Badensem*, *Hasso-Darmstadtensem*, *Francofurtensem*, *Nassoviensem* aliosque Germaniae Principes conclusum fuit, non exigua intuitu coordinationis reipublicae sacrae ac profanae mutuaequa inter diversas Christianas Confessiones relationis mutatio evenit: nam statutum est, ut in omnibus Statibus Germaniae Catholicos inter et Protestantes absque ullo discrimine plena et perfecta *aequalitas* respectu iurium et exercitii religionis introducatur; id quod in nostram quaestionem de matrimoniis mixtis non parvum exserere debuit influxum. Videamus itaque, qualiter in sequelam decreti huius Foederis Rhenani res matrimoniorum mixtorum in Statibus Germanicis coordinata fuerit.

In Regno Würtembergico per Edictum Religionis dd. 15. Octobr. 1806. sublatis quibusvis anterioribus constitutionibus libertati Religionis Catholicae praeiudiciosis [243]), huic plena exercitii libertas concessa, et circa ma-

---

243) cf §. 28. et 61.

trimonia mixta sequentia ordinata sunt: a) necessitas petendae a Regimine dispensationis sublata, liberumque declaratum est, matr. mixta inire. b) Proles ordinarie usque annos discretionis in confessione patris educari iussae, parentibus tamen in salvo relicto iure, aliud per pacta coram Magistratu, cui vir subiectus est, ineunda, determinandi, eo unice observato, quod, dum vir est evangelicus, filii casum in omnem eiusdem Confessionem sequi debeant. c) Copulationem et benedictionem ad valorem matrimonii necessariam semper a parocho sponsi peragendam esse, nilque obstare, quominus erga desiderium partis alterius etiam minister religionis eiusdem ritu suo benedictionem impertiri valeat [244]). — Quamtumvis in prologo Edicti istius solennibus verbis spondeatur, Catholicos in posterum plena exercitii religionis suae libertate, item iisdem iuribus, quibus Protestantes fruuntur, donandos fore: ex tenore tamen Edicti mox attacti satis apparet, iura catholicorum in matr. mixtis admodum constringi, signanter in casu, quo vir est evangelicus: tunc enim non obstantibus pactis, proles masculae semper in confessione evangelica educari debent. [245])

Rescripto anni 1810. dispositio ea legis, ut in defectu pactorum omnes proles in confessione patris educentur, ita modificata est: ut, dum coniuges aliunde in Regnum immigrant, et praevie in pactis nuptialibus quoad educationem prolium religionariam quidquam decernunt, pacta

---

244) Mon. 97. pag. 110.

245) M. Jäger, *die Würtembergische Gesetzgebung über gemischte Ehen. Studien der evang. Geistlichkeit Würtembergs. XI. B. Stuttgart. 1839. p. 32. f.* apposite animadvertit: „Stellt sich der Staat völlig indifferent gegen alle confessionellen Verhältnisse, und will er allen Confessionen gleiche Rechte einräumen, so sollte er kein Interesse mehr zeigen, der Verbreitung der einen Confession auf Kosten der andern Vorschub zu thun. Wenn diess gleichwohl in obigen Verordnungen sichtbar ist, so ist diese scheinbare Inconsequenz nur dadurch zu erklären, dass der Landesregent hier seine eigene Confession in die Wagschale legt und noch einmal die Erinnerung auftaucht, deren sich die Würtembergischen Regenten nie ganz entschlagen werden, dass Würtemberg seine politische Selbstständigkeit der Reformation zu danken hat."

haec relate ad proles post Edictum anni 1806. genitas ultro quoque in suo vigore conserventur, libera tamen coniugum voluntate mutari etiam possint.

§. 77.

Status matr. mixtorum in MM. PP. Hasso-Darmstadtensi, et Badensi.

Ex Magno Principatu Hasso-Darmstadtensi memorabilem hac Epocha recensemus repraesentationem Vicariatus Deutzensis in Archidioecesi *Moguntina* adversus decretum Regiminis anno 1805. priore periodo iam relatum [246]: Vicariatus nimirum ope circularium ordinum dd. 20. April. 1806. ad parochos protestatione contra memoratum decretum interposita, enunciavit: statuta illic circa copulationem sponsorum mixtae religionis arbitrio eorumdem relinquendam, item quoad educationem religionariam prolium iuxta sexum parentum instituendam condita principiis legibusque Ecclesiae Catholicae repugnare, Parochosve ad exacte servandas canonicas sanctiones porro etiam obligari. [247]

In M. Principatu Badensi dd. 14. Maii 1807. emanavit Edictum Religionis matr. mixta regulans: iuxta quod educatio religionaria prolium ex iis genitarum sic decisa est, ut in regula proles omnes in confessione patris; praeexistentibus autem parentum conventionibus legitime ac ante nuptias initis iuxta has educentur; conventiones durante matrimonio nequaquam mutentur; per pacta demum educationem iuxta sexum parentum dividere integrum sit quidem, at omnes proles in religione matris iis tantum in locis educandas determinare liceat, in quibus religio, quam mater profitetur, pleno iure liberi exercitii perfruitur. [248]

Peculiariter notanda hic loci est dispositio Vicarii ac Administratoris Episcopatus *Constantiensis*, Ignatii Baronis de Wessenberg circa mixta matrimonia dd. 3.

246) cf. §. 61.
247) Mon. 98. pag. 111.
248) Mon. 99ª. pag. 112.

Dec. 1808: „ut matrimonia haec supra modum non difficultentur, et parochi parti quidem catholicae id in animum inducere satagant, quo ipsa ab altera parte omnium prolium in Religione Catholica educationem impetret; quod si obtineri non posset, adminus partem prolium catholice educari procuret, ita, ut filii in patris, filiae in matris confessione instituantur." [249]) Propter hanc dispositionem Vicarius antelatus Romae male audiit, eique per literas *Cardinalis Consalvi* significatum est: Ordinariis haud competere facultatem dispensandi in impedimento disparis religionis, dispositionemque memoratam principiis Ecclesiae minime esse conformem. [250])

§. 78.

In Principatibus: Nassoviensi, Megalopolitano, et Oldenburgico.

Princeps Nassoviensis concessa irrestricta libertate ineundi matr. mixta, proles utriusque sexus sine discrimine in religione patris educandas statuit, abrogatis una quibusvis transactionibus et pactis, quae in obversum legis suae conjuges inire vellent. [251])

M. Princeps Megalopolitano-Schwerinensis (Mecklenburg-Schwerin) dd. 25. Januar. 1811. decrevit: ut mixta matrimonia per Ministrum religionis, quem sponsi sibi delegerint, copulentur, determinatione super eo: in quanam religione proles educari debeant, aeque arbitrio sponsorum relicta. [252])

M. Dux Oldenburgicus decreto dd. 12. Febr. 1810. educationem prolium e matr. mixtis in confessione patris,

---

249) Mon. 99[b.] pag. 113.

250) Acta correspondentiarum inter Cardinalem Consalvi, et Bar. Wessenberg inde a 2. Septemb. 1817. usque 16. Decemb. 1817. Romae habitarum continentur in opere: *Denkschrift über das Verfahren des Römischen Hofs bei der Ernennung des Gen. Vicars Freyh. v. Wessenberg zum Nachfolger im Bisthum Konstanz und zu dessen Verweser, und die dabei von Sr. königl. Hoheit dem Grossherzoge von Baden genommenen Massregeln. Karlsruhe 1818. p. 9. ff.*

251) Mon. 100. pag. 114.

252) Mon. 101. pag. 115.

copulationem quoque a ministro religionis, quam sponsus sequitur, peragendam iussit: conventionum tamen inter sponsos ineundarum libertatem nequaquam sustulit. [253])

§. 79.

In M. Ducatu Francofurtensi, et Archidioecesi Moguntina.

Magnus Dux Francofurtensis, et simul Archiepiscopus Moguntinus ac Germaniae Primas Carolus Dallberg, pro ditione Francofurtensi ope Edicti dd. 5. Sept. 1811. sequentia de matr. mixtis disposuit: a) copulationem a libero sponsorum arbitrio pendere, num illam a parocho catholico, vel a Ministro protestantico peragi cupiant; b) determinium religionis, in qua proles educandae sint, principaliter patri qua capiti familiae competere, ita tamen, ut etiam pacisci eatenus inter parentes liceat; c) in defectu pactorum omnes proles in confessione patris educandas esse [254]). — Idem M. Dux in altero decreto, quod pro regulandis matrimoniis Protestantium dd. 23. Maii 1812. in XXVI. articulis edidit, pro casibus controversis decidendis, aut dispensationibus in vetitis gradibus petendis quamlibet partem ad suam competentem Jurisdictionem inviavit. [255])

Cum prior dispositio Dallbergi menti Ecclesiae Catholicae haud conformis, et ob insignem erga aliter sentientes tolerantiam a multis peculiariter laudata sit [256]): iuvat praxin in Archidioecesi Moguntina, cui Dallberg praefuit, usitatam uberius contemplari: quam exhibuit Kopp, Magno Duci Francofurtensi Dallbergo a consiliis [257]). Ordinariatus Moguntinus dd. 16. Sept. 1811. ani-

---

253) Mon. 102. pag. 115.

254) Mon. 103. pag. 116.

255) Vid. *Sammlung einiger Landesgesetze über gemischte Ehen. Berlin. 1838. n. 31—38.*

256) Signanter laudat eam Auctor libelli: *Rationaler und historischer Standpunct zur Beurtheilung des Verhältnisses zwischen Staatsregierungen und dem Römischen Stuhle in Beziehung auf gemischte Ehen. Köln. 1838. p. 115.*

157) *Die katholische Kirche im XIX. Jahrhunderte, und die zeitgemässe Umgestaltung ihrer äussern Verfassung mit besonderer Rücksicht*

marum curatores eo inviavit, ut nupturientibus mixtae religionis, intentionem Ecclesiae Catholicae quoad catholicam educationem liberorum praevie in tuto ponendam serio exponant, ab omnibus tamen indiscretis aut plane coactivis mediis sedulo abstineant; quodsi sponsi monita nihili ducendo conditioni praeallatae satisfacere nollent, duo diversi casus emergere poterant: vel nempe contrahebantur mixta connubia in iis partibus Moguntinae dioecesis, in quibus religiosa prolium educatio per leges civiles determinata erat; vel in talibus locis, in quibus tota de hoc obiecto dispositio arbitrio sponsorum fuit relicta. Ordinariatui visum est, legem determinatam multo magis idoneam esse ad tranquillandam partis catholicae conscientiam, quam si tota decisio huius negotii a libera sponsorum voluntate dependeat; praesertim vero placuit Ordinariatui Moguntino ea legis civilis dispositio, secundum quam omnes liberi e matr. mixtis geniti in confessione patris fuerant educandi, tum quod patriae potestatis ius pro ea pugnet, tum quod, dum pater est catholicus, alioquin nulla proles Ecclesiae Catholicae eripiatur, dum autem mater est catholica, spes semper adsit, fore, ut ipsa successu temporis virum suum ad admittendam catholicam educationem permoveat. — In locis pure catholicis, in quibus de religione liberorum disponere libere poterant sponsi, in regula Ordinariatus adversus pacta eum in sensum inita, ut pars una prolium in Confessione Protestantica educetur, vocem suam attollere haud intermisit, Parochosque eo reflectere, ut, quantum possunt, ab ineundis eiusmodi pactis partem catholicam dehortentur; in locis attamen mixtis, in quibus matrimonia mixta sine pactis Religioni Catholicae haudquaquam conformibus iniri vix poterant, mitius egit Ordinariatus, et talia coniugia benedici quoque indulsit, numquam tamen in casu, quo omnium prolium in confessione protestantica educatio praevie stipulata exstitit.

---

auf die in dem ehemaligen Mainzer, später Regensburger Erzstifte hierin getroffenen Anstalten und Anordnungen. Mainz. 1830. p. 374. ff.

§. 80.

In M. Ducatu Saxo-Vimariensi, et provinciis Rhenanis sub imperio Gallorum constitutis.

In M. Ducatu Saxo-Vimariensi pro communitate catholica civitatis *Jenensis*, pro qua Napoleon Ecclesiam fundavit, in mutua cum M. Duce Francofurtensi cointelligentia perlatum est *decretum regulativum* dd. 19. April 1813. quod circa matr. mixta constituit: proles in sensu transactionis inter coniuges initae, secus autem pro diversitate sexus in religione utriusque parentum educandas; copulationem vero ordinarie a parocho sponsae peragendam esse, nil tamen obstare, quominus et minister religionis sponsi illam perficiat. [258])

In Provinciis ad Rhenum, quae sub imperio Gallorum erant, huius Epochae initio *Codex Napoleoneus* [259]) vigebat; unice quoad copulationem et signanter benedictionem nuptiarum mixtarum decretum Cardinalis Legati Caprara eam posuit normam: ut benedictio haud alias detur, quam educatio liberorum praevie stipulata sit. Contra Decretum hoc Protestantes ad Thronum Regium repraesentare haud intermiserunt: sed a Ministro Cultus Portalis [260]) dd. 17. Mart. 1806. id obtinuere responsi: conditionem Ecclesiae Catholicae de promittenda praevie catholica prolium educatione esse merum Ecclesiae votum, remque pure disciplinarem, quae tantum ad Sacramentum, et non etiam ad contractum matrimonii referatur, ac proinde acatholicos minime obliget [261]). ita scilicet Minister Gallicus ex principio legislationis Gallicanae [262]) matrimonium in ratione con-

258) Mon. 104. pag. 117. cf. Alex. Müller, *kirchenrechtliche Erörterungen mit besonderer Beziehung auf das GH. Sachsen-Weimar. Weimar. 1823. p. 32. ff.*

259) cf. §. 71.

260) cf. §. 71.

261) Vid. *Rationaler und historischer Standpunct* etc. ut *not. 256.* pag. 115. not.

262) cf. §. 72.

tractus et ratione sacramenti tamquam duo ab invicem diversa elementa considerando, sanctionem Ecclesiae de universa prole e mixtis connubiis genita catholice educanda eludere se posse sibi blandiebatur!

§. 81.

Status mixtorum matrim. in Bavaria.

In Bavaria primis Epochae istius annis particulares duntaxat in casibus ad decisionem Regiminis relatis editae leguntur resolutiones tam circa copulationem arbitrio desponsorum committendam, quam in casum denegatae a parocho catholico benedictionis ad eandem a ministro acatholico recipiendam: illa dd. 31. Maii 1806. haec dd. 21. Dec. 1806. — Anno autem 1809. dd. 24. Martii publicatum est Regium Edictum in merito Religionis: in quo sequentes quoad mixta matrimonia factae sunt provisiones: a) contractus super religionaria prolium educatione a parentibus diversae religionis conclusos debite servandos; b) in eorum absentia proles masculas in confessione patris, foemellas in fide matris educandas; c) superato per proles 21° aetatis anno, iisdem liberam religionis electionem relinquendam esse; d) Superioribus Ecclesiasticis ius competere, contractus antenuptiales et quaevis documenta ad meritum religionariae prolium educationis spectantia inspiciendi, eorumve executioni invigilandi [263]). Cum autem quoad ius copulationis personarum, quae mixto matrimonio invicem iunguntur, nihil in memorato Edicto constitutum haberetur: Resolutio Regia dd. 25. Sept. 1814. sanxit, a partium contrahentium pendere arbitrio, num iuxta huius vel illius religionis ritum eandem suscipere velint, in nullo tamen casu a respectivo parocho literas dimissoriales denegandas esse [264]). Apparet, legem hanc principiis catholicis alioquin absonam, insuper ita comparatam esse, ut partem contrahentium catholicam quodammodo indifferentem efficiat, parochum vero catholicum ad extradandas etiam contra suam

263) Mon. 105ª. pag. 117.
264) Mon. 105ᵇ. pag. 118.

10 *

conscientiam literas dimissoriales stringat, quarum nempe vigore minister acatholicus ad copulationem peragendam authorisetur. [265])

II. Status matr. mixtorum in aliis Regnis.

§. 82.

In Borussia.

Ex decretis Regiminis unicum duntaxat praesente Epocha notatu dignum censemus, dd. 25. Nov. 1813. emanatum: in quo declaratur, ex *baptismo* prolis e mixtae fidei parentibus genitae, in hac vel illa Ecclesia peracto concludendum esse ad consensum parentum in id ultro praestitum, ut proles in ea religione instituatur cuius minister illam baptisavit. [266])

In Dioecesi Monasteriensi, quae multiplicia fata subiit, siquidem nunc Borusso, nunc Principatui Bergico, iam Gallo, demum rursum Borusso paruerit, sub Vicariatu Clementis Augusti Baronis a Droste-Vischering ea viguit praxis: ut, dum sponsus acatholicus educationem omnium prolium in Fide Catholica promittere recusavit, parochus catholicus simplici solum praesentia tali matrimonio adstiterit, neque illud benedixerit, prout ex literis antedicti Vicarii ad Regimen 16. Maii 1809. datis colligitur. [267])

§. 83.

In Gallia. Breve Pii VII. ad Episcopos a. 1809.

Inter monumenta Epochae praesentis non postremum locum tenet Epistola Pii VII. ad Episcopos Galliae dd. 17. Febr. 1809. in merito dispensationum matri-

265) Vid. Stapf, *vollständiger Pastoralunterricht über die Ehe. Neu herausgegeben von Egger. VI. Aufl. Frankfurt. 1838. p. 150. ff.*

266) *Neues Archiv der Preussischen Gesetzgebung. 3. B. p. 295.*

267) Mon. 106. pag. 118. — Vid. *Über die Cölnische Angelegenheit. Darstellungen, Betrachtungen, und Vorschläge von* Irenaeus. *Leipzig. 1838. p. 63. ff.*

monialium edita: cui occasionem dederunt multiplices Praesulum Gallicanorum literae ad Summum Pontificem dimissae, id continentes, ut e respectu plurium ac simul gravissimorum impedimentorum, quae prohibent, quominus pristina sacrorum canonum severitas in Gallia revocari possit, ampliores facultates, et inter has cumprimis illam ad ineunda mixtae religionis coniugia, Summus Pontifex Praesulibus impertiri dignetur. At Summus Pontifex rescribens, complures quidem facultates iisdem concessit, intuitu mixtorum matrimoniorum attamen precibus eorum minime detulit, sed proposita plurium antecessorum suorum contra eiusmodi connubia ab Ecclesia numquam non reprobata, et nonnisi aegre, multisque cum cautionibus admissa, sententia, Episcopos hortatus est, ut illa removere atque impedire satagant. [268])

§. 84.

In Helvetia, et Russia.

In Helvetia, cuius complures Cantones, praeprimis ii, qui Protestantium numero ceteris maiores erant, matrimonia mixta a longiori iam tempore promiscue permittebant et protegebant, alii vero latis quoque poenis, puta exilio, bonorum confiscatione, eadem interdicebant, initio Epochae huius libellum supplicem ad Sedem Apostolicam porrexerunt Episcopi, in eoque pari modo, ac Gallicani Praesules, generalem facultatem dispensandi quoad connubia mixta petierunt: at negativum responsum acceperunt [269]). Anno autem 1812. die 11. Junii Cantones fere omnes Concordatum inter se inierunt de mixtis nuptiis in posterum non prohibendis, minus poena exilii aut amissionis iuris civitatis mulctandis [270]). Hoc tamen non obstante Praesules in

268) Mon. 107. pag. 119. — Vid. *De impedimentis Matrimonii. Mechliniae. 1834. p. 194. ss.*

269) Nec literas Episcoporum Helvetiae, nec Breve Apostolicum ullibi reperire nobis licuit, unde monumenta haec vulgare haud possumus.

270) Mon. 108. pag. 120.

conventibus suis synodalibus canonicas Ecclesiae sanctiones adversus matr. mixta populo annunciare non neglexerunt: uti Episcopum Lausannensem a. 1812. matr. talia simpliciter interdicentem fecisse constat.

In Russia decretum anni 1784. pro Finnlandiae provinciis editum, et proles e mixtis connubiis in confessione patris educari disponens [271]), ope Manifesti dd. 20 Mart. 1812. renovatum, ac una decisum est: proles, quae vi huius decreti nec in graeca, nec in lutherana confessione educarentur, per parochos Graeci Ritus aut lutheranos ministros nequaquam baptisandas esse. [272])

---

§. 85.

Literatura ex Epocha IV.

Duos tantum ex hac Epocha commemorare licet, qui opusculis de mixtis matrimoniis inclaruerunt, et quidem utrumque Protestantem:

58. Christ. Frid. Ammon, Theologum *Dresdensem*, qui occasione scribendi, ut ipse narrat, inde sumta, quod apud *Helvetas* matrimonia cum Protestantibus ineundi facultate Catholicis per Sedem Apostolicam denegata, multi gravia in Sedem Romanam convitia iecerint, quippe quae connubia mixta, nec in SS. Literis nec primitiva Ecclesia unanimi consensu improbata, prohibuerit: concinnavit super hoc merito libellum sub titulo: *Prolusio de matrimonii a Catholicis cum Protestantibus ineundi confirmatione a Summo Pontifice Romano nuper frustra petita. Erlangae. 1807.* In eo disquirit, quisnam fuerit primae Ecclesiae de huiusmodi matrimoniis sensus? et ait: Divum Paulum ea haud reprobasse, ex Patribus plures mitius de iis sensisse, in Synodo Tridentina vero plane canonem de non solvendo ob haeresim vinculo coniugali perlatum fuisse: hincque infert, primum tardius Episcopis in mentem venisse, mixta condemnare matrimonia; sed „spem esse addit, ut Papa amo-

---

271) cf. §. 74.

272) *Allgemeine Zeitung. 1841. No. 106. p. 846.*

ris Christiani praeceptis, Patrum Ecclesiae, et bene multorum Episcoporum, Germanorum inprimis auctoritate, salutis familiarum innumerarum promovendae, pacis et concordiae inter Christianos stabiliendae studio, Codicis Napoleonici praestantia, Principumque precibus compulsivis ductus a legum pristinarum et hinc inde iam dudum antiquatarum praeceptis recedat, et matrimonia mixta indulgeat."

59. J. A. Bihler, *Darstellung der Ehehindernisse im Staate aus dem Begriffe der Ehe entwickelt. Eine von der Universität zu Landshut im J. 1811. gekrönte Preisschrift. Mit steter Rücksicht auf die preussische, französische, und österreichische Gesetzgebung* [273]. Inconsequentias prohibitionis matrim. mixtorum respectu politico ostendere studet, cetera inter asserens: omnem civem in Republica coram lege aequalem, proprieque nulla esse matrimonia mixtae religionis, sed duntaxat matrimonia civium, prohibitionem eiusmodi coniugiorum finibus ac rationibus Status Publici summe noxiam, et ideo a Principibus nequaquam acceptandam, sed potius mixta connubia etiam illo ex obtutu fovenda esse, ut sensim diversarum confessionum religiosarum asseclae uniantur.

---

273) Secunda editio opusculi huius prodivit *Norimbergae a. 1822.*

EPOCHA V.

A Congressu Viennensi a. 1815. usque annum 1831. quo in Comitiis R. Bavariae quaestio de matrimoniis mixtis magna contentione agitabatur.

I. Status mixtorum matrim. in Principatibus et Regnis Germaniae in sequelam Congressus Viennensis stabilitus.

§. 86.

Aequalitas iurium inter Catholicos et Protestantes in Congressu Viennensi denuo confirmata. Matrimonia mixta multiplicata ob Rescripta Principum principiis catholicis minus consona, ex parte quoque ob conniventiam Cleri.

Quod iam in Pacis Westphalicae tabulis anno 1648. signatis, et in Actis Foederis Rhenani de an. 1806. [274]) conclusum fuit, diversitatem quippe religionis inter cives nullam in usu et exercitio iurium civilium discrepantiam inducere posse, omnesque cuiuscunque e christianis in Imperio Germanico receptis Confessionibus asseclas coram Jure Publico aequales esse: id in celebri, cui parem non vidit orbis Europaeus, Congressu Viennensi post casum *Napoleonis* a. 1815. celebrato, per famosum Articulum XVI. sic dicti Foederis Germanici (Deutsche Bundesakte) denuo solenniter stabilitum, et instar normae in condendis per Principes legibus religionem quoquomodo, ac in specie mixtae quoque confessionis connubia attinentibus assumi decretum est. Nec deerant partibus suis Principes, quia leges, quas in obiecto religionis in genere, in

274) cf. §. 22. et 76.

in specie autem quoad matrimonia inter Catholicos et Protestantes ineunda pertulere, ad normam memorati Articuli exigere satagebant. Fatendum, ex hoc tempore nimis auctum fuisse mixtorum matrimoniorum numerum, quia leges per Principes latae admodum favorabiles pro iis contrahendis conditiones praescripserunt, praesertim in Provinciis Catholicis, quas pax post casum Napoleonis composita Principum Protestanticorum dominatui credidit. Sed hoc ipso leges hae principiis Catholicis minus consonae, imo praeiudiciosae erant. Principes enim arbitrantes se cum terris populos et cum his fidem quoque ac religionem accepisse: utut solennibus verbis liberrimum spoponderint religionis Catholicae exercitium eiusque privilegiorum ac praerogativarum conservationem; mox tamen Rescripta in favorem Protestantium, et ruinam Catholicismi edere pergebant, in mixtis matrimoniis cetera inter liberam de prolibus qualiter educandis pactionem suis quidem vindicando, catholicis autem negando. Ast quod his maius est, adierunt tum blanditiis tum insidiis Catholicos, ut hanc propaginis catholicae diminutionem tacenter comprobarent, sacramentique scissuram nihili haberent, ut ita deserta unice salvifica fide ac ecclesia, erga omnes confessiones religiosa animis infigatur tolerantia et indifferentia. Allecti sunt multi non de genere solum laicorum, sed et sacerdotum, quorum nonnulli alta voce fronteque perfricta defenderunt matrimonia mixta uti licita, imo commendarunt etiam; alii dissimulando, pacisque causa annuendo concesserunt, benedixerunt, sanctificarunt. Pauci vocem mittentes pro iuribus Ecclesiae animarumque salute qua saluberrimis concionibus qua scriptis doctissimis sanctitatem Sacramenti, coniugalisque fidei unitatem propugnando, disparibus nuptiis anathema dixerunt.

§. 87.

Status matr. mixtorum in M. Duc. Oldenburgico, urbe Francofurtensi, et R. Würtembergico.

Magnus Dux Oldenburgicus, in sequelam conclusi Congressus Viennensis priorem legem anni 1810. [275])

275) cf. §. 78.

decreto dd. 12. Febr. 1816. et a. 1817. confirmavit, coniugibusque religione disparibus plenam ineundorum ante nuptias circa religionariam prolium educationem pactorum potestatem concessit.

Senatus Urbis Liberae Francofurtensis constitutionem Magni Ducis de anno 1811.[276] decreto dd. 8. Jul. 1817. acceptavit; altero vero decreto dd. 30. Dec. 1819. declaravit: pacta parentum super educatione prolium religionaria pleno robore gaudere, et in casibus controversis normae loco habenda esse.

Rex Würtembergicus decreto dd. 14. Mart. 1817. sanctionem Edicti Religionis de an. 1806. et 1810. libertati Catholicorum summe praeiudiciosam, ut nimirum casu, quo pater est evangelicus, proles masculae necessario, non obstantibus etiam pactis coniugum, in confessione evangelica educentur[277], sustulit, et parentibus integrum esse, pacta libera inire, declaravit.[278]

In tribus igitur his Statibus Protestanticis per concessam parentibus paciscendi libertatem, utcunque salva erat coniugibus catholicis potestas, catholicam prolium educationem vindicandi et a coniuge protestantico, adminus pro parte prolium, impetrandi. Ast cum in R. Würtembergiae ius copulandi porro quoque virtute Edicti de an.1806. ad ministrum religionis Sponsi pertinuerit: plures in praxi eatenus per Parochos quaestiones apud Ordinariatum Rottenburgensem positas fuisse legimus, easque ab hoc iuxta normam Edicti memorati resolutas, parochosque ad strictam Edicti Civilis observantiam inviatos esse, cum dolore fateri cogimur.[279]

276) cf. §. 79.

277) cf. §. 76.

278) Bene animadvertit: *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1831. p. 556.*: „Die Verfügung vom 28. Dec. 1810. ist durch die königl. Entschliessung vom 14. März. 1817. *Antiquität* geworden."

279) Exemplum ex anno 1822. in hanc rem profert Martinus Jos. Mack, *über die Einsegnung der gemischten Ehen. Ein theol. Votum. Tübingen. 1840. p. 50. * not. 1.*

§. 88.

In Congressu Principum Francofurtensi a. 1818. et 1819. singulare projectum legis circa matr. mixta elaboratum, et Summi Pontificis super Actis Congressus huius censura.

In Congressu Principum Provinciae Superioris Rhenanae Francofurti ad coordinandas res Ecclesiae et Religionis Catholicae, et Coucordatum cum Sede Romana ineundum a. 1818. et sequenti celebrato [280]), etiam de matrimoniis mixtis quaestio posita, et sequens legis projectum concinnatum fuit: ius determinandi, in quanam religione proles e mixtis connubiis susceptae educari debeant, in defectu pactorum inter partes contrahentes desuper conclusorum, Statui Civili competere, et ad procurandam conscientiae tranquillitatem, item pacem in familiis conservandam optandum esse, ut omnes proles in una eademque confessione educentur, parochi vero nullo in casu nullove sub praetextu copulationem denegare possint [281]). An projectum istud in Declaratione super conclusis Conventus Francofurtensis Summo Pontifici exhibita una comprehensum fuerit, nec ne? non constat: satis est, Summum Pontificem Pium VII. in Nota per *Cardinalem Consalvi* dd. 10. Aug. 1819. erga puncta Congressus memorati edita universim animadvertisse: Punctatores et Protocollistas Francofurtenses ultra iusti terminos progressos esse, dum iurisdictionem in causis matrimonialibus ab Episcopis avulserunt, et Principibus detulerunt [282]). Ad censuram hanc Sedis Apostolicae Francofurtenses respondendum duxerunt, et hoc scopo singularem elaborarunt declarationem, dd. 3. Sept. 1819. Summae

280) Historiam Congressus huius texit opus: *Organon, oder kurze Andeutungen über kirchliches Verfassungswesen der Katholiken mit vorzugsweiser Hinsicht auf Staaten gemischter Confession. Augsburg. 1829.*

281) Mon. 109. pag. 121. — Vid. Longner, *Darstellung der Rechtsverhältnisse der Bischöfe der Oberrheinischen Kirchenprovinz. Tübingen. 1840. p. 176.*

282) Nota haec continetur in opere *not. 280.* laudato pag. 207.

Sedi transmissam, in eaque sensa sua clarius enunciando, affirmarunt: disciplinam severiorem Ecclesiae circa matr. mixta, qualis in Italia et alibi viget, ut nempe pars acatholica sub juramento promittat catholicam omnium prolium educationem, et parochus talia coniugia non benedicat, in Germania in usum deduci haud posse, tamquam contrariam sancitis Congressus Viennensis, et legibus fundamentalibus Confoederationis Germanicae, quae plenam conscientiae libertatem pro omnibus Christiani nominis confessionibus decernunt [283]). — Summo Pontifice, qui adversus conclusa Congressus Viennensis, in quantum ea principiis Religionis Catholicae repugnabant, exemplum *Innocentii X.* contra *Pacem Westphalicam* protestantis [284]) sequutus, suo tempore solennem interposuit contradictionem, de mixtis nuptiis hac occasione nil in specie decernente, in partibus Provinciae Superioris Rhenanae sensim mitior praxis, projecto Francofurtensi conformis, invaluit.

§. 89.

Status matr. mixtorum in M. Principatu Hasso Darmstadtensi.

Tres in hoc Principatu Resolutiones ex annis 1825. et 1826. quoad mixta matrimonia perlatae notari merentur. *Prima* dd. 7. April. 1825. Ministris Religionis prohibet influxum in conclusionem pactorum sive contractuum, quos coniuges de educatione religionaria prolium ineunt: talesque unice liberae coniugum voluntati ac arbitrio relinquit. [285]) *Altera* dd. 18. Jul. 1825. fundamento stabilitae per foedus Germanicum aequalitatis iurium inter Christianas Confessiones, ea omnia, quae de mixtis matrimoniis pro toto Principatu constituta habentur, ad communitatem Catholicam Darmstadtiensem extendit [286]). — *Tertia* demum a Principe

283) cf. Brendel, *Handbuch des kathol. und protest. Kirchenrechts. 3. Aufl. Bamberg. 1840. p. 1068.*

284) cf. §. 22.

285) Mon. 110. pag. 122. — cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1825. p. 540.*

286) Mon. 111. pag. 122. cf. *Allg. K. Z. 1825. p. 870.*

Ludovico dd. 27. Febr. 1826. edita quasvis dispositiones in merito mixtarum nuptiarum et praeprimis religionariae educationis prolium praeviis annis latas, et passim e relatione confessionis receptae ad toleratam deductas, principio mox dictae aequalitatis inter Confessiones Christianas magis adhuc conformare cupiens, sequentia constituit: a) in defectu pactorum antenuptialium omnes proles in confessione patris educari debere — b) quoad matrimonia iam contracta prioribus resolutionibus standum esse — c) mutationem pactorum durante matrimonio a coniugibus nonnisi cum interventu Jurisdictionis Civilis institui posse. [287])

§. 90.

In Electoratu Hasso-Cassellano Vicariatus Fuldensis principium catholicum adversus Regiminis molimina egregie sustentat.

In Regulativo quidem, quod sub Wilhelmo I. Electore dd. 4. et 17. Sept. 1818. pro Catholicis editum fuit, coniuges religione dispares religionariam prolium suarum educationem ope praevie ineundorum contractuum libere determinandi potestatem obtinuere [288]); ast decreto dd. 18. Aug. 1823. circa copulationem personarum eiusmodi talia constituta erant, quae principiis Catholicis nequaquam congruunt. In locis siquidem, in quibus tam Catholicus, quam Evangelicus Minister religionis habetur, copulationem a ministro sponsi, baptismum autem prolium mascularum a ministro religionis patris, foemellarum a parocho matris peragenda esse; in iis vero locis, in quibus unius solum confessionis minister adest, actus praevios ab hoc suscipi debere, liberum tamen fore sponsis ex alio loco competentem ministrum evocare, memorato decreto statuitur [289]). Quod decretum ubi Vicariatui Fuldensi per Rescriptum Ministeriale dd. 28. April. 1824. pro futura cynosura et observantia eo

287) Mon. 112. pag. 123. cf. *Allg. K. Z. 1826. p. 504.*

288) Vid. Longner, op. cit. (*not. 281.*) p. 534.

289) Mon. 113. pag. 124. Vid. *Sammlung einiger Landesgesetze über gemischte Ehen. Berlin. 1838. p. 62.*

subjuncto communicaretur: ut idem Vicariatus in posterum ab exigenda a sponsis religione disparibus promissione super catholica prolium educatione desistat, nullaque connubiis mixtis impedimenta ponat: Vicariatus ope Repraesentationis admodum energicae dd. 27. Nov. 1826. Electorali Ministerio sequentia ob oculos posuit: Decretum anni 1823. contra libertatem conscientiae et principia Religionis Catholicae impingere; signanter ea sui parte, qua catholicos ad benedictionem copulationemve a ministro acatholico recipiendam cogit, et proles, quas pars catholica vi immutabilium Religionis suae normarum in alia, quam catholica fide educari permittere absolute vetatur, etiam in protestantismo educandas disponit; ac proin decretum illud ita modificari debere, ut parti catholicae integrum sit, peracta per ministrum protestanticum copulatione, propriae suae religionis parochum adire, ab hocque veram benedictionem recipere; sponsis denique in salvo maneat potestas, de religione, in qua proles educandae sint, inter se conveniendi [290]). Ast erga Repraesentationem Vicariatus Fuldensis rescripsit dd. 8. Januar. 1827. Ministerium: a decreto anni 1823. recedi haud posse, et in casum, quo parochus catholicus copulationem ipsi delatam peragere nollet, ad eam peragendam Ministrum evangelicum auctorisari. [291])

§. 91.

Status matr. mixt. in ditionibus Principum Megalopolitani, Waldeckiensis, et Badensis.

M. Princeps Megalopolitanus (Mecklenburg-Schwerin) decretum anni 1811. cuius ope determinatio religionis prolium in matr. mixtis arbitrio coniugum relicta erat [292]), per Rescriptum dd. 30. Mart. 1821. ita modificavit: ut filii patris, filiae matris religionem sequantur. Princeps autem Waldeckiensis decreto dd. 28. Mart.

290) Mon. 114. pag. 125. — cf. Benkert, *allgemeiner Religions- und Kirchenfreund, und Kirchencorrespondent. Würzburg. 1828. p. 333. ff.*

291) *Allg. Religionsfreund* etc. loc. cit. p. 333. f.

292) cf. §. 78.

1827. omnes proles in confessione patris educari iussit [293]). Idem decrevit M. Dux Badensis ope legis de 8. Jun. 1826. simul liberam pacta ante matrimonium ineundi coniugibus tribuendo potestatem. [294])

Commemorari hic meretur Rescriptum Ordinariatus Friburgensis in *Brisgovia*, dd. 5. Mart. 1830. animarum curatoribus inculcans: ut dum partes mixtum connubium contrahentes minister acatholicus copulat, partem catholicam eo permovere satagant, quo ipsa benedictionem iuxta ritum catholicum a suo parocho recipere non intermittat, ne gratia sacramentali excidat; item ut, dum sponsa catholica est, hanc eo flectere adnitantur, quo sponsum ad promittendam educationem catholicam omnium prolium adducat; dum autem sponsus est catholicus, solerter intendant, ne per pacta dispositionem legis pro hoc casu educationi catholicae faventem sponsi eludant. [295])

§. 92.

M. Ducis Saxo-Vimariensis de an. 1823. decretum, contra quod Vicariatus Fuldensis identidem remonstrat, Ecclesiaeque doctrinam insigniter defendit.

Edictum M. Ducis Saxo-Vimariensis dd. 7. Octobr. 1823. quo totam rem Religionis subditorum suorum catholicorum complexus est, de matrimoniis mixtis sequentes in se continet determinationes: a) copulationem ordinarie ad parochum sponsae pertinere; parochum protestanticum occasione copulationis mixtae religionis personarum duos testes a sponsis deligendos adhibere debere, nec necesse esse, ut copulatio a parocho partis catholicae distincte adhuc perficiatur. b) Parocho Catholico integrum non esse, proclamationes et copulationem pure ex ea causa denegare, quod

293) Mon. 115. pag. 133. — Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1827. p. 551.

294) Mon. 116. pag. 134. — *Allgemeine Kirchenzeitung. 1826. p. 911.*

295) Mon. 117. pag. 135. — Vid. Weiss, *Archiv der Kirchenrechtswissenschaft. 3. B. 1832. p. 205.*

partes contrahentes catholicam omnium prolium educationem promittere nolint; ad casum autem ulterioris renitentiae, ministrum evangelicum ad peragendas praedictas functiones parochiales auctorisari. c) Casus controversos ad iudicium Regiminis Civilis pro decisione referendos esse. d) Matrimonia inter partem catholicam et protestanticam, quae a vinculo prioris coniugii per sententiam Judicis civilis soluta est, civiliter valida et licita fore. e) Proles omnes in una atque eadem confessione educari debere, pro hac vero normam praebere vel religionem eius partis coniugum, cuius familia in M. Ducatu a longiori tempore iure civitatis gaudet, vel confessionem patris. f) Contractus coniugum de religionaria prolium educatione seu ante sive post matrimonium initos esse irritos ac invalidos. [296])

Adversus Edictum hocce, quod minus aequum, et libertati conscientiae partis catholicae repugnans, in quantum ei adimit ius circa educationem prolium in religione per se pro tutiori ad salutem agnita praevie paciscendi, ipse Protestans Ernestus Spangenberg [297]) confessus est, remonstravit idem Vicariatus Fuldensis, quem apud Electorem Hasso-Cassellanum Catholicae Ecclesiae causam strenue egisse paulo superius ostendimus. In repraesentatione sua dd. 19. Dec. 1823. prolixe demontsrat: per Edictum M. Ducis Saxo-Vimariensis libertati ac antonomiae Ecclesiae Catholicae valde praejudicari, taliaque in eo decerni, quae et extra sphaeram iurisdictionis politicae posita sunt, et insuper totidem vulnera principiis, ac doctrinae Ecclesiae Cath. prout etiam libertati conscientiae Catholicorum infligunt; huc nominatim referri eam dispositionem, qua omnes contractus circa religionariam prolium educationem annullantur; et illam, qua parochus catholicus copulationem in eo quoque casu peragere iubetur, dum de catholice instituenda liberorum educatione nulla praevia prae-

---

296) Mon. 116. pag. 136. — *Allgemeine Kirchenzeitung. 1823. p. 960.*

297) Vid. Strubes, *rechtliche Bedenken*, in der Ausgabe von *E. Spangenberg. Th. 1. p. 111.*

cessit promissio [298]). Cum ad hanc Vicariatus Fuldensis repraesentationem, ea duntaxat dd. 10. Febr. 1824. subsecuta esset Ministerialis resolutio: principia, e quibus Edictum anni 1823. negotia Catholicorum regulans profluxit, non modo Foederis Germanici sanctionibus sed et legibus in vicina Borussia vigentibus conformia esse, ab eo itaque recedi non posse: Vicariatus dd. 8. Mart. 1824. denuo remonstravit, provocationemque ad leges Borussicas minus suo loco esse ostendit [299]). Verum Ministerium quasvis repraesentationes Vicariales, prout et remonstrationem Decanatus *Gaisaensis* dd. 30. Januar. 1824. porrectam [300]), insuperhabuit.

§. 93.

Status matr. mixtorum in Regnis Saxoniae, et Hannoverae.

Regulativum circa res Religionis dd. 7. Aug. 1818. in Saxonia editum copulationem personarum disparis cultus parocho sponsae, baptismum autem prolibus administrandum parocho eius religionis, quam pater profitetur, addixit [301]). — Anno autem 1824. Rex proposuit Comitiis discutiendum projectum legis, vi cuius parentum libero relinqueretur arbitrio, an proles in hac vel illa religione educare velint; ast projectum hoc Statuum Regni Saxonici adprobationem non tulit: qui potius Regiae Majestati repraesentarunt, projectum memoratum principiis aequalitatis inter Confessiones Christianas servandae minime congruere, pro talique potius id statuendum censebant, ut proles sexum parentum in religione sequantur [302]). Nulla quidem erga repraesentationem istam Statuum anno 1824. edita fuit Regia

298) Mon. 119. pag. 138. — *Allgemeine Kirchenzeitung. 1824. No. 139.*

299) cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. 1824. p. 1158. ff.*

300) cf. *Allg. Kirchenzeitung. loc. cit. p. 1173. ff.*

301) Mon. 120. pag. 142. — Vid. *Codex des im Königreiche Sachsen geltenden Kirchen und Schulrechtes mit Einschluss der frommen Stiftungen und der Ehe. Unter Genehmigung des K. Ministeriums des Cultus. Leipzig. 1840. p. 232.*

302) cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1824. p. 589. 965.*

Resolutio: sed post longiores discussiones super merito illo institutas, anno tandem 1827. dd. 19. Februarii emanavit sic dictum Mandatum Regium circa coordinationem iurisdictionis Ecclesiae Catholicae, et relationem Catholicos inter et Protestantes vertentem, in eoque quoad rem mixtorum coniugiorum decisum est: a) parochos catholicos intuitu proclamationis et copulationis matrimoniorum in genere iisdem plane subjacere legibus, quae in Codice Civili iam antea pro Evangelicis praescriptae habentur. b) In matrimoniis mixtis ordinarie parochum sponsae copulare, liberum tamen manere desponsis, etiam a parocho sponsi copulationem ac benedictionem recipere. c) in merito educationis religionariae prolium nec parentibus nec iis, qui in illorum defectu tutelam gerunt prolium, ullam vim ac coactionem imponi, sed totam circa objectum istud dispositionem iisdem parentibus vel tutoribus deferri. d) Cautum attamen esse, a personis diversae religionis sub quocunque praetextu ante copulationem super futurarum prolium religione sponsionem ac promissionem exigere. e) Catholicos cum Evangelicis a vinculo divortiatis, donec pars altera vivit, matrimonio iungi haud posse. [303]) — Instituta Mandati hujus Regii cum reliquorum Germaniae Statuum legibus comparatione, apparet, illud his fere omnibus palmam praeripere, tum quod parochos catholicos ad copulationem mixtorum connubiorum quovis in casu inomisse peragendam minime stringat; tum quod plenam coniugibus relinquat libertatem, de educatione prolium religionaria pacta ineundi; tum denique quod parochis catholicis activitatem disponendi partem catholicam ad ea, quae ex principiis Ecclesiae suae sunt obligationis, implenda, saltim tacite non adimat, quia duntaxat id prohibet, ne sponsio ac promissio exigatur. Mandati Regii tenoribus per Vicariatum Apostolicum Romam perlatis, Leo XII. per literas dd. 2. Sept. 1828. indulsit: ut Vicarius Apostolicus, dum opportunum censuerit, a iurata promissione super catholice educandis prolibus partes dispensare possit; in eo tamen oneravit Vicarii conscien-

303) Mon. 121. pag. 142.

tiam, ut per parochos sollicite indagari curet, an pars catholica religionem suam libere sequi possit, vel forte periculum perversionis immineat.

In Regno Hannoverano decretum Georgii IV. Regis dd. 31. Jul. 1826. rem educationis religionariae prolium e mixtis coniugiis ita regulavit: ut viro, tamquam capiti societatis coniugalis, irrestricta competat potestas determinandi, in qua religione proles sint educandae, eique nullus contractus praeiudicare valeat, post obitum autem patris educatio prolium conformiter ultimae voluntati patris dirigatur, quae ordinaria praesumtione pro confessione, cui pater addictus fuit, stare debet [304]). Licet autem decretum hocce Regium, quod absque consilio Statuum Regni et nonnisi fortuito perlatum esse dicitur [305]), per Consistorium Hildesheimense anno 1829. denuo pro stricta observantia intimatum [306]), cum primo obtutu sensum habere videatur: quasi proles e matrimoniis mixtis semper in confessione patris educandae forent: usus tamen alium sensum ei tribuisse deprehenditur, nimirum hunc: ut patri quidem competat jus religionem prolium determinandi, sed ideo nil obstet, quominus, annuente patre, etiam in matris confessione proles educari possint; prouti id reipsa evenisse, et signanter in religione matris catholicae proles mixtorum connubiorum frequentissime educatas fuisse, suo tempore in publicis pagellis relatum legitur. [307])

304) Mon. 122. pag. 143. — *Allgemeine Kirchenzeitung. 1826. p. 1230.*

305) Ita narrat Auctor diss. *Das päpstliche Breve vom 25. März 1830. die gemischten Ehen betreffend. Minerva v. Bran. Jena. 1840. II. B. p. 357.* „Diese Verordnung ist für alle Provinzen und alle Confessionen des Königreichs Hannover, aber *ohne Beirath der Stände und selbst ohne alle Contrasignatur gegeben*, und vielleicht nur ein reiner, etwa durch zufällige Abwesenheit des weiland Grafen Münster von London veranlasster Zufall im Verein mit Rehberg, dem Gründer der Hannöverischen Entwicklungen und Verwicklungen."

306) Mon. 123. pag. 144. — cf. *Kirchenhistor. Bemerker* v. Benkert. *1829. p. 373.*

307) Vid. *Aschaffenburger katholische Kirchenzeitung. 1836. p. 940.*

II. Status disciplinae quoad matr. mixta in Regno Bavariae.

§. 94.

In Bavaria non minus quam alibi res mixtorum matrimoniorum ad principium aequalitatis inter Catholicos et Protestantes redacta, pluribusque Edictis Regiminis ad casum negatae per Parochum Catholicum benedictionis, Minister Protestanticus copulare iussus.

Posteaquam Maximilianus Rex Provincias, quae hodie Circulum Bavariae Rhenanum constituunt, antea vero multis vicissitudinibus, variisque dominis obnoxiae erant, die 30. April. 1816. revindicasset: fundamentalem Congressus Viennensis legem de perfecta aequalitate iurium inter Catholicos et Protestantes stabilienda, exemplo aliorum Germaniae Principum, promulgari, et dd. 26. Maii 1818. Edictum Religionis publicum reddi fecit: in quo fere eaedem circa matrimonia mixta provisiones continentur, quae in priori Edicto anni 1809.[308]) statutae fuerunt, nisi quod eae uberius evolutae, ac ad principia dictae legis aequalitatis inter Confessiones Christianas servandae magis accomodatae exstiterint. Sequentia nimirum Edicto memorato sancita sunt: a) cuilibet subditorum plenam libertatem competere hanc vel illam religionem Christianam iuxta propriam convictionem profitendi, sed primum post superatos discretionis annos. b) Parentibus diversae religionis plenum ius esse, vel ope pactorum antenuptialium, vel aliorum legitime initorum contractuum quoad impertiendam prolibus suis in patris vel matris religione institutionem usque ad annos discretionis duraturam inter se conveniendi. c) in defectu huiusmodi conventionis proles masculas patris, foemellas matris confessionem sequi debere, ut ita quodammodo iuri utriusque coniugis deferatur. d) Cessante per transitum unius coniugis ad fidem alterius matrimonio mixto, proles religio-

308) cf. §. 81.

nem utriusque parentum quidem sequi debere, hac tamen cum exceptione, quod in quantum proles secundum pacta praevie inita in determinata religione educatae et iam etiam confirmatae forent, hae usque annos discretionis in ista religione perseverare obligentur. e) Superioribus Ecclesiasticis ius competere, debite inspiciendi, an normae hae accurate observentur. [309])

Cum in Edicto anni 1818. tantum de educatione religionaria prolium e mixtis connubiis disponatur, de *copulatione* vero personarum a cuiusnam religionis ministro peragenda nil decernatur: non poterant non frequentes in praxi oriri difficultates et quaestiones, ad quas amoliendas Ministerium Regium complura edebat decreta eo potissimum tendentia, ut ad casum, quo parochus catholicus copulationem denegaret, minister protestanticus ad illam peragendam activisetur, parochus autem catholicus in hoc quoque casu ad extradandas pro parte catholica coniugum dimissoriales literas stringatur. Inter haec decreta notamus *primo* illud dd. 23. April. 1823. quo ministri Confessionis protestanticae copulandi potestatem pro eo etiam casu accipiunt, si parochus catholicus literas dimissoriales extradare tergiversaretur: in tali quippe casu in partibus Rhenanis matrimonium coram Magistratu civili initum veluti contractus mere civilis validum manet, nec requiritur ex parte Ecclesiae aliud, quam ut doceatur, matrimonium coram foro civili rite conclusum esse [310]); *secundo* Rescriptum dd. 25. April. 1823. ad Regimen Provinciarum Rheni directum, quo eidem iniungitur, parte ex sua sedulo attendendi, ut omnis coactio occasione copulationis mixtorum matrimoniorum, et simul educationis religionariae prolium amoveatur [311]); *tertio* Rescripta supremi Regii Consistorii dd. 13. Sept. 1824. et dd. 18. Mart. 1825. ad ministros protestanticos, ut mixtae religionis sponsos, quos parochi catholici copulare recusa-

309) Mon. 124. pag. 146. — *Gesetzblatt für das Königreich Baiern. 1818. IX. St. p. 149—180.*

310) Mon. 125. pag. 147. — *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1823. p. 662.*

311) Mon. 126. pag. 148. — *Allgem. K. Z. 1835. p. 1035.*

rent, ipsi copulent, modo pars catholica *iuramentum integritatis* super libero suo statu praevie nuncupet. [312])

Si Edictum Religionis de an. 1818. cum prioribus in Electoratu Palatino Rheni et ipsa Bavaria perlatis comparetur: ea essentialis inter haec et illud occurrit differentia, quod haec coactivas utplurimum in negotio religionariae prolium educationis dispositiones tulerint, illud vero parentibus iura sua circa educandas proles sarta tectaque servando, libertati eorumdem meritum hoc reliquerit. [313]) Quoad Rescripta Ministerialia autem circa copulandas personas mixtae religionis id observandum censemus: ea nonnumquam iusto longius progressa, quadamtenus cogere voluisse parochos ad expediendas pro coniugibus literas dimissoriales. [314])

§. 95.

Praesulum Bavariae studia in tuendis Ecclesiae circa mixtas nuptias sanctionibus. In Dioecesi Ratisbonensi de literis dimissorialibus quaestio oritur, et per Sedem Apostolicam a. 1819. deciditur.

Cum Rescripta Regia et Ministerialia circa educationem religiosam prolium edita conditionibus Ecclesiae Catholicae, quibus facultas incundi matrimonia mixta alligata est, haud plene satisfecerint: factum est, ut Parochi nuptias tales, in quibus catholica omnium prolium educatio praevie determinata non erat, minime copulaverint. Ordinariatus scilicet Bavariae pro casibus matrimoniorum istiusmodi fere semper principiis ac legibus Ecclesiae conformes dabant Clero Curato inviationes. Harum exemplum e Dioecesi Ratisbonensi proferre licet: ubi parochi Decanatus Chamensis ex incidenti Resolutionis Regiae de 25. Sept. 1814.[315]) omnes parochos catholicos ad literas di-

---

312) Mon. 127. pag. 148. — *Allg. K. Z. 1835. p. 1036.*

313) Vid. *Katholik, eine religiöse Zeitschrift. 64. Band. Speier. 1837. p. 158. ff.*

314) cf. Gengler, *die Verhandlungen der baierischen Deputirtenkammer über die gem. Ehen. Bamberg. 1831. p. 44.*

315) cf. §. 81.

missoriales parochianis suis, qui mixta connubia contrahunt, extradandas obligantis, non levibus in conscientia sua pressi angustiis, Regiamque Resolutionem cum canonibus sacris componere non valentes, ad Vicariatum Episcopalem dedere literas, petendo, ut suis apud Gubernium interpositis officiis ageret, quo Resolutio memorata abrogaretur, et quid interea agendum sit, inviaret. Vicariatus libellum supplicem Parochorum ad Nuntiaturam Apostolicam dd. 9. Dec. 1818. promovit, sua quoque ex parte supplicando, ut difficultates has vel auctoritate Sedis Apostolicae, vel collatis cum Aula Regia consiliis sufferri procuraret. Erga cuiusmodi preces Nuntiatura, re prius ad summum Sedis Apostolicae arbitrium relata, acceptaque ab inde decisione quaestionis, dd. 28. Mart. 1819. Vicariatui Ratisbonensi rescripsit: illicitum esse Parochis literas dimissoriales parochianis suis ad contrahendum cum acatholicis matrimonium tradere: cum per id Parochi directe cooperarentur peccaminosae copulationi, sicque grave crimen incurrerent; in reliquo post collata cum Aula Regia consilia spem adfulgere, Parochorum conscientias in hoc puncto amplius haud divexatum iri [316]). Spem in vanum non abiisse, inde patet, quod Ministerium Regium Parochos Catholicos ad peragendam copulationem non amplius coëgerit, sed eandem Ministris acatholicis detulerit, et a Parochis Catholicis literas quidem dimissoriales expediri cupiverit, non tamen iusserit aut urserit, quin potius, ut superiore §. narratum est, in defectu quoque dimissorialium literarum Ministros Protestanticos ad copulandum auctorisaverit.

§. 96.

Ex Dioecesi Augustana profertur exemplum strenue defensi principii catholici in merito catholicae prolium educationis: ubi id singulare evenit, quod Episcopus et illius Vicarius duas diversas sententias tenuerint.

In Dioecesi Augustana circa religionariam prolium e mixtis matrimoniis educationem, disciplinam Ecclesiae in-

316. Mon. 128. pag. 148

signiter manutentam fuisse, duo inprimis iique admodum memorabiles casus ex annis 1823—1825. ostendunt, quos ex ipsis Ordinariatus Actis nobiscum benevole communicatis referimus. Anno nimirum 1823. dd. 23. Septembris Parochus *Campodunensis* (Kempten) petiit apud Ordinariatum, Barone a Frauenberg Episcopo, instrui: *an matrimonium, quod inter Sponsum catholicum et sponsam acatholicam cum praevie stipulata prolium in confessione lutherana educatione initum est, promulgare ritu consueto et subin benedicere possit?* Ordinariatus nec promulgari nec benedici matrimonium istud admisit. Sed alter casus, qui a. 1825. intervenit, pluribus implexus erat difficultatibus praeprimis ex eo, quod sententiae Episcopi Alberti a Riegg, et Vicarii ac Officialis Egger ab invicem discrepaverint. Cum nempe dd. 17. April. 1825. Parochus Campodunensis rursus casum matrimonii mixti, in quo Sponsus Catholicus omnes proles suas in confessione sponsae lutheranae educandas se permissurum praevie spopondit, Vicariatui pro decisione cum eo substerneret, se fundamento Rescripti Ordinariatus a. 1823. in simili casu editi tam promulgationes quam copulationem denegavisse: Vicarius Canonicus Egger resolutioni anni 1823. conformiter Parochum eo inviavit, ut ab instituendis proclamationibus et benedictione abstineat, hocque ipsum Episcopo a Riegg fine obtinendae ratihabitionis dd. 22. April. 1825. repraesentavit. Qui, non obstante circumstantia illa, quod omnium prolium ex hocce coniugio gignendarum educatio in Lutheranismo praevie stipulata foret, cum et proclamationes consuetas et solito ritu instituendam copulationem a Parocho suscipi, datis Monachio 4. Maii 1825. ad Vicarium literis, decrevisset: hic, in conscientia persuasus de opposito, se scilicet Parocho pro hoc casu talem, qualis per Praesulem decernebatur, instructionem dare haud posse, meritum hoc Praesuli dd. 10. Octobr. 1825. denuo repraesentavit, uberius momenta illa exponens, quibus se in conscientia prohiberi censuit, quominus matrimonium in quaestionem attractum a Parocho Catholico ritu Ecclesiae consueto benedici permittat. In Repraesentatione hac solidissimis argumentis suam tuetur Vicarius sententiam,

dum demonstrat: evidentissimum adesse pro parte sponsorum catholica et prolibus salutis periculum, ac admissa huiusmodi coniugii benedictione matrimonia mixta contra intentionem Ecclesiae promoveri [317]. Singulare est, Episcopum erga alteram etiam Vicarii remonstrationem in principiis et legibus Ecclesiae fundatam, sequentia resolvisse dd. 23. Octobr 1825: a) Parochos in id intentos esse debere, ut, dum adhuc res est integra, partes contrahentes a connubio mixto dehortentur; re vero non amplius integra, educationem catholicam omnium, aut saltim unius partis prolium in tuto ponant. b) Si partes in nonnullis casibus, alioquin raro occurrentibus, educationem protestanticam omnium prolium praevie decrevissent, nec ab hac sententia, adhibitis licet modis omnibus, dimoveri valeant: per modum indulgentiae, et scopo praecavendi maiora mala, totalisque a Fide Catholica defectionis, ritum catholicum adhibendum, nuptiasve benedicendas esse cum ideo, ne easdem pure coram ministro protestantico inire cogantur, tum ne denegata benedictione consequenter etiam admissio ad Sacramenta parti catholicae denegari debeat. [318]

§. 97.

Rescripta Regiminis pro eo, ut Parochi Catholici saltim ad proclamationes instituendas, et literas dimissoriales extradandas disponantur, item ne sponsionem super catholica prolium educatione a parte protestantica exigant, ex annis 1824. et 1830.

Casus matrimonii mixti a. 1823. in Parochia Campodunensi nec promulgati nec benedicti per parochum catholicum, et praesertim querela per partes super eo Regimini posita, quod pars catholica, quae quippe in educationem omnium prolium acatholicam consenserat, usu Sacramentorum prohibita, sive *excommunicata* sit: longiori inter Ordinariatum Augustanum, et Regimen Provinciale correspon-

317) Mon. 129. pag. 150.
318) Mon. 130. pag. 156.

dentiae occasionem praebuit [319]); cuius resultatum fuit decretum Regiminis dd. 24. Octobr. 1824. id enuncians: querelam de intermissa per parochum catholicum promulgatione et copulatione, posteaquam utraque a ministro protestantico subseque instituta erat, cessare quidem; in futurum tamen, donec circa quaestionem hanc altior decisio secuta et generalis quaepiam norma constituta fuerit, Magistratibus locorum incumbere, ut parte ex sua nil intermittant, quo Parochos Catholicos adminus ad proclamationes instituendas et literas dimissoriales extradandas disponant; excommunicationi autem partis catholicae locum dari nullatenus posse, imo ab Episcopo Augustano exspectari, quod sententiam hanc partis catholicae gravatoriam mox retractaturus, sicque et partis catholicae ulterioribus querelis ansam praeclusurus, et anxietates Protestantium sublaturus sit. [320])

Cum autem Ordinariatus non obstantibus iteratis Regiminis decretis, Sacros Curiones ad sequendas Ecclesiae sanctiones exhortati fuissent, et in specie Archiepiscopus Monaco-Frisingensis dd. 30. April. 1830. matrimonia mixta, in quibus omnium prolium educatio catholica ope Certificati ab utroque Sponsorum subscripti in tuto locata non esset, copulari aut etiam promulgari vel literas dimissoriales dari Parochis prohibuisset: ex parte Gubernii Regii necessarium existimatum fuit, ope novi decreti dd. 16. Junii 1830. primo quidem ad Parochos duntaxat Archidioeceseos Monacensis, dein ad reliquos etiam dimissi, iisdem intimare: ad partes muneris parochorum id solum pertinere, ut, si pacta et contractus circa religionariam prolium educationem per coniuges initi forent, hos ante copulationem sibi pro inspectione et repositione ad acta parochialia exhiberi curent; minime vero licere iisdem, a sponsis prote-

319) cf. Stapf, *vollständiger Pastoralunterricht über die Ehe. 6. Aufl. Frankfurt. 1838. p. 198—201.*

320) Mon. 131. pag. 157. — cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. 1827. p. 364.* Dr. Paulus in sripto suo periodico: *Sophronizon. 1827. p. 26. ff.* Decretum hoc Regiminis multis extollit laudibus, quasi eo usurpationibus Cleri modus ponatur.

stanticis seu scriptas literas reversales, sive iuratam sponsionem de catholica omnium prolium educatione exigere.[321])

§. 98.

Rescriptum Regiminis de 16. Jun. 1830. super vetita exactione reversalium novam Ordinariatibus subministrat occasionem, parochos ad strictam observantiam canonicarum sanctionum inviandi. Instructiones Ordin. Eichstaettensis, et Ratisbonensis.

Rescriptum Regiminis dd. 16. Junii 1830. superiori §. relatum, quo Parochis interdicitur a sponsis protestanticis literas reversales super educatione prolium catholica exigere, novam Parochis Bavariae suppeditavit occasionem, varias apud respectivos Ordinariatus ponendi quaestiones quoad assistentiam mixtis matrimoniis praestandam: cuiusmodi quaestionum resultatum erant *Instructiones* ex parte Ordinariatuum eo tendentes, ut in sensu canonicarum Ecclesiae sanctionum matrimonia mixtae religionis ritu consueto in illis duntaxat casibus proclamentur et benedicantur, in quibus de educatione catholica omnium prolium requisita praevie praebetur certitudo. Duae nobis instructiones in hunc sensum editae innotuerunt: altera ex Dioecesi Eichstaettensi, ex Ratisbonensi altera. Prior dd. 12. Aug. 1830. Parochis sequentia normae instar praescripsit: Parochianos mixtum coniugium inire volentes per Parochum modis omnibus ab hoc proposito dehortandos, quod si non succedat, de educatione futurarum prolium sciscitandum, et si hanc forte pro diversitate sexus parentum instituendam fore respondeatur, declarandum esse, parochum constitutionibus Summorum Pontificum prohiberi, quominus nuptias tales proclamet, aut dimissoriales literas extradet, aut plane copulet et benedicat; secus autem, si nimirum catholica prolium omnium educatio praevie promittatur, promissionem talem in scripto exhibendam, et ea, quae muneris sunt pa-

321) Mon. 132. pag. 159.

rochialis, absque cunctatione agenda venire. [322]) — Instructio Ordinariatus *Ratisbonensis* primum particularis erat ad quemdam Decanum dd. 17. Aug. 1830. directa, id enuncians: Rescripti a Gubernio Regio dd. 16. Jun. 1830. editi hunc solum esse sensum, ne parochi catholici a parte acatholica scriptas reversales literas, aut iuratam promissionem exigant; legum Ecclesiae tenorem vero eum esse, ut matrimonium mixtum eo tantum casu licite iniri valeat, dum de catholica omnium prolium educatione requisita adest securitas, quae siquidem potissimum per pacta inter Sponsos inita subministretur, haec inspiciendi ius parochis porro quoque competere: ac proinde ordinarie tunc solummodo promulgari et benedici matrimonium mixtae religionis posse, dum pactum de edueandis in Fide Catholica prolibus parocho praevie per Sponsos exhibetur; nec potuisse memorato Edicto Regii Gubernii parochis prohiberi, ut tamquam doctores et medici spirituales suorum fidelium hos modis omnibus, quae in eorum sunt potestate, ad partes obligationis suae occasione mixtorum matrimoniorum illos manentis accurate explendas commoneant [323]). Idem Ordinariatus dd. 4. Januar 1831. generalem ad quosvis Parochos eodem in merito dimisit instructionem huius tenoris: scriptas quidem reversales aut iuratam promissionem super catholica prolium educatione haud amplius exigendas, ast simul in defectu certificati super hoc objecto legitima in forma exarati nullam activam partem in celebratione matrimonii mixti a parochis capiendam, proin nec promulgationes instituendas, nec copulationem ac benedictionem impertiendam, casus demum magis implexos ad Ordinariatum referendos esse. [324])

---

322) Mon. 133. pag. 159. — *Allgemeine Kirchenzeitung. 1831. p. 960.*

323) Mon. 134. pag. 160. — *Aschaffenburger katholische Kirchenzeitung. 1830. p. 718.*

324) Mon. 135. pag. 161.

§. 99.

Edictum anni 1802. quo coniugia inter partem catholicam et protestanticam a vinculo prioris matrimonii solutam parte altera adhuc superstite licita erant, ad intercessionem Archiepiscopi Bambergensis decreto Regio a. 1829. suffertur.

Quantopere Edictum Electoris Maximiliani Josephi dd. 8. Nov. 1802. quo facultas tribuitur Catholicis ineundi matrimonia cum Protestantibus a vinculo prioris connubii per fora civilia separatis vivente licet parte altera coniugum, principiis Ecclesiae Catholicae praeiudiciosum fuerit: in Epocha 3. uberius ostendimus [325]), id una exhibentes, quid S. Sedes Apostolica parte ex sua egerit, ut Edicti antelati revocationem apud Electorem Bavariae procuraret. Optandum adhuc itaque erat, ut Edictum, tantam Catholicis cum praeiudicio sanctionum canonicarum libertatem ineundi mixta connubia tribuens, Regia auctoritate abrogaretur. Praestitum id fuit erga intercessionem Archiepiscopi Bambergensis dd. 27. Octobr. 1828. factam per Regem Ludovicum ope decreti Roma dd. 22. April. 1829. editi: in quo praemisso eo, quod Tribunalia civilia in discussione quaestionis super matrimoniis praemissi generis haud semper recto ex obtutu eandem expenderint, eadem ad legem anni 1825. quae occasione discussionis causarum matrimonialium debitam ad impedimenta Jure Canonico constituta reflexionem haberi jubet, sancte servandam inviavit, et personae catholicae, quae cum protestantica a vinculo prioris coniugii soluta, vivente coniuge altero, matrimonio iungi cupit, indultum ad nuptias huiusmodi dari prohibuit, atque sic Edictum Regium anni 1802. doctrinae Catholicae haud consonum abrogavit [326]); ad intercessionem tamen Protestantium Provinciae Rhenanae, idem Edictum in partibus Rheni eous-

325) cf. §. 60.

326) Mon. 136. pag. 162. — Gengler, *die Verhandlungen der baierischen Deputirtenkammer über die gemischten Ehen. Bamberg. 1831. p. 69.*

que, donec contraria resolutione sublatum fuerit, in suo vigore permanere, Rescriptis dd. 14. Jun. 1830. et dd. 29. Jul. 1831. indulsit [327]).

III. Matrimonia mixta in Borussia.

§. 100.

Nisus legislationis Borussicae matrimonialis Ecclesiae et Religioni Catholicae adversus. Ministri Protestantici autorisantur, ut copulationes per parochos catholicos negatas peragant.

Quod de intentione Legislatoris Borussici quoad mixta matrimonia, et praesertim educationem religionariam prolium in Epocha 3. animadvertimus [328]), illam scilicet eo directam fuisse, ut Confessio Protestantica per leges in merito mixtorum matr. latas incrementum accipiat, et per consequens Catholicis modus haud suppetat, propagationem suae Religionis promovendi: id e legibus hac Periodo latis uberius adhuc intelligere licet. Quemadmodum enim famosae, et in legislatione Borussica super materia mixtorum connubiorum epocham constituentis, *Declarationis Regiae dd. 21. Nov. 1803.* [329]) iuxta quam omnes proles utriusque sexus in confessione *patris* educandae erant, scopus, ipso Regio Ministerio haud diffitente, non alter fuit, quam protectio et propagatio cultus Protestantici per id effecta, quod matrimoniorum mixtorum, in quibus vir erat protestans, longe maior fuerit numerus, quam ex adverso: ita, quae deinceps in Borussia ferebantur leges, eae omnes, saltim tacite, contra Religionem Catholicam dirigebantur, cum omnes principium memorata Declaratione Regia expressum, ut nempe proles patris religionem sequantur, retineant [330]).

327) *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1838. p. 1492.*

328) cf. §. 66.

329) cf. §. 66.

330) Quantopere legislatio Borussica recentior circa mixta matrimonia Religioni Catholicae adversa sit, et qualiter ipsa per suas

Praeprimis vero contemplanda est res mixtorum matrimoniorum in provinciis Borussiae Rhenano-Westphalicis, quippe quae potissimum catholicos numerarunt incolas, et ad quas oculus Regiminis Borussici singulariter defixus fuit. Cum in his Provinciis Parochi Catholici personis mixtae religionis, quae educationem catholicam prolium non promiserunt, copulationem passim denegaverint, et passive duntaxat in celebratione mixtarum eiusmodi nuptiarum se gesserint [331]): Regium Ministerium dd. 20. Januarii 1817. resolvit: a parochis catholicis, qui promulgationes, copulationem, et literas dimissoriales denegant, scriptum desuper documentum deposcendum esse, cetera inter id quoque testaturum, quanam ex causa iidem praedictas functiones parochiales explere nolint; et siquidem denegatio harum functionum pure ideo fieri comperiretur, quod Sponsi catholicam educationem prolium promittere recusent, Ministros Confessionis Evangelicae ultro auctorisari, ut functiones per parochos catholicos negatas peragant; si autem matrimonio aliud impedimentum obstare eveniat, aut parochus catholicus desideratum documentum extradare reluctetur, rem pro decisione ad Regium Consistorium referri oportere [333]).

§. 101.

Relatio Vicarii Trevirensis ad Summum Pontificem Pium VII. de Edictis Regiis in merito mixtorum connubiorum editis, et duplex Breve Apostolicum Roma ad eundem missum, an. 1817—1819.

Quamquam Rex Borussiae generalem illam legem, qua proles e matrimoniis mixtis omnes sine discrimine in con-

leges Religionem Catholicam sensim plane eliminare ex Borussia intenderit: stylo vehementi et exemplis longe plurimis demonstrare studuit Auctor operis magnam famam consecuti: *Beiträge zur Kirchengeschichte des XIX. Jahrhunderts in Deutschland. Augsburg.* 1835. de quo suo loco plura.

331) Exemplum e Dioecesi *Monasteriensi* §. 82. attulimus.

332) Mon. 137. pag. 163.

333) Mon. 138. pag. 164.

fessione patris educari iussit, omnibusque contractibus et pactis in obversum ineundis vim obligantem ademit, ad Provincias Rhenano-Westphalicas mox post susceptum earumdem regimen haud extenderit: ex parte nihilominus Regii Ministerii compluribus vicibus praeparatoria emanarunt Rescripta, id diserte prohibentia, ut parochi catholici a sponsis promissiones de catholica omnium prolium educatione exigere sibi caveant. Cum Rescripta huius generis Ordinariatus in non leves coniicerent anxietates et perplexitates: contra eadem apud Regiam Maiestatem repraesentare non neglexerunt. Praeivit ceteris Josephus Hommer, Dioecesis Trevirensis Vicarius *Ehrenbreitsteini* residens: qui simul datis 28. Januar. 1817. ad Summum Pontificem literis, damna et incommoda, quae in suo Vicariatu Religio Catholica propter Edicta Regia in merito mixtorum matr. perlata patiebatur, exposuit, quidve sibi agendum esset, inviari, ac signanter in eo instrui petiit: num constitutio seu Declaratio *Benedicti XIV.* super matrimoniis in Hollandia edita ad Dioecesim Trevirensem extendi possit, prout illam ad *Silesiam* extensam fuisse constat? Summus Pontifex Pius VII. ope Brevis de 23. April. 1817. Vicario Hommer rescribens, inprimis declaravit: quod, quum legum in Borussia sanctionibus omnis vis ademta sit pactis circa religionariam prolium educationem iniri consuetis, conjugia mixta nullo modo cohonestari, neque assensu Potestatis Ecclesiasticae permitti possint, sed potius Catholici ab illis contrahendis deterrendi sint. Tum statuit: matrimoniis impediri nequeuntibus, Parochos a quovis actu abstinere debere, e quo coniici posset, per eos matrimonia ista probari, si autem ad assistendum coniugiis talibus impellerentur, apostolica libertate declarandum esse, Deo potius quam hominibus obedire oportere. De quaestione porro circa extensionem Constitutionis Benedictinae rescribit: hanc nec ad Silesiam, nec ad aliam quampiam provinciam extensam esse, sed peculiari decreto Apostolico ad id opus fore. Demum super eo uberius adhuc informari voluit Summus Pontifex: an Acatholici in Dioecesi Trevirensi veram et propriam societatem constituant, iuribusque civitatis fruantur,

et cultum publicum exerceant? item an Conc. Tridentinum illic publicatum fuerit, vel saltem, et a quo tempore observatum? [333]) — In altero Brevi ad eundem Vicarium dd. 31. Octobr. 1819. dimisso Summus Pontifex ex sensu etiam *Congregationis Cardinalium* significavit: non posse a Sede Apostolica pro matrimoniis mixtis generalem dispensationem concedi, sed in singulo casu pro eadem recurrendum esse, non secus quam sub certis conditionibus concedenda, inter quas princeps est ea de catholica prolium utriusque sexus educatione, et propulsandis malis, quae ex eiusmodi coniugiis dimanare solent. [334])

§. 102.

Vicariatus Aquisgranensis in AD. Coloniensi instructio ad Parochos a. 1818. et 1819.

In sensu Brevis Apostolici ad Vicarium Trevirensem a. 1817. dati, Vicariatus etiam Aquisgranensis (Aachen) in Archidioecesi Coloniensi dd. 24. Jul. 1818. eam ad Clerum Curatum dimisit instructionem: matrimoniis mixtis sine speciali indultu Vicariali parochos assistere non posse, sique pars acatholica promissum de educandis catholice prolibus edere nollet, scripto nubentibus declarandum fore, quod nec proclamationes institui, nec matrimonio parochi assistere, nec literas dimissoriales extradare possint, hacve methodo quasvis difficultates evitandas sperari, cum *eadem sint Gubernii sensa* [335]). Per verba postrema Vicariatus procul dubio ad decretum anni 1817. allusit, in quo ad casum denegatae per sacerdotem catholicum copulationis ac assistentiae scriptum ab eodem desuper documentum deposci disponitur [336]): fuere tamen, qui verbis subtractis eum tribuebant sensum, quasi Vicariatus credidisset, Gubernium Civile eadem cum Sede Apostolica quoad promittendam a sponsis catholicam prolium educationem sensa fovere, ipsum-

333) Mon. 138. pag. 164.
334) Mon. 139. pag. 166.
335) Mon. 140. pag. 168. — cf. *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1820. p. 536.*
336) cf. §. 100.

que plane supremum Provinciae Praesidium ex immediato Regiae Maiestatis mandato Vicariatui declaravit: principiis Regiminis oppido adversari, ut a Sponsis promissum de educatione catholica prolium exigatur, et promisso haud sequuto assistentia parochi denegetur. Quapropter Vicariatus Aquisgranensis ope novi Circularis ad Clerum Curatum dd. 1. Febr. 1819. dimissi declarandum duxit: verba postrema prioris Instructionis, quorum sensus per nonnullos ambigue erat redditus, referri solum ad methodum per parochos assistentiam denegantes iuxta decretum Regiminis observandam, nimirum ut scripto declarent documento, quanam ex causa assistentiam praebere nequeant. [337])

§. 103.

Edicta Regia et Ministerialia pro eo, ut Parochi Catholici a ponendis impedimentis efficaciter cohibeantur.

Postquam Rex Borussiae Vicariatui Aquisgranensi, ut diximus, per supremum Provinciae Rhenanae Praesidem in-

---

337) Mon. 141. pag. 168. — Quae de casu Parochi in *Rheinberg*, in sequelam instructionis a Vicariatu datae matrimonium quodpiam mixtum nequaquam copulantis, pageliae memoratae: *Theolog. Quartalschrift. Tüb. 1820. p. 538.* et Zum-Bach, *über die Ehen zwischen Katholiken und Protestanten. Köln. 1820. p. 3. ff.* minus sincere referunt: ea iuxta genuinam relationem *Parochi Aquisgranensis* Nellessen, *richtige Ansicht des christlichen Ehevertrags. Aachen. 1821. p. 126. ff.* et epistolam ipsius Parochi Rheinbergensis dd. 2. Maii 1820. per laudatum Parochum vulgatam huc redeunt: Praesidem Regiminis Coloniensis Vicariatui pro medela retulisse quidem, quod parochus saepedictus sponsae catholicae viro acatholico nubentis et per Ministrum Evangelicum copulatae confessionem audire, eamque ad S. Communionem admittere noluerit; porro parochum a Vicariatu in quaestionem vocatum et ad onus responsionis tractum fuisse vel maxime ideo, quod, si pars catholica super admissa culpa poenitentiam agat, a Confessione repelli haud possit; ast querelam ea sui parte veram minime fuisse, quasi a Confessione sponsa illa reipsa per parochum repulsa fuerit: cum parochus confessionem illins exceperit, et in S. Tribunali ita se gesserit, prout iuxta principia et mentem Ecclesiae se gerere debuit.

timari iussisset, quantopere praxis Cleri Catholici, a sponsis diversae religionis promissionem super catholica prolium educatione exigendi et tantum hac praestita assistentiam activam matrimoniis talibus praebendi, principiis Regiminis sui repugnet: hoc ipsum medio decreti dd. 1. Mart. 1819. ad omnium Parochorum notitiam perferri voluit [338]); decreto autem dd. 6. April. 1819. eos Ministerio suo dedit ordines, ut omnia media adhibeant, quibus Sacerdotes Catholici ab impedimentis matrimoniis mixtis ponendis efficaciter inhibeantur, in specie vero rei mox deferantur, et contra illos ab officio suo suspendendos congrua absque mora suscipiantur, ipsique Superiores Ecclesiastici, qui Sacerdotes eiusmodi nefors protegerent, ultricem vindictam regiam sentiant [339]). Id singulare censemus, quod tam Edictum isthoc Regium, quam Rescriptum Ministeriale in eundem sensum dd. 18. April. 1819. ad Ordinariatus dimissum [340]), quo scopum intentum facilius certiusque assequantur, eo stratagemate utantur: ipsam rectiorem coordinationem status externi Ecclesiae Catholicae in Regno Borussiae sub opere constitutam interrumpi necessum fore, si Parochi porro quoque suam matrimoniis mixtis assistentiam praestare recusaverint, sicque publicam pacem inter Confessiones Christianas turbare perrexerint. Ita nempe Regimen Borussicum rem mixtorum matrimoniorum cum Ecclesiae Catholicae in Regno conditione tunc satis desolata connectendo, et benedictionis nuptialis a Parochis Catholicis impertiendae necessitatem ad valorem connubiorum persuadere nitendo, existimabat, fore, ut Parochi Catholici spe coordinandi quo ocyus Ecclesiae suae status ad implendam Regiminis intentionem, matrimoniorum videlicet mixtorum benedictionem absque ulla cunctatione praestandam, facilius certiusque permoveantur.

---

338) Mon. 142. pag. 168.

339) Mon. 143. pag. 169.

340) Vid. Alex. Müller, *über den Indifferentismus in Cultusangelegenheiten. Leipzig. 1830. p. 32. B.* — Paulus, *der wieder lautgewordene Principienkampf zwischen römischer Hierarchie und teutscher Staatsrechtlichkeit. Heidelberg. 1838. p. 51.*

§. 104.

Ordinariatuum Borussiae constantia in tuenda sincera Ecclesiae disciplina exemplo Vicarii Monasteriensis docetur, qui non minus, quam Vicarius Trevirensis principium catholicum manutenuit.

Vicarius Monasteriensis, Clemens Augustus Baro a Droste, quem iam antea in negotio mixtorum matrimoniorum pro tuenda Ecclesiae disciplina fortiter se gessisse, in Epocha priori [341]) retulimus, eandem disciplinam pari constantia praesenti quoque Periodo manutenere pergebat: cuius sui studii insigne praebuit exemplum, dum anno 1819. ob casum singularem matrimonii mixti haud benedicti per Regimen Civile ad onus responsionis attractus, datis 15. Januar. 1819. literis, solennibus verbis declaravit: se ad quaestionem Regiminis per modum duntaxat simplicis relationis respondere velle, non autem quasi de facto rationem reddere deberet, cum hanc non alteri quam Ecclesiasticae Potestati praestare teneatur; dein significavit: dispensationem in impedimento disparis cultus se haud secus praebiturum, quam si pars acatholica conditionibus ab Ecclesia praescriptis se submiserit, ad casum autem ulteriorum difficultatum per Regimen ponendarum se partes contrahentes Romam inviaturum, ut inde facultatem petant ineundi mixtum coniugium. [342])

Apparet igitur vel ex iis, quae hactenus adduximus, exemplis, quanta constantia Vicarii Trevirensis, Aquisgranensis, Monasteriensis principium catholicum in mixtis matrimoniis manutenere contenderint, non obstantibus Regiminis Rescriptis quantumvis minacibus et fulminatoriis. Id quod e literis etiam, quas laudatus Vicarius Trevirensis Hommer 12. Jun. 1822. ad Michaelem Sailer Episcopum in Bavaria dedit, quaeve nobiscum manu

341) cf. §. 82.

342) Mon. 144. pag. 170. — Vid. *Über die Cölnische Angelegenheit, Darstellungen, Betrachtungen, und Vorschläge von* Irenaeus. *Leipzig. 1838. p. 70. ff.*

benevola communicatae de praxi in Borussia hac Epocha usitata insigne praebent testimonium, uberius intelligere licet.[343])

§. 105.

Edictum Regium de an. 1825. quo lex anni 1803. proles e matr. mixtis in confessione patris educari iubens ad Provincias Rhenano-Westphalicas extenditur.

Postquam ex parte Regii Ministerii plura, ut diximus, velut praeparatoria Rescripta eum in sensum ad Regimen Provinciarum Rhenano-Westphalicarum dimissa fuissent, ut in his etiam Provinciis praxis, quae quoad mixta coniugia, et nominatim religionariam prolium educationem in partibus Regni Orientalibus inde ab anno 1803. viget, introducatur: anno tandem 1825. dd. 17. Augusti edidit Rex famosum decretum: quo Declarationem anni 1803.[344]) ad Provincias Rhenanus et Westphalicas extendendo, sanxit: „ut *abusus*, quo Clerus Catholicus a personis mixtae religionis ante copulationem de catholica omnium prolium educatione promissionem excipit, et duntaxat hac excepta copulationem peragit, pro futuro sufferatur, et, quod lege anni 1803. in Orientalibus Regni Provinciis statutum fuit, ut nimirum proles et matr. mixtis utriusque sexus in confessione *patris* educentur, in Provinciis quoque Occidentalibus, seu Rhenano-Westphalicis normae instar servetur, pacta vero in obversum inita omni robore destituantur." [345])

Decretum hocce Regium, quod in pagellis publicis et a Scriptoribus Protestanticis tam ab aequitate quam sapientia nimiopere commendatum fuit [346]), Ministri Regii non modo ad Episcopos, verum etiam ad Parochos ea addita sanctione transmiserunt: quod in obversum eius agentes sine

---

343) Mon. 145. pag. 171.

344) cf. §. 66.

345) Mon. 146. pag. 173.

346) E. g. a Doctore Heidelbergensi Paulus, *Sophronizon. 1825. IV. Heft. p. 115. ff.*

mora officio suo privandi sint [347]). Et reapse occurrunt exempla, per Regimen Borussicum unum alterumve parochum ob denegatam mixtorum coniugiorum copulationem coram foris plane criminalibus statutos, et Dioecesanis commissum fuisse, ut tales Curiones ceu munere suo indignos eodem privent [348]). Si autem quaeratur, qualiter nova dispositio Regia in Provinciis Occidentalibus excepta fuerit, certum est: eandem universim displicuisse Catholicis harum Provinciarum incolis, qui legislationi Gallicanae diu apud illos vigenti alioquin assueti, libertatis determinandi religionariam prolium educationem Edicto Regis Borussiae factam constrictionem aegre ferebant, et perpenso eo, Edictum hoc recte illo tempore perlatum esse, quo in aliis provinciis Principum Protestanticorum imperio subiectis in praeiudicium Ecclesiae Catholicae, favoremque Protestantismi complures leges ferebantur, Edicto quoque anni 1825. non aliud, quam propagationem Protestantismi, et diminutionem Ecclesiae Catholicae intendi, ultro perspiciebant. [349])

§. 106.

De praxi, quae post Edictum anni 1825. in Ordinariatibus Rhenano-Westphalicis viguit circa matr. mixta: signanter in Dioecesi Paderbornensi, et Archidioecesi Coloniensi.

Qualis post decretum Regium, cuius tenores superiore §. exposuimus, praxis circa celebrationem mixtorum matrimoniorum viguerit, proponere volentes, inprimis id referendum habemus, quidnam Episcopi Provinciarum Occidentalium in sequelam memorati Regii edicti apud Clerum

---

347) Vid. Benkert, *allgemeiner Religionsfreund. Würzburg. 1832. p. 686.*

348) cf. *Beiträge zur Kirchengeschichte des XIX. Jahrhunderts. Augsburg. 1835. p. 60. f.*

349) Plures defectus, quibus Edictum Regium laborat, detexit Gustav. Nicol. Rintel in duplici suo insigni opere, nimirum: *Clemens August Erzbischof zu Köln gegen die Anklagen der Preuss. Regierung vertheidigt. Regensburg. 1838. p. 11.* et: *Vertheidigung des Erzbischofs von Gnesen und Posen. Würzburg. 1839. p. 57.* *

suum constituerint. Primus hic nobis occurrit Vicarius Apostolicus Paderbornensis Dammers: qui literis circularibus dd. 28. Dec. 1825. Parochis in sequelam positarum ab his quaestionum peculiarem circa matr. mixta dedit instructionem. In ea quemadmodum Parochos ad obsequium Decreto Regio, quatenus sponsionem de catholica educatione prolium a sponsis exigi prohibet, exhibendum provocat: ita parte ab altera, siquidem leges Ecclesiae non minus vim obligandi habeant, eosdem parochos admonet, proclamationes et copulationem in mixtis matrimoniis tunc solum institui posse, quum sponsi, nulla coactione adhibita, libere promittunt, proles utriusque sexus a se in Religione Catholica educandas, et partem catholicam ab altera parte in exercitio cultus divini catholici minime turbandam fore [350]). Vicarius Paderbornensis igitur, ut e contextu et toto circularium eius literarum tenore ac spiritu videre est, dispositionem Codicis Civilis et ipsius Declarationis Regiae anni 1803. de iure parentum quoad educationem religionariam prolium suarum amicabiliter inter se conveniendi in salvo relicto, et ipsum Decretum anni 1825. coactivam duntaxat a sponsis exactionem promissionis super catholica educatione prolium prohibens cum legibus Ecclesiae Catholicae, quae matr. mixta nonnisi in casu educationis omnium prolium in Fide orthodoxa praevie promissae licita statuunt, conciliari posse existimans, Parochos suos sic inviavit et instruxit, ut non quidem exigant, libere datam tamen recipiant sponsionem super educatione prolium catholica. Verum ab Instructione anni 1825. Vicariali recessit nonnihil Episcopus Fridericus Clemens Baro a Ledebur, qui in literis ad Parochum quempiam 20. Maii 1827. datis [351]) promulgationes mixtarum nuptiarum pro eo quoque casu admisit, si educatio catholica omnium prolium praevie promissa non fuerit.

In Archidioecesi Coloniensi mitior invaluit praxis. Nam ex epistola, quam Vicarius Generalis Hüsgen

350) Mon. 147. pag. 174. — *Allgemeine Kirchenzeitung. 1826. p. 1536.*

351) cf. *Aschaffenburger kathol. Kirchenzeitung. 1833. p. 1194.*

dd. 30. Sept. 1828. ad quemdam virum ecclesiasticum dedit, quamque inter *Monumenta* nostra recensemus [352]), apparet: post susceptam per Comitem a Spiegel mense Maio 1825. Archidioeceseos Coloniensis gubernationem, eam in celebratione mixtorum matrim. in usum deductam fuisse normam, ut proclamationes sponsorum mixtae religionis casu in omni instituantur, copulatio vero nonnisi tunc, dum sponsi de educatione catholica futurarum prolium sufficientem praebent securitatem, secus autem parochi parti catholicae scriptum testimonium de nullo subversante canonico impedimento dare teneantur, in Sacro demum Tribunali, si pars catholica super admisso peccato sincere doleat, eadem absolvi et ad Sacramenta admitti possit.

§. 107.

Gubernio Borussico Edictum Regium anni 1825. in toto suo tenore a parochis observari urgente, Episcopi facultatem Romam recurrendi petunt: Rex petitam facultatem tribuit, sed tam ex Regiis, quam Ministerialibus literis ad Episcopos datis ultro apparet, facultatem Romam recurrendi nimium constrictam fuisse.

Quamquam Episcopi Provinciarum Occidentalium in sequelam Edicti Regii ad concessiones illas, quas ex parte Ecclesiae facere se posse existimabant, lubenter faciendas, ut §. superiore ostendimus, se determinaverint: cum nihilominus vel penes has concessiones circa copulationem ea introducta foret praxis, ut haec a parochis catholicis nonnisi in casibus sufficientis cautelae per sponsos de educatione catholica prolium praevie praebitae administraretur: assistentia vero istiusmodi conditionata Gubernium Borussicum, ex causa iam supra indicata [353]), minime contentum, Edictum Regium anni 1825. in toto suo complexu, et ad ultimum, ut aiunt, apicem in executionem sumi urgeret, adeo, ut parochi absque ulla conditione, seu catholica educatio

352) Mon. 148. pag. 176. — *Katholik, eine relig. Zeitschrift. 31. B. Speier. 1829. p. 74.*

353) cf. §. 103.

prolium promittatur, sive non, matr. mixta copulare obligentur, et renitentes per criminales processus severe puniantur: Episcopi Provinciarum Rhenanarum in magnas perplexitates ac angustias coniecti, apud Thronum Regium in eo supplices facti sunt, ut anxietates suas Romano Pontifici exponere, ab eoque congruas instructiones et inviationes in materia tam ardua petere sibi liceret. Annuit Rex precibus Episcoporum, datis ad unumquemque eorumdem literis 28. Febr. 1828.[354]) ast in literis his Rex non solum id manifestat, quod ex mente legum parentibus tantummodo quoad natas proles in quanam religione educandas ius competat amicabilem ineundi transactionem, non autem sponsis quoad proles primum Deo dante suscipiendas, ac proin Clero Catholico integrum non sit, sponsis circa meritum istud ante copulationem ponere quaestionem, ab eaque copulationem ipsam suspendere: verum etiam, quod non sine admiratione notamus, iis rebus Rex Protestans sese ingerit, quae in tota religione sunt sanctissimae, secretis videlicet Sacri Tribunalis; nam dum Episcopis facultatem largitur ad Sedem Romanam semet convertendi, simul illos quadamtenus provocat, ut parochos eo invient, ne parti catholicae, quae sine cautela de educatione prolium catholica a ministro protestantico copulata fuit, ad Sacramentum Poenitentiae accedenti *absolutionem* denegent!!! In iisdem literis id insuper absolute desiderat Rex, ut promulgationes mixtarum nuptiarum nullo in casu intermittantur.

Intentio Regia quoad promulgationes mixtorum matrimoniorum a parochis catholicis haud unquam intermittendas, et absolutionem partis catholicae in S. Tribunali minime denegandam in Regiis literis prodita uberius adhuc intelligitur e literis, quas eodem in merito Minister Cultus, ab Altenstein dd. 10. Mart. 1828. ad Episcopos Rhenanos dimisit. Epistola haec Ministri Regii, quam inter *Monumenta* sistimus [355]), multis ex obtutibus in prae-

354) Mon. 149ª. pag. 177.
355) Mon. 149ᵇ. pag. 180.

senti quaestione valde notabilis est: nam a) ipsa confirmat reflexionem a nobis superius positam [356]), quod nempe Gubernium Borussicum recentiori tempore per leges de mixtis matrimoniis latas reipsa numerum Catholicornm minuere, ipsamve Religionem sensim e ditionibus suis proscribere contenderit. Non erubescit scilicet Regius Minister in suis literis, facta etiam ad mitiorem praxim in Provinciis Orientalibus provocatione, palam confiteri: matrimoniorum mixtorum difficultationem ex parte Cleri Catholici unicum fere esse impedimentum, quod ocyori reorganisationi Ecclesiae Catholicae in Regno Borussico obstet, ac proinde si Clerus Catholicus mitiorem liberioremque praxim amplexus fuerit, nullum dubium superesse, quin coordinatio illa Ecclesiae laetiore passu processura, et optato exitu coronanda sit [357]). Non dubitat porro Minister affirmare, ne Sedem quidem Romanam alienam esse a sequenda mitiore quoad rem mixtorum connubiorum sententia, sed ipsam quoque probe nosse, quantis Rex Borussiae vel hactenus iam Ecclesiam Catholicam cumulaverit beneficiis! Verbo eo satagit Episcopos permovere Regius Minister, ut intentioni Gubernii Regii per exactam legum de mixtis matr. observantiam obsecundent. b) Non veretur inviationem plane et instructionem Episcopis suggerere, iuxta quam recursum suum ad Summum Pontificem adornent: hunc nempe ita concinnandum esse, ut nonnisi in generalibus terminis intermediatio et instructio Sedis Apostolicae petatur, haecque ad mitiorem praxim circa matr. mixta in provinciis Regni Orientalibus vigentem attenta reddatur. c) Quoad instituendas promulgationes et absolutionem parti catholicae in S. Confessione impertiendam Minister non minus quam Rex Episcopos reflectit.

356) cf. §. 66. et 100.

357) Eodem telo usum fuisse Regem Borussiae in Edicto de 6. April. 1819. superius §. 103. monuimus.

§. 108.

Recursus Episcoporum ad Sedem Apostolicam mensibus Martio, Aprili, et Majo a. 1828. adornati.

Facultate recurrendi ad Sedem Apostolicam obtenta, Episcopi Rhenani reipsa mensibus Martio, Aprili, et Maio anni 1828. literas suas supplices ad Summum Pontificem Leonem XII. dimiserunt, in iisque arduum, in quo versentur, discrimen exponendo, inviationem a Sede Apostolica flagitarunt. Dignum est ad modum illum nonnihil reflectere, quem Gubernium Ministeriumque Borussicum adhibuit, ut Episcopos Rhenanos ad recursum intentionibus Regiis conformiter adornandum permoveat. Ex iis nimirum, quae hoc in puncto luci publicae commissa habentur, nobisque innotuerunt [358]), apparet: Regiminis Consiliarium a Schmedding, Regii Ministerii instructionibus provisum, quemlibet ex Episcopis Rhenanis accessisse, et projectum adornandae ad Sedem Apostolicam repraesentationis Berolini praeparatum cum iis communicavisse, ut iuxta illud suos adornarent recursus, et eam singulariter extollerent circumstantiam, quod in Provinciis Regni Orientalibus *mitior* praxis vigeat, talemque Rex in provincias quoque Occidentales induci cupiat; Episcopos Regiae voluntati obsequutos, hac forma recursus suos reapse adornasse, Episcopum quidem Monasteriensem Casparum Maximilianum B. a Droste die 31. Mart. 1828. — Archiepiscopum Coloniensem Ferdinandum Augustum C. a Spiegel dd. 12. April. — Episcopum Trevirensem Josephum ab Hommer dd. 17. April. — Episcopum demum Paderbornensem Fridericum Clementem B. a Ledebur dd. 27. Maii 1828. — Archiepiscopum Coloniensem, qui ceteris fusiorem concinnavit, in fine recursus haec verba adiecisse: „quaestio, in quam incidimus, una mihi haec esse videtur, utrum quae in ceteris Regni partibus catholicis aut neglecta aut consulto reiecta sunt, nos unius provinciae episcopi spem habeamus susti-

358) *Aktenstücke über die Behandlung der gemischten Ehen in Preussen. Friedberg. 1838.*

nendi, an certamen subeamus inutile et Ecclesiae perniciosum?" Quibus verbis ad praxim mitiorem alludens, talem in Provincias Rhenanas etiam induci cupiebat. Quid Romae erga recursus Episcoporum decisum fuerit: id primum in Epochis sequentibus commode enarrari poterit, cum Breve Pii VIII. qui Leoni XII. interea fatis functo, successit, et ad recursus memoratorum Episcoporum rescripsit, longo tempore in manibus Regii Ministerii haeserit, nec nisi anno 1834. Episcopis consignatum fuerit. Nunc vero ad filum narrationis revertimur.

§. 109.

Episcopi Rhenani voluntati Regiae de promulgationibus semper instituendis et literis dimissorialibus extradandis, non exspectata Summi Pontificis resolutione, ultro consentiunt.

Quamquam Episcopi Provinciarum Rhenanarum negotium matrimoniorum mixtorum Sedi Apostolicae pro decisione repraesentaverint: hac tamen non exspectata, siquidem tam Regiae quam Ministeriales literae id urserint, ut in punctis nonnullis, signanter in promulgationibus per parochos catholicos omni in casu instituendis, prout etiam in extradandis dimissorialibus literis, ante resolutionem Pontificiam, propria sua auctoritate congrua sine mora disponerent: iidem Episcopi quoad utrumque hoc punctum voluntati Regiae obsequnti, Curatos conformiter inviarunt. Sic Episcopus Monasteriensis Circulari dd. 31. Mart. 1828. duplicis ordinis Parochis commisit, ut proclamationes sponsorum diversae religionis etiam tunc instituant, si promissio de catholica omnium prolium educatione non adsit, unaque literas dimissoriales parti catholicae extradent, quo ipsa cum sponso acatholico a ministro haeretico copulationem obtinere valeat; tum parochos eo inviavit, ut in omni mansuetudine tales personas tractent, partemve catholicam ad obligationes, quae illam post initum coniugium manent, attentam reddant, eoque flectere satagant, ut adhibitis apud maritum suum modis quibusvis hunc ad annuendum educationi catholi-

cae prolium permoveat [359]). Episcopus **Paderbornensis** dd. 8. April 1828. idem, quod prior, apud Clerum suum Curatum disposuit, eo addito, ut personae catholicae propterea, quia a ministro evangelico copulatae sunt, a S. Communione non repellantur [360]). In Archidioecesi **Coloniensi** iam a. 1825. usum invaluisse, ut tam proclamationes sine discrimine fiant, quam literae dimissoriales extradentur, superius ostendimus [361]): hoc loco id solum adnotantes, utrumque ope Circularis dd. 31. Januar 1829 ad Parochos dimissi denuo iisdem inculcatum esse [362]). Episcopum denique **Trevirensem** hoc idem fecisse, patet e literis Episcoporum Monasteriensis et Paderbornensis, cum uterque ad illum provocet.

§. 110.

Sensa Protestantium de dissuadendis matr. mixtis ex sententia Fori Civilis Regiomontani a. 1827. lata apparent.

Quantopere vel ipsi Protestantes saltim in thesi mixta matrimonia improbaverint ac dissuadenda censuerint: conspicuo exemplo ostendere volumus sententiae in **Foro Protestantico iudiciario Regiomontano** dd. 19. Maii 1827. latae in causa Porochi et Capellanorum *Braunsbergensium*, qui influxus illegalis occasione matr. mixtorum exerciti postulabantur. In sententia memorata dissuadentur mixta matrimonia his potissimum ex causis: quod in iis veri fines coniugii facile evertantur; quod ea cum in internum tum externum statum religiosum coniugum et familiae totius noxie influant; quod harmonia perfecta unioque voluntatum inter coniuges religione dispares nonnisi tunc sperari possit, si aut indifferentismus religiosus eosdem occupet, aut ma-

359) **Mon.** 150. pag. 183.

360) **Mon.** 151. pag. 185.

361) cf. §. 106.

362) Vid. *Beiträge zur Kirchengeschichte des XIX. Jahrhunderts. Augsburg. 1835. p. 140.* **.

ior culturae gradus, indeque promanans tolerantia illos distingvat. Dicitur porro in eadem sententia: hunc esse legislationis totius sensum, quod inter membra familiae disparitas cultus noxios exserere soleat effectus, et ideo per Declarationem Regiam anni 1803. sancitum sit, ut proles omnes in una eademque confessione educentur. [363])

§. 111.

Revisio legislationis civilis matrimonialis Berolini instituta, et projecta novarum legum.

Tertio praesentis Seculi decennio in Ministerio Regio Berolinensi in revisionem ac discussionem novam sumta est universa legislatio civilis circa matrimonium: qua occasione alioquin etiam leges de matrimoniis mixtis, et signanter de religione, in qua proles educandae sint, examini subjiciebantur, projectaque modificandarum nonnullarum legum fiebant; in specie Codicis legum a. 1794. publicati ea dispositio: ut proles e mixtis matrimoniis pro diversitate sexus religionem parentum sequantur, ita mutari proponebatur: ut patri ius competat desiderandi, quo omnes proles in sua religione usque expletum annum aetatis 14. instituantur; pariter illa Codicis antedicti sanctio: ut in obversum decretae iuxta sexum religionariae prolium educationis neuter parentum alterum per pacta aut aliter obligare valeat, in istam transformari projectabatur: ut in obversum dispositae educationis omnium prolium in religione patris cum nemine legitimus iniri possit contractus; tandem lex illa: ut, quamdiu parentes de educatione religionaria suarum prolium inter se conveniunt, tertius nemo ius habeat illis contradicendi, sequenti ratione modificari intendebatur: ut, quousque parentes in vita existunt, et de religionaria educatione liberis suis impertienda inter se conveniunt, nullus ipsis contradicere queat. [364])

---

363) Mon. 152. pag. 186. — Vid. *Zeitschrift für die Criminal-Rechtspflege in den Preussischen Staaten von* Hitzig. *VIII. B. 16. Heft. Berlin. 1828. p. 217—302.*

364) Mon. 153. pag. 187. — cf. Benkert, *allgemeiner Religionsfreund. Würzburg. 1832. No. 44.*

IV. Matrimonia mixta in aliis Regnis: Helvetia, Gallia etc.

§. 112.

In Helvetia: Episcopi generalem facultatem dispensandi a sede Apostolica petunt, sed non obtinent: disciplinam autem canonicam in obversum decretorum a Cantonibus editorum insigniter tuentur.

Episcopi Helvetiae per decreta Cantonum mixtis matrimoniis faventia, eademque promiscue admittentia provocati, quemadmodum priori Epocha, ita hac etiam pro obtinenda universali facultate dispensandi in impedimento mixtae religionis ad Sedem Apostolicam recurrerunt: signanter Episcopus Basileensis, qui per parochum urbis Basileensis in arduis adiunctis propter impedita parte ex sua mixta connubia constitutum provocatus, dd. 2. April 1817. ad Nuntiaturam Apost. Lucernensem literas dedit pro facultate dispensandi consequenda. Verum ab hac dd. 22. April. 1817. id obtinuit responsi: a Doctrina *Benedicti XIV.* recedi non posse, ac proin Sedem Apostolicam scopo obtinendae generalis dispensandi facultatis frustra adiri, sed potius sequendum esse exemplum Episcopi Lausannensis, qui cunctis postulatis circa faciliora reddenda mixta connubia constanter et fortiter restitit [365]). Eadem Nuntiatura in epistola ad *parochum Basileensem* 9. Nov. 1819. data clare significat: potestatem dispensandi in disparitate regionis uni Sedi Apostolicae reservari, ad eamque obtinendam requiri praeviam authenticam declarationem partium iuramento firmandam super eo: quod proles utriusque sexus in Fide Catholica sint educandae. [366])

Quamvis porro *Cantones*, qui iam anno 1812. de admittendis mixtis nuptiis *Concordatum* inter se iniere [367]), hac

---

365) Mon. 154. pag. 187. — cf. *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1822. p. 163.* et §. 84.

366) Mon. 155. pag. 188.

367) cf. §. 84.

epocha id omnes fere, si quinque Cantones excipias, confirmaverint: ad projectum attamen Cantonis Bernensis: ut proles omnes in confessione patris educandae statuantur, neutiquam accesserunt [368]). Episcopi autem sanctionum canonicarum vigorem porro quoque constanter tuebantur; imo Episcopus Churiensis a. 1819. benedictionem mixtis nuptiis impendi diserte prohibuit. Nec potuit eundem ab hac sententia Cantonis San-Gallensis provocatio dd. 8. Januar. 1820. instituta dimovere: nam in responsoriis literis dd. 21. Januar. 1820. pro disciplina et praxi Sedis Apostolicae se enunciavit. Quod ipsum Cantoni San-Gallensi occasionem praebuit, ope literarum dd. 28. Maii 1821. provocandi ceteros Cantones, ut mutuis consiliis, quid in hoc merito, et inprimis ad efficaciter cohibendos Episcoporum in impediendis mixtis matrimoniis passus, agendum sit, decidatur [369]). In sequelam provocationis in Conventu Turicensi (Zürich) 17. Julii et 14. Augusti 1821. celebrato quaestio de matr. mixtis in discussionem sumta, et praeprimis adversus influxum Curiae Romanae multa prolata, atque exempla ex Dioecesi *Constantiensi* [370]), ac aliunde adducta sunt, ut persuadeatur, Episcopos sine ullo scrupulo proprio motu *mitiorem* sententiam quoad mixta matrimonia amplecti ac in effectum deducere posse, nullumque hoc scopo, prout Canton San-Gallensis initio projectabat, recursum ad Sedem Romanam dirigendum venire, nec necessarium esse, ut iuxta opinionem Cantonis Aargaviensis [371]) Sedes Romana ad revocationem mandati de non benedicendis mixtis nuptiis provocetur; sed id propositum fuit: ut ad casum denegandarum per parochos catholicos proclamationum et copulationis, illae quidem auctoritate Regiminis per ministros protestanticos aut personas magistratuales instituantur, haec vero a Ministro Protestantico peraga-

368) Vid. Wachler, *theologische Annalen und Nachrichten. 1820. et 1821.*

369) Mon. 156. pag. 189. — Vid. *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1821. p. 609. ff.*

370) cf. §. 77.

371) Vid. *Theolog. Quartalschr. Tüb. 1822. p. 155. ff.*

tur [372]). Verum cum Deputati Cantonum instructione suorum committentium nulla ad projectum isthoc acceptandum provisi essent, in Congressu Turicensi nil decisum exstitit.

§. 113.

Decreta singularium Cantonum circa mixta matrimonia.

Ex Decretis, quae in Cantonibus nonnullis praesente Periodo perlata sunt, notamus sequentia: 1. Canton Bernensis Rescripto dd. 23. Mart. 1821. enunciavit: tolerari non posse, ut Sacerdotes Catholici nuptiarum mixtarum benedictionem impune recusent [373]). Tardius vero Canton hic adoptavit eam praxim, ut nuptiae mixtae, dum illas parochus catholicus benedicere recusat, per ministrum protestanticum copulentur: nec ullibi legimus, Cantonem Bernensem in sequelam prioris Rescripti quemquam parochorum ob denegatam benedictionem ad onus responsionis traxisse. Idem denique Canton dum occasione novae coordinationis Episcopalium dioecesium novum ordinem divinorum pro civitate Bernensi dd. 22. Aug. 1823. ederet, statuit: ut personae diversae religionis a ministro confessionis sponsi copulentur, proles vero in religione patris educentur, nec a Clero Catholico baptisari possint, nisi pater sit catholicus. [374]) — 2. De Cantone Graubündten constat: statum Evangelicum anno 1821. id proposuisse, ut proles e matr. mixtis iuxta pacta parentum, in horum defectu autem secundum sexum, filii proin in patris, filiae in matris religione educentur; ast Statum Catholicum propositionem hanc nequaquam acceptavisse [375]). 3. Canton Genevensis dd. 26. Dec. 1821. necessitatem benedictionis nuptialis abrogavit.

372) Mon. 157. pag. 191. — *Theologische Quartalschr. 1821. p. 786. ff.*

373) *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1823. p. 1032.*

374) Mon. 158. pag. 196. — *Allgemeine Kirchenzeitung. 1824. p. 166.*

375) *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1821. p. 793. 795.* et: *Allgemeine Kirchenzeitung. 1823. p. 21. 22.*

4. Canton Aargaviensis anno 1826. adoptavit legem Borussicam anni 1803. iuxta quam omnes proles in confessione patris erant instituendae. Universim vero observare licet, Cantones fere omnes eam sensim adoptasse praxim, ut in casu denegatae a parocho catholico benedictionis, hanc per ministrum evangelicum peragi decernerent.

§. 114.

In Gallia dispensatio sedis Apostolicae semper necessaria, et benedictio numquam adhibita.

In Gallia praxis, quam prioribus Periodis exhibuimus, hac quoque Epocha conservata, et hinc ante omnia dispensatio Sedis Apostolicae pro quovis casu matrimonii mixti necessaria fuit, nisi Episcopi facultatem obtinuissent dispensandi. Sic constat anno 1822. petiisse quemdam Ecclesiae Gallicanae Praesulem a Pio VII. longa epistola generalem ad matr. mixta admittenda auctoritatem eo, quod in sua dioecesi graves urgeant circumstantiae, talia coniugia admitti; Summum vero Pontificem dd. 26. Januar. 1823. rescripsisse: „se hucusque facultatem hanc denegasse Episcopis, verum ob peculiares circumstantias et singulare meritum Episcopo recurrenti concedere." Similiter Leo XII. in Brevi dd. 31. Mart. 1825. pari in merito ait: „se id ex specialissima gratia in exemplum non adferenda indulgere, et iis duntaxat casibus, in quibus magna causae gravitas et absoluta necessitas concurrant, et absque gravis mali periculo matrimonium differri nequeat, usquequo ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio." [376]) — Ritus in celebrandis matrimoniis mixtis in Gallia idem perseveravit, ut nempe ea extra Ecclesiam, et sine benedictione inirentur; conditiones vero, sub quibus illa coram parocho catholico iniri poterant, e Rituali Argentinensi iussu Gustavi Maximiliani Justi de Croy edito, et sub Episcopo Claudio Maria Paulo Tharin anni 1824. recuso commode licet eruere: praevie nimirum necessariam esse licentiam

---

376) Carriere, *de Matrimonio. T. 2. Paris. 1837. p. 87. s.*

Episcopi, tum ambos contrahentes coram parocho et testibus publicam ac solennem de prolium utriusque sexus catholica educatione promissionem elicere debere, contra agentes parochos vero suspensioni Episcopo ipsi reservatae obnoxios fieri [377]). Quae disciplina in Gallia tam sancte observatur, ut ne Regia quidem prosapia eximatur, sed ipsa quoque conditionibus antedictis se subiicere debeat, si quemquam de illa matrimonio mixto illigari contingat: quemadmodum occasione nuptiarum inter Regem *Belgarum* Leopoldum Aug. Confessioni addictum et filiam Regis Gallorum extra Ecclesiam et sine benedictione celebratarum observatum fuisse constat. [378])

§. 115.

In Dania, et Sabaudia.

In Dania ope mandati Regii dd. 30. April. 1824. §. 13. renovata est lex anni 1766. de *reversalibus* a parte catholica super educatione omnium liberorum in Confessione Lutherana praevie exigendis [379]); insuper constitutum: ut parochus catholicus absque facultate a Cancellaria Regia praevie obtenta personas mixtae religionis copulare non praesumat. [380])

In Sabaudia anno 1826. singularis sententia in Foro Civili lata exstitit super casu quopiam connubii mixti: nimirum connubium per ministrum evangelicum copulatum tamquam *concubinatum*, et prolem exinde susceptam velut *illegitimam* consideranda esse. [381])

§. 116.

Sententia Leonis XII. PP. de mixtis coniugiis in Encyclica a. 1825.

Epocham praesentem claudimus gravissimis verbis Summi Pontificis Leonis XII. in Epistola Encyclica ad omnes

377) Mon. 159. pag. 196.

378) cf. *L'ami de la Religion. No. 1984. T. 73. p. 84.*

379) cf. §. 73.

380) *Allgemeine Zeitung. 1840. No. 96. Beil.*

381) Dr. Friederich, *der Protestant, Zeitschrift für Evangelisches Christenthum, zur Erbauung und geschichtlichen Belehrung Gebildeter. 1. B. 2. Heft. Frankfurt. 1827. p. 126. ff.*

Episcopos a. 1825. quibus matrimonia mixta universim reprobat, educationis perversitatem inde quoque magnam partem repetendam deplorans, quod inter coniuges catholicos et haereticos iniquissima illa invaluerit conventio, ut vel tota proles patris, vel mascula patris, foemina matris religionem sequatur. Unde hortatur maiorem in modum Episcopos, ut suam eo convertere studeant sollicitudinem, quo fideles catholicam de Sacramento Matrimonii teneant doctrinam, et ad obsequium legibus Ecclesiae exhibendum adducantur. [382])

---

§. 117.

Literatura ex Epocha V.

A) Catholicorum. Occasionem scribendi hac Epocha sumserunt Eruditi e novis illis principiis, quae *de relatione Ecclesiae ad Civitatem*, et Catholicorum ad Protestantes per Rerumpublicarum Moderatores ac Administros proposita fuerunt. Dolendum autem e numero Catholicorum Scriptorum fuisse nonnullos, qui matrimonia mixta irrestricta defendebant, nullaque Ecclesiae lege illa prohiberi persuadere volebant.

60. Josephus Scheill, *Kirche, und Staat. München. 1818.* pluribus argumentis demonstrat, quantopere *Edicta Religionis* per Principes Catholicos aeque ac Protestantes perlata, in iisque contentae leges de religionaria prolium ex matr. mixtis educatione iuribus Ecclesiae Catholicae praeiudicent.

61. Franciscus Stapf, *vollständiger Pastoralunterricht über die Ehe. Frankfurt. 1819.* Sect. IV. de impedimentis matrimonii disserens, cap. 2. parochum catholicum gravi peccato cooperari ait, si parti catholicae literas dimissoriales eo fine tradat, ut a ministro haeretico copulationem recipiat.

62. Opus *anonymum: Rechtfertigung der gemischten Ehen zwischen Katholiken und Protestanten, in staatistisch-*

---

382) Mon. 160. pag. 197.

kirchlich- und moralischer Hinsicht; von einem kathol. Geistlichen; mit einer Vorrede von Dr. Leander van Ess, Professor und Pfarrer zu Marburg. Köln. 1821. quod communiter Parocho Catholico Multer in M. Princ. Hasso-Darmstadtiensi uti auctori tribuitur, magno argumentorum adparatu, et eruditionis ostentatione quaestionem de matr. inter Catholicos et Protestantes discutiendam sumsit, idque ostendendum: mixta matrimonia abs ullo scrupulo a Catholicis iniri posse, nullaque eosdem anxietate turbari debere, etiamsi proles in alia, quam catholica educentur religione. Ut hoc demonstret: a) totus in eo est auctor iste, ut potestate stricti nominis circa rem matrimonialem Ecclesiam exuat, solamque Civitatem veras leges, contra Ecclesiam nonnisi moralia quaedam monita ad coniuges condere posse asserat; b) antiqua statuta synodalia adversus matrimonia catholicorum cum haereticis ad connubia catholicos inter et protestantes adplicari haud posse censet, Protestantesve nec iuxta doctrinam S. Scripturae, nec secundum genuina Catholicismi principia, nec sensu Juris Canonici ad classem *haereticorum* referri, et tantum per summam temeritatem talibus accenseri statuit. c) Circa educationem religionariam prolium, quam omni iure ad parentes pertinere, et per Principes quoque libero parentum arbitrio relinquendam esse ait, id potissimum parti coniugum catholicae persuadere satagit, ne scrupulis conscientiae angatur, si proles suae in confessione protestantica instituantur: cum et protestantes in spiritu et substantia ad Ecclesiam Catholicam pertineant, et salus in Protestantismo non minus quam in Catholicismo obtineri, insuper nulla Ecclesia, nequidem Catholica, de se praedicare possit, quod ipsa sit *una solare salrifica.* d) Conditiones ab Ecclesia praescriptas enervare volens Auctor, contendit: dispensationis Pontificiae necessitatem frustra obtendi, prout et promissum de catholica omnium prolium educatione: cum haec parti protestanticae admodum praejudiciosa, et nec ab Ecclesia Catholica stricte sint praecepta. e) Quoad ritum celebrandi matr. mixta observat: satis fore, si nubentes suum consensum coram ministro protestantico et duobus testibus declarent, sicque

coniugium et ecclesiastico et civili respectu validum ineant (kirchlich-bürgerlich-gültige Ehe). f) In epilogo tandem adversus labem *indifferentismi* se praemunire satagens, paraenesim ad Ecclesiae Rectores dirigit, illosque provocat: ut in admittendis matr. mixtis indulgentiores sint, et dispositiones de religione, quam proles sequendam habent, Principibus relinquendo, ipsi tantum ea, quae doctrinae sunt ac prudentiae pastoralis, curent.

63. Quamquam Auctor mox memoratus a pluribus non protestantibus modo verum et catholicis Scriptoribus magnis laudibus celebratus fuerit [383]), magnamve generatim in orbe literario famam consecutus sit: non deerant tamen, qui eundem pro merito castigarent [384]): praeprimis L. A. Nellessen, Parochus Aquisgranensis in opere: ***Was ist Katholicismus? veranlasst durch den ungenannten kathol. Geistlichen in seiner Rechtfertigung der gemischten Ehen zwischen Katholiken und Protestanten. Aachen. 1822.*** in quo unam esse veram Ecclesiam, nimirum Romano-Catholicam, Protestantes autem, cum ab illa se seiunxerint, et insuper inter illorum et Catholicorum professionem fidei essentialis sit differentia, Protestantes veri nominis haereticis accensendos esse ostendit, hocque ipso infert: partem catholicam in coniugio mixto sine laesione conscientiae in id consentire non posse, ut vel una pars prolium suarum in Protestantismo educetur. [385])

---

383) Christ. Dan. Beck, *allgemeines Repertorium der neuesten in- und ausländischen Literatur. 1821. II. B. 3. St. p. 205.* — *Jahrschrift für Theologie und Kirchenrecht der Katholiken. V. B. 2. Heft. Ulm. 1821. p. 408.* — Fetzer, *Teutschland und Rom seit der Reformation Luthers. Frankfurt. 1830. II. B. p. 431.* — *Theologisches Literaturblatt zur Allgemeinen Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. Nro. 23. p. 181.*

384) *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1821. p. 700.*

385) Recensiones opusculi huius continentur in: Katholik, *eine religiöse Zeitschrif. IV. B. 1822. p. 7.* — *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1822. p. 515.* — Mastiaux, *Literaturzeitung für kathol. Religionslehrer. XIII. Jahrg. 3. B. Landshut. 1822. p. 251—279.* — Benkert, *Religionsfreund für Katholiken. Würzburg. 1822. p. 91.*

64. B i n t e r i m, *die gemischte Ehe, betrachtet in dem Geiste einer wahren christlichen Liebe.* Der Katholik, *eine religiöse Zeitschrift. VI. B. 1822. pag. 21—44.* ex conceptu genuino amoris, qui matrimonium efficit, ostendit, inter conjuges religione diversos veram coniunctionem cogitari haud posse.

65. *Gedanken über die gemischten Ehen, zur Prüfung und Beherzigung katholischen Pfarrern übergeben von einem ihrer Amtsgehülfen.* K a t h o l i k, *I. B. Mainz. 1821. p. 289—302.* cumprimis id demonstrat: Ecclesiam Catholicam a conditione promittendae per sponsos mixtae religionis omnium prolium educationis in Fide Catholica recedere nullo modo posse.

66. *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1821. p. 700—728.* singularem fovet sententiam: nulla nempe lege Ecclesiae matr. mixta universaliter prohiberi, constitutiones Papales esse solum particulares, pro casibus nonnullis editas, vi obligante pro tota Ecclesia minime praeditas, cavendum quoque esse Praesulibus, ne nimium zelum ac rigorem hic exserant, sed solum mediis, quae in illorum sunt potestate, puta docendo, exhortando, monendo a connubiis mixtis fideles retrahere studeant.

67. A l e x a n d e r M ü l l e r, *kirchenrechtliche Erörterungen mit besonderer Beziehung auf das G. H. Sachsen-Weimar, und die neuesten Verhältnisse der Landesherren gegen die römische Curie. Weimar. 1823.* pro potestate Principum legislativa circa matr. mixta pugnans, eos provocat: ut talem quoad religionariam prolium educationem statuant normam, quae et libertati cultus, et commodo prolium conformis sit ac proficua; leges dein hucusque latas percurrit, et omnes hoc vitio laborare ait, quod vel ex principio potestatis patriae, vel coeco religionis zelo profluxerint: optimam fore censet eam normam, iuxta quam proles in religione, quam maior civium pars sequitur, educantur, cum sic in proles respectu politico plura commoda dimanent.[386]

386) cf. *Katholik, eine relig. Zeitschrift. XI. B. 1824. p. 45—71.* item: *de Roskoványı, de Matrimonio in Eccl. Cath. T. 2. Augustae Vindel. 1840. p. 42. not. 159.*

68. *Über die Zulässigkeit gemischter Ehen, und insbesondere, ob der Katholicismus fordere, dass alle Kinder aus gemischten Ehen in der katholischen Religion erzogen werden sollen? Jahrschrift für Theologie und Kirchenrecht der Katholiken. VI. B. Ulm. 1824. p. 143—172.* persuadere conatur, tantum nonnullos Ordinariatus id desiderare, ut omnes proles e matr. mixtis in Religione Catholica educentur, Protestantesque iure querulari adversus hanc Ordinariatuum praxim: optimumve fore, si lege civili norma fixa stabiliretur, et quaevis coniugum pacta ac in specie literae reversales abrogarentur.[387])

69. Alexander Müller, *Beiträge zu dem künftigen deutsch-katholischen Kirchenrechte, oder staats- und kirchenrechtliche Erläuterung des G.H. Sachsen-Weimarischen Gesetzes vom 7. Octob. 1823. Neustadt. 1825. p. 238—314.* acri in Clerum Catholicum calamo invehitur, quod matr. mixta impediat et per conditiones, quas illis praefigit, publicam tranquillitatem Reipublicae perturbet: in reliquo idem sentit de norma pro educatione religionaria prolium a Statu Publico praefinienda, quod in priori opere (No 67.) proposuit.

70. *Philadelphos, noch etwas über die gemischten Ehen. Zweiter Supplementband zum Katholiken. Strassburg. 1825. p. 575—588.* argumentis, quibus ipsi Protestantium Theologi mixtas nuptias dissuadent, utitur contra haec connubia, et in catechismis libellisque elementaribus Religionis nullam mixtorum matr. mentionem fieri deplorans, maiorem in modum commendat, ut maturius mentibus prolium genuina principia Ecclesiae in gravissimo hoc merito instillentur.

71. Laurentius Wolf, *kann ein katholischer Mann mit einer protestantischen von ihrem Manne geschiedenen Frau eine gültige Ehe eingehen? Nebst einem Anhange über gemischte Ehen. Breslau. 1826.* quemadmodum partem catho-

387) Presso pede sequitur Auctorem operis No. 62. nominati, item *Brander, krit. Journal für die kath. Liter. Deutschl. 3. B. 1822. 1. Heft.*

licam quae absque cautelis matrimonio partis protestanticae iungitur, graviter peccare, ita partem protestanticam nullum ius habere parti alteri controvertendi, quod de catholica omnium prolium educatione praevie secura reddi exoptet; neque Catholicis omnia ea licere, quae legibus civilibus permittuntur, sed has ad normam legum Religionis exigendas, et in casu collisionis has prae illis amplectendas esse, ostendit. [388])

72. *Von der väterlichen Gewalt über die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen. Katholik. XXII. B. 1826. p. 31—44.* contra principium sic dictae potestatis patriae in determinanda religione, quam proles sequi debeant, multa profert, et legem in *M. Princ. Hasso-Darmstadtiensi* dd. 27. Febr. 1826.[389]) tamquam normam legislationis civilis in hoc puncto celebrat.

73. Anonymum opus: *Über die gemischten Ehen: oder, ist es ein allgemeines katholisches Kirchengesetz, dass bei gemischten Ehen die Kinder katholisch werden müssen? Verneinend bewiesen; nebst einer praktischen Anweisung, wie das Brautpaar kirchlich legal die gemischte Ehe eingehen könne, wenn der katholische Pfarrer die Proclamation und Copulation weigert. Stuttgart. 1827.* cuius auctorem non omnes eundem assignant [390]), magnam suo tempore famam consequutum, proprie adversus Instructionem circa matr. mixta a Vicario Apost. *Paderbornensi* a. 1825. ad Clerum

---

388) Recensio: Ammon, *die unveränderliche Einheit der evangelischen Kirche. Dresden. 1826. 2. Heft. p. 31.*

389) cf. §. 89.

390) Aliqui tribuunt opus Leandro van Ess, de quo supra No. 62. sermo fuit. Paulus Heidelbergensis in libro: *der wieder lautgewordene Principienkampf zwischen römischer Hierarchie und teutscher Staatsrechtlichkeit. Heidelberg. 1838.* p. 45. eonilcit, non absque influxu Benedicti Werkmeister opus scriptum fuisse, de quo in libro nostro: *De Matrimonio in Eccl. Cath. T. 2.* saepius, cumprimis in historia literaria sermonem fecimus. Binterim denique auctorem prorsus eundem esse cum illo, cuius opus No. 62. recensuimus, existimavit: *Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christ-kath. Kirche. VII. B. 1. Th. p. 144.*

Curatum editam [391]) dirigitur: sed simul totam quaestionem de matr. mixtis disquirit. Contendit autem: Ecclesiam nuspiam lege universali mixta connubia prohibuisse, sed semper inter limites opinionum nonnisi perstitisse ea, quae de matr. his sancita fuerant, nec decisiones Pontificias omnes inter se convenire; porro non Ecclesiae, sed Statui Publico ius competere impedimenta matrimonii constituendi, et ipsum Sacramentum sine omni cooperatione Ecclesiae a contrahentibus sibi invicem ministrari. Nec veretur auctor catholicus popularibus suis commendare, ut sine remorsu conscientiae iis, quae recentior legislatio civilis sanxit, obsequantur tum ideo, quod, quae Ecclesia disponit, suasiones sint duntaxat, ac adhortationes, tum quod doctrina de una salvifica non sit una de numero dogmatum catholicorum. Principes quoque provocat, ut omni qua valent energia rem mixtarum nuptiarum adversus Clerum Catholicum tueantur, et in praxi legislationem *Austriacam* sequantur. [392])

74. *Gutachten über gemischte Ehen.* Benkert, *Religionsfreund für Katholiken. Würzburg. 1827. No. 75.* quaestionem discutit: an parochus catholicus sponsos diversae religionis, qui catholicam omnium prolium educationem non promiserunt, ex ambone promulgare possit? et respondet, id eum facere non posse, tum quod promulgatio talis sit initium actus positivi ex parte Ecclesiae mixtum matr. quasi ratihabentis; tum quod ante omnia impedimentum disparis religionis per mutuam sponsorum coalitionem circa punctum preattactum removeri debeat; tum quod ex parte parochi matrimonium promulgantis, et eidem subin non adsistentis magna committatur inconsequentia.

75. *Bemerkungen über die Rechte des Staates und der Aeltern, hinsichtlich der religiösen Erziehung der Kinder, des Discretionsjahrs und der Wahl einer Religion.* Benkert, *Religionsfreund für Katholiken. 1827. No. 76.* parentibus, et

391) cf. §. 106.

392) Recensiones: Kerz, *kathol. Literaturzeitung. XIX. Jahrg. 1828. 2. B. p. 137.* — Schunk, *Jahrbücher der gesammten deutschen juristischen Literatur. IV. Jahrg. 1829. 2. B. p. 183. 201.* — Weiss, *Archiv der Kirchenrechtswissenschaft. 2. B. p. 196. 206.*

non Statui Civili ius circa religionariam prolium educationem disponendi addixit, nec ad solius patris, sed simul matris partes pertinere, ut de religione prolium quidquam statuatur, defendit.

76. *Forderungen der katholischen Kirche in Ansehung der Erziehung der aus gemischten Ehen erzeugten Kinder.* Kerz, *katholische Literaturzeitung. XVIII. Jahrgang. 1827. I. B. p. 226.* Jus Ecclesiae Catholicae desiderandi a sponsis mixtae religionis, ut catholicam educationem suarum prolium praevie promittant, inde probat, quod Ecclesia hoc poscendo, nonnisi partem catholicam coniugum ad obligationem suam reflectat; nec obstare Civilis Regiminis edicta, quae quippe tunc solum vi obligativa polleant, si principiis Religionis Christianae non repugnent. Provocat una Auctor Germaniae Praesules, ut mutuo consensu principia Ecclesiae circa matr. mixta enuncient, normamque praescribant.

77. Andreas Frank, Professor Francofurtensis, ad preces Sacerdotum Catholicorum, qui ob matr. mixta nimis multiplicata ad plures ingratas collisiones in Statibus Protestanticis devenere, concinnavit libellum: *Was wagt sowohl der Katholik, als der Protestant bei einer gemischten Ehe? Beantwortet von einem kathol. Geistlichen. Würzburg. 1827.* in quo propositis gravibus periculis animae ex eiusmodi coniugiis consequi solitis, ab iis ineundis dehortari studet tam Catholicos quam Protestantes. Pericula parti catholicae imminentia haec exponit: peccandi contra conscientiam et convictionem de praerogativa Fidei Catholicae, porro incuriam salutis, cum propriae tum prolium manifestandi, et secum ipso incessanter luctandi. [393])

78. *Das Verhalten katholischer Pfarrer bei Trauung gemischter Ehen:* Katholik, *eine relig. Zeitschrift. XXIII. B. 1827. p. 152—164.* agit de copulatione in mixtis matrimoniis, quam nonnisi impletis conditionibus Ecclesiae per parochum catholicum administrari posse statuit. Ordinariatibus proponit,

---

393) Recensiones: Kerz, *kathol. Liter. Zeitung. XVIII. Jahrg. 1827. 3. B. p. 289.* — Besnard, *Lit. Zeitung für die kath. Geistlichkeit. 18. Jahrg. 1827. 3. B. p. 257.*

ut unanimiter definiant, casu in contario nec proclamationes instituendas, nec literas dimissoriales expediendas esse.

79. *Libertas evangelica protestantica quoad prolium religionem in mixtis matrimoniis catholicos inter et protestantes secundum nova mandata politica Saxoniae de an. 1827. ad grammatices leges explicata.* Besnard, *Literaturzeitung für die katholische Geistlichkeit. XVIII. Jahrg. 1827. 3. B. p. 113.* oratione *ligata* perstringit legem sive Mandatum Regis *Saxoniae* de 19. Febr. 1827. [394])

80. Carolus Eduardus Goldmann, *einige kirchenrechtliche Betrachtungen. München. 1828.* legem *Saxonicam* anni 1827. ceu exemplum proponit, e quo appareat, quantopere Principes recentiori aevo in iura ac libertates Ecclesiae involaverint, sibique quamdam in ipsa sacra potestatem arrogaverint. Speciatim autem legis antelatae illam partem perstringit, quae de promittenda praevie prolium in Fide Catholica educatione agit, eamque prohibet; ostendit igitur, prohibitionem istam Ecclesiae Cath. principiis adversari, conscientiamque Cleri non minus quam fidelium constringere. [395])

81. *Die Wiederrechtlichkeit jedes Einschreitens der weltlichen Macht in das Recht der Eltern auf die religiöse Bildung ihrer Kinder. Aus naturrechtlichem Standpunkte.* Katholik. *XXVIII. B. 1828. p. 203—209.* adversus Edictum Regium *Borussicum* de an. 1825. [396]) propugnat: quamlibet dispositionem Status Publici in merito determinandae religionariae prolium educationis iura liberrimae parentum conscientiae subvertere; unumque nonnisi casum cogitari posse, in quo Principi disponere integrum est, si nempe parentes iuribus prolium suarum adversi quid constituerent, e. g. si parentes, unus Judaeus, alter Christianus, aut uter-

394) cf. §. 93.

395) Recensiones: Benkert, *allgemeiner Religions- und Kirchenfreund. Würzburg. 1828. p. 25. 415.* — Schenkl, *Institutiones Juris Eccles. Ed. X. a Jos. Scheill. procurata. T. 2. Landishuti. 1830. p. 438.*

396) cf. §. 105.

que Naturalista prolem baptisare renuerent, sicque e communione Ecclesiae excluderent.

82. *Einige rechtliche Bemerkungen über das Verhältniss des Staates zur katholischen Kirche, mit Anwendung auf die gemischten Ehen.* Katholik. *XXVIII. B. 1828. p. 294—312.* constitutiones Principum Germaniae pro favore confessionis, quam *pater* sequitur, circa religionariam prolium educationem latas examini subiiciendo, exhibet, quam clare Principes isti scopum suum, Religionis Catholicae propagationem impediendi, per memoratas leges patefecerint. Propugnat porro: Statui Civili qua tali prorsus indifferens esse debere, in quanam religione proles e matr. mixtis educentur, cum favendo uni religioni eo ipso alteri praeiudicaret; si autem hoc non obstante provisionem aliquam facere cupiat, hanc nonnisi in terminis generalibus et ita concipiendam esse, ut in re maximi momenti liberrimam voluntati et conscientiae conjugum relinquat potestatem.

83. *Über gemischte Ehen.* Katholik. *XXIX. B. 1828. p. 325—332.* eorum refellit opinionem, qui leges contra mixta matr. latas non ab Ecclesia, sed solum a Curia Romana proficisci aiunt. Leges porro de educandis prolibus nunc in confessione patris, nunc iuxta sexum parentum et minus aequas esse, et ad iurgia ac scissiones in familiis progenerandas aptas; optimum itaque fore, si Status Publicus a ferenda hoc in merito lege prorsus abstinuerit.

84. *Über gemischte Ehen.* Benkert, *allgem. Religions- und Kirchenfreund. 1829. No. 44.* legislationem civilem sibi non constare, sed admodum variare indicat, et haec proponit principia: ut Civitas junctis cum Ecclesia viribus indifferentismum, per mixta connubia valde promotum, exstirpare, Ecclesiamque prius audire satagat, quam legem ferat, demum ius parentum quoad liberorum educationem haud laedat.

85. *Organon, oder kurze Andeutungen über kirchliches Verfassungswesen der Katholiken mit vorzugsweiser Hinsicht auf Staaten gemischter Confession. Augsburg. 1829. p. 90—111.* ex lege illa, iuxta quam proles vel in confessione patris, vel secundum sexum parentum educandae sunt, plu-

ra mala in familias ac communitates dimanere ostendit, haud aliter praevertenda, quam si Potestas Legislativa sic statuerit: ut, ubi Religio Catholica praevalet, proles quoque hanc amplectantur, idemque relate etiam ad Confessionem Protestanticam observetur: hinc laudat praeprimis decretum *M. Ducis Saxo-Vimariensis* de an. 1823. id disponens, ut proles eam confessionem sequantur, cui antenati alterutrius parentis a longiori iam tempore addicti fuere. [397])

86. Josephus Scheill, *von den vermischten Ehen zwischen Katholiken und den Mitgliedern anderer christlichen Confessionen. Benkert, Athanasia. XVI. Heft. 1829. p. 61—113.* dein: *Mauri de Schenkl, Institutiones Juris Eccles. Ed. X. T. 2. Landishuti. 1830. p. 409—443.* historiam cum disciplinae Ecclesiae tum legum civilium in Germania circa matr. mixta latarum proponit. Sed in pertractatione doctrinali huius quaestionis non satis faventem expertus est fortunam. Nam ad quaestionem: qualiter conflictus duarum Potestatum, sacrae quippe et civilis praecaveri possit? datum per eum responsum, quod tota res mixtorum matrimoniorum sit merae conscientiae res et talis, quae ab omni legislationis civilis influxu immunis esse debet: Eruditis displicuit, qui mox animadverterunt, projectum Auctoris in praxim deduci haud posse [398]). Cum porro Auctor penes omnem licet eruditionem et animum Ecclesiae Catholicae sincere addictum, saepius veram suam sententiam celaverit, et cetera inter hoc quoque adstruxerit: parochum catholicum omni equidem nisu fideles ab ineundis mixtis coniugiis dehortari, promissionem tamen super catholica omnium prolium educatione minime exigere debere, cum ob id, tum ob alia minus caute et plane erronee adserta merito perstringebatur [399]); quare necessarium duxit, mentem suam uberius

397) cf. §. 92.

398) Kerz, *katholische Literaturzeitung. XXI. Jahrg. 1830. 2. B. p. 296.*

399) *Katholik, eine religiöse Zeitschrift. 43. B. 1832. p. 214. ff:* „— es ist Verläugnung seiner theuersten Pflichten gegen Religion und Kirche, Aufopferung der höchsten Interessen um schmäliche Schwäche, wenn man so weit geht, im concreten Falle Alles dem

clariusve enunciare: *Erklärung in Folge einer Aufforderung — in Betreff der gemischten Ehen.* Katholik. *49. B. 1833. p. 159. ff.* sed cum priorem suam sententiam de promissione super catholica educatione prolium a sponsis haud deposcenda nequaquam dimiserit, imo illam exemplo etiam Episcoporum *Borussiae* in partibus Rheni mitiorem praxim sequentium confirmare non dubitaverit: denuo animadversum merito fuit, ipsum haud satis inter ea, quae e sensu prudentiae pastoralis agenda sunt, et illa, quae Jus Canonicum stricte requirit, distinxisse, legibusque civilibus plus iusto virtutis in iis tribuisse, quae sacra sunt, et a potestate Ecclesiae dependent. [400])

87. *Abhandlung über die gemischten Ehen, betrachtet in ihrer Natur, Folgen, und verschiedenartigen Beziehungen. Aus der Schweiz eingesendet.* Köberle, *Magazin für katholische Geistliche. Landshut. 1830. II. B. p. 81—113. 129—141.* contra matr. mixta multis pugnat argumentis, et inter haec eo quoque; quod, quum Principes Protestantici inde a Pace Westphalica usque tempora recentissima, quibus Concordata cum Aula Romana pepigerunt, nullibi universalem pro ineundis matr. mixtis indultum stipulaverint, iis ipsis persuasum esse debuerit, matrimonia talia nimis periculosa esse.

88. Eduardus de Möy, *von der Ehe und der Stellung der kathol. Kirche in Deutschland rücksichtlich dieses Punctes ihrer Disciplin. Landshut. 1830. p. 99—121.* principia circa nuptias mixtas, quibus recentiorum in Germania legum ratio nititur, nimirum quod contrahentes sibi Sacramentum Matrimonii administrent, quod Ecclesia rationem contractus a Sacramento separet, quod Synodus Tridentina ad valorem matrimonii non plus desideraverit, quam ut coram parocho et duobus testibus celebretur, in examen revocat: coniugem autem, qui proles suas in alia, quam ca-

---

Zufalle überlassen zu wollen. So wenig Gesetze ohne ihre Aufrechthaltung in allen Vorkommnissen praktischen Werth haben, so wenig genügt allgemeine Belehrung von Seiten der Geistlichen."

400) cf. *Katholik, loc. cit. p. 187.*

tholica religione educari sinit, grave peccatum committere probat.

B) Protestantium.

89. C. A. Zum-Bach, in Borussia Regiminis Consiliarius, sumta ex Rescripto Vicariatus *Aquisgranensis* de an. 1818. matrimonia mixta nonnisi habita praevie securitate super educatione catholica prolium benedici admittentis [401]), occasione, concinnavit opus: *Über die Ehen zwischen Katholiken, und Protestanten. Historische Beiträge und Bemerkungen. Veranlasst durch die Aachener Generalvicariats-Sendschreiben und das Kön. Preuss. Kabinets-Rescript über diesen Gegenstand. Köln. 1820.* In eo ante omnia totam potestatem legislativam circa rem matrimonialem Imperio Civili vindicare satagit: dein ad quaestionem de matr. mixtis descendens, cum ex SS. Literis, tum ex S. Augustino probare vult, ne matrimonia quidem fidelium cum infidelibus prohiberi, hoc minus itaque coniugia inter Catholicos et Protestantes. De C. Tridentino ait, id in provinciis Rhenanis neqnaquam publicatum esse; asserit insuper, conditionem de educanda prole in Religione Catholica novam, et parti coniugum protestanticae summe gravem, tutioremque in Protestantismo salutis viam existere, sensu autem iuridico memoratam conditionem prorsus non subsistere. [402])

90. Auctoris huius errata longe plurima detexit, illumque insigniter refutavit L. A. Nellessen, *richtige Ansicht des christlichen Ehevertrags und der gesetzgebenden Gewalt der Kirche über denselben, aus Schrift und Kirchenrecht aufgestellt. Aachen. 1821.* de quo iam Nro 63. sermo fuit.[403])

401) cf. §. 102.

402) Recensiones: Beck, *allgem. Repertorium der neuesten Literatur. 1820. IV. B. 3. St. p. 156. — Leipziger Literaturzeitung. 1822. No. 265. p. 2119. — Theologisches Literaturblatt zur Allgem. Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. No. 23.*

403) Recensiones: *Theologische Quartalschrift. Tübingen 1821. p. 700. — Mastiaux, Lit. Zeitung für kath. Religionslehrer. XIII. Jahrg. 1822. 1. B. p. 311.* —

91. Sack, Professor *Bonnensis*, *wohlgemeinte Erinnerung an die Mitglieder der evangelischen Gemeine zu Bonn in Bezug auf die sogenannten gemischten Ehen. Bonn. 1823.* In parenaesi hac matr. mixtorum frequentiam in provinciis Rhenanis Borussicis laetum esse phoenomenon ait, cum per id unius confessionis erga alteram odia minuantur, unioque Catholicos inter et Protestantes sensim praeparetur; quoad educationem prolium optimum fore iudicat, si utraque pars coniugum prolium partem lucretur; contra Clerum Catholicum vero excipit, quod omnes proles catholice institui desiderat, unde plures cautelas popularibus suis occasione incundorum cum Catholicis coniugiorum proponit eo tendentes, ut pars catholica praetenso dogmate de una solave salvifica fide misso, in Protestantismo quoque tutam ad salutem viam praeberi persuadeatur. [404])

92. Adserta Sackii, praesertim quae de Ecclesiae Cath. doctrina minus recte proposuit, confutavit Sieger, *über gemischte Ehen. Ein Wort der Liebe an katholische und protestantische Christen.* Katholik. *XI. B. 1824. p. 1—28.* [405]) id cumprimis ostendens, partem coniugum protestanticam ex amore erga partem catholicam stricte teneri, ut desiderio huius in puncto educationis catholicae prolium deferatur.

93. Daniel, *Vergleichung des gemeinen Kirchenrechts mit dem Preussischen allgem. Landrecht in Ansehung der Ehehindernisse. Berlin. 1823.* auctoritate Theologi Catholici *Sanchez* [406]) mitiora circa mixtas nuptias statuit principia, signanter et inde argumentum sumens, quod ipsa Ecclesia in locis nonnullis easdem toleret.

94. Joannes Aug. Henr. Tittmann, *quibus legibus paria Ecclesiarum iura describenda sint, mixtorum matrimoniorum exemplo demonstratur. Lipsiae. 1824.* tenoribus Art. XVI. Foederis Rhenani de aequalitate iurium inter

---

404) cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. 1824. p. 529.* — *Katholik. XIV. Band. 1824. p. 3.*

405) Prodivit etiam separatim *Argentorati. 1824.*

406) cf. *Liter. ex Ep. I. §. 21. Nro. 2.*

Christianas Confessiones [407]), pro fundamento disquisitionis suae positis, multa adversus Ecclesiam Catholicam profert, quasi ipsa sola sit, quae equalitati constanter repugnet; asseritve, non aliter perfectam Confessionum Christianarum paritatem constitui posse, quam si Principes viri, misso Ecclesiae Romanae arbitrio, ex aeternis humanae rationis legibus, et natura Christianismi iura religionis definiverint; ac in specie si in mixtis matrimoniis iura coniugum non ex notione ecclesiastica matrimonii, sed ex natura ac indole matrimonii, qualis per rationem innotescit, evolverint: pro principio hic tenendum esse, ut utriusque coniugis propria iura manuteneantur; quoad determinandam religionem prolium respici debere ad patriam sponsorum, et si alteruter peregrinus sit ac advena, liberos in confessione alterius coniugis, secus in religione *matris* educandas esse: tum ideo, quod humanitatis ratio erga sexum religiosiorem id postulare videatur, tum quod per id patris auctoritati non praeiudicetur, qui semper in potestate habet, de eo prospiciendi, ut liberi ad maturitatem iudicii pertingentes ipsi decernere valeant, quamnam sequi cupiant religionem. [408])

95. J. C. L. Gieseler, Prof. Bonnensis (hodie Gottingensis), *zwei Abhandlungen über kirchliche Gegenstände. I. Über die Forderung des katholischen Clerus, dass in gemischten Ehen sämmtliche Kinder katholisch erzogen werden sollen. II. über die neuesten Unionsversuche in Bremen. Bonn. 1824.* In prima dissertationum postulatum Cleri Catholici, ut omnes proles e mixtis matrimoniis in Religione Catholica educentur, cum singulari ad opera *Nellessenii* (Nro 63. et 90.) attentione, ex principiis Juris naturalis, et Moralis universae refellere, ac proinde ostendere conatur, id reipsa nec ab Ecclesia Catholica desiderari posse. [409])

407) cf. §. 86.

408) Recensiones: *Allgemeine Kirchenzeitung. 1824. p. 662.* — *Theologisches Literaturblatt zur Allg. K. Z. 1824. p. 172.*

409) Recensio: *Theologisches Literaturblatt zur Allgem. K. Z. 1825. p. 163.*

96. Auctorem Nro superiore memoratum refutavit Sieger, *Nachtrag zu dem Worte der Liebe an kath. und evang. Christen über gemischte Ehen.* Katholik, *XIV. B. 1824. p. 257—290.* (Nro 92.) inprimis id demonstrans, magnam inter Catholicos et Protestantes respectu matr. mixtorum esse iurium inaequalitatem: cum pars catholica multo graviorem in se assumat obligationem parte altera, et coniunctio indissolubilis, uti pars catholica tenet, item solubilis iuxta sensa partis protestanticae, sint ab invicem prorsus diversa.

97. *Unpartheiische Ansichten über gemischte Ehen.* Allgemeine Kirchenzeitung. *Darmstadt. 1824. p. 1038.* dissuadet matrimonia mixta.

98. Wilh. Krug. magni apud Philosophos et Juris Naturae Doctores nominis, in opere: *Das Kirchenrecht nach Grundsätzen der Vernunft und im Lichte des Christenthums dargestellt. Leipzig. 1826.* quoad benedictionem matr. mixtorum defendit ius Status Publici, quemcunque ad illam impertiendam delegandi. Krugio ulterius progressus

99. Schirmer, *kirchenrechtliche Untersuchungen, ein nothwendiger Nachtrag zu dem Kirchenrecht von Prof. Krug. Berlin. 1829.* Statui Civili plane potestatem tribuit, ministrum Religionis benedicere nolentem munere suo privandi.

100. Mittermaier, *Bemerkungen über die neueste deutsche Gesetzgebung in Bezug auf religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen.* Themis, *Zeitschrift für praktische Rechtswissenschaft. I. B. Göttingen. 1827. p. 1—30.* leges civiles circa educationem religionariam prolium recentiori tempore latas percurrit, examinique subiicit: cuius resultatum est, ad exemplum constitutionis *Hannoveranae* de an. 1826. [410]) patri tamquam capiti familiae determinandum relinqui debere, in quanam religione proles educari velit; in reliquo ex divergentibus ab invicem legibus circa objectum hoc perlatis id quoque demonstrare studet, quanti sit meritum isthoc momenti, et quam parum attentionis eidem nonnullae Jurisdictiones impenderint.

410) cf. §. 93.

101. Christ. Fr. Elvers, *zur Erörterung der Streitfrage: ob der katholische Pfarrer wegen nicht erfolgenden Versprechens der kath. Erziehung aller Kinder die Einsegnung einer gemischten Ehe rechtmässig verweigern könne?* Themis, *Zeitschrift für praktische Rechtswissenschaft. I. B. 1827. p. 31—58.* asserit: Ecclesiam Catholicam consequenter agere quidem, dum sine praevia promissione benedictionem denegat; sed tantum in illo casu, si pars coniugum, quae vi legis et iuris de educatione prolium disponit, in alia, quam propria sua confessione illas educari sinit, seu dum vir catholicus in complacentiam uxoris proles in huius confessione institui permittit, benedictionem legitime denegari posse indicat. In casu autem, quo vir Protestans iure suo naturali de prolibus in sua confessione educandis disponit, non esse negandam benedictionem tenet. Singularem quoque tuetur sententiam in eo, quod affirmet: antiquiores Lutheranos horrenda in Ecclesiam Catholicam condemnationum iecisse plaustra, ac proin vix credidisse, etiam in Ecclesia Catholica salutem obtineri posse; recentiores vero aeque credere, essentiale esse inter doctrinam Catholicorum ac Protestantium respectu salutis discrimen, nec posse virum protestantem, nisi proles suas periculo salutis exponere velit, indifferentem esse circa religionem liberorum.

102. *Über die gemischten Ehen zwischen Katholiken und Protestanten. Noten zum Texte.* Allgemeine Kirchenzeitung. *1828. Nro 116. 117.* auctorem, de quo superius Nro 73. disseruimus, tamquam eximium mixtorum matrimoniorum athletam proponit, et contra adserta Theologi Bambergensis *Francisci Stapf*, de quo aeque supra Nro. 61. sermo erat, defendit.

103. *Über die neuen katholischen Kirchengesetze im Königreiche Sachsen.* Allgemeine Kirchenzeitung. *1827. Nro 76.* provisionem legis *Saxonicae* anni 1827. [411]) circa educationem prolium iuxta conventionem parentum instituendam maioribus difficultatibus premi existimat, quam

411) cf. §. 93.

si recissis contractibus, instar normae a parentibus mixtae religionis sequendae quidpiam determinasset.

104. *Neue kirchliche Gesetzgebung im Königr. Sachsen.* Allgemeine Kirchenzeitung. *1827. Nro 77. 78.* idem, quod prior censet, sed alio ex obtutu, nimirum quod peses provisionem legis illius Clerus Catholicus magnum exnerere possit influxum in coniuges, hosque eo pertrahere, ut proles omnes in Fide Catholica educent.

105. *Über die Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen.* Allgemeine Kirchenzeitung. *1830. Nro 125.* contra Decretum Regis *Bavariae* de 16. Jun. 1830. [412]) cam format exceptionem, quod parochis catholicis in salvo relinquat, partem catholicam ad procurandam omnium prolium in Religione Catholica educationem disponendi.

EPOCHA VI.

Ab anno 1831. seu discussione quaestionis matr. mixt. in Comitiis R. Bavariae usque famosam Conventionem Berolinensem de anno 1834.

I. Status matr. mixtorum in Bavaria.

§. 118.

Enarratur historia discussionis quaestionis de matr. mixtis in utraque Comitiorum Camera a. 1831. institutae, una cum projectis Articulorum, seu Legum.

In historia recentiori mixtorum matrimoniorum iure optimo epocham figit ea temporis periodus, qua in comi-

412) cf. §. 98.

tiis Regni *Bavariae* anno 1831. celebratis quaestio nostra, ac inprimis illa pars eiusdem: „an et quo iure Clerus Catholicus postulare valeat, ut sponsi diversae religionis ante suam copulationem de futuris prolibus utriusque sexus in Fide Catholica educandis promissum eliciant, secus nec promulgandi nec ritu consueto copulandi?" tam a Catholico quam Evangelico Statu magna animorum contentione agitabatur ac discutiebatur. Occasionem discussionis quaestionis huius sumsere Deputati ex instructione, a Vicario *Ratisbonensi* principio anni 1831. Parochis eum in sensum data: ut personas mixtae religionis ritu Ecclesiae consueto tunc solum in matrimonium coniungant, si conditioni Ecclesiae de promittenda praevie educatione catholica omnium prolium satisfecerint [413]). Fundamentum vero gravaminis contra Vicarialem hanc ordinationem inde petiit Diaeta Bavarica, quod illa manifeste collidat cum lege civili, quae circa religionem a prolibus connubiorum mixtorum sequendam positivas edidit sanctiones ac regulas, ac proin Clerus Catholicus ritus sacri administrationem conditioni praefatae alligando, eo ipso Regni Constitutionem in obversum iuramenti, quo illam servandam promisit, violet.

Describi satis non potest, quanta cum vehementia, quot item cum calumniis ac convitiis adversus Clerum Catholicum ex parte ipsorum Catholico nomine gloriantium Statuum actum fuerit, ut Clerus reapse criminis violatae Regni Constitutionis arguatur. Si momenta rationum, quibus parte ex utraque pugnatum est, quaerimus: ea huc redeunt: formam essentialem seu necessariam actus copulationis ab accidentali probe distinguendam esse; ad illam consensum Sponsorum in matrimonium coram parocho et duobus testibus declaratum, ad hanc preces et benedictionem Presbyteri referri; ad hanc quidem velut stricte rem mere religiosae indolis ac naturae parochum Catholicum cogi per Statum Civilem non posse, ast ad praesentiam seu assistendum matrimonio, praeterea ad promulgationes instituendas, et literas dimissoriales extradandas optimo iure Clerum ad-

413) cf. §. 98.

stringi; idque hoc magis, quod matrimonium non solius Ecclesiae potestati, sed praecipue Civili Jurisdictioni subiectum sit, et parochus matrimonio adsistens non Ecclesiae tantummodo sed Status Publici quoque agat ministrum. Circa educationem autem religionariam prolium haec proferebantur: Parentes iuxta Constitutionem Regni plena gaudere libertate, religionem prolium determinandi, illos proinde per Clerum in una duntaxat religione omnes proles semper institui urgentem in usu suae libertatis constringi haud posse; dispositiones Ordinariatuum in contrarium latas tamquam vi obligandi praeditas a Statu Civili agnosci nequire, etiamsi fors Romanae Sedis intervenisset auctoritas, cum huius decreta non prius, quam obtento placeto regio vim sortiantur obligantem. His et similibus argumentis rem suam agebant Deputati: et post institutam decursu plurium Sessionum deliberationem, Sessione tandem XXXVI. *Camera inferior seu Deputatorum* sequens *projectum legis*, Throno Regio substernendum, proposuit: „Clerum Catholicum ad exactam legis in Edicto Religionis quoad matrimonia mixtae religionis latae observantiam, signanter vero ad proclamationes omni in casu instituendas, et literas dimissoriales extradandas, prout etiam ad assistentiam in casu quoque denegatae per sponsos praeviae promissionis super catholica omnium prolium educatione praestandam, omnimode provocandum et continuata ulteriori renitentia, parochos non minus quam ipsos Ordinarios etiam per *sequestrationem bonorum temporalium* ad plenum obsequium legi civili exhibendum adstringendos esse." [414])

Projectum Camerae Deputatorum *Camera superior seu Consiliariorum* ita modificavit: ut de benedictione a parochis eam impertiri recusantibus mediis coactivis nequaquam urgenda disertam cautionem interposuerit. [415])

---

414) Mon. 161. pag. 199.

415) Mon. 162. pag. 200. — Historiam controversiae fuse proponunt: *Allgemeine Kirchenzeitung. 1831. No. 91. 153. 154.* — *Katholik. 1833. Nov. p. 133.* — Lippert. *Annalen des kath. prot. und jüdischen Kirchenrechts. IV. Heft. Frankfurt. 1833. p. 9. ff.*

§. 119.

Episcopi contra projecta Comitiorum tam Comitiis, quam Regi repraesentant, principiaque Ecclesiae Catholicae egregie tuentur.

Quamvis iam in Comitiis praesentes ex Statu Ecclesiastico magnae eruditionis viri nil intermiserint, quod ad debite sustinendam Ecclesiae Catholicae, et signanter Cleri Bavarici, circa coniugia mixta disciplinam, dein ad amoliendam a Clero violatae Regni Constitutionis suspicionem ac maculam necessarium videbatur: Ordinariatus tamen Bavariae simul atque de sententia Camerae Deputatorum, ac legis projecto informati sunt, ope singularium Repraesentationum tam ad Cameram superiorem quam ad ipsam Regiam Maiestatem dimissarum principia catholica genuine exponere, Cleri agendi rationem mascule defendere, adversus memoratum legis projectum energice intercedere, et a Rege id postulare opportunum duxerunt, ne projectum Comitiorum sua sanctione muniret. In Repraesentationibus his Episcoporum, e quibus duas tantum nimirum *Archiepiscopi Monaco-Frisingensis* dd. 3. Jun. 1831.[416]) et *Archiepiscopi Bambergensis* dd. 1. Aug. 1831.[417]) inter *Monumenta* communicamus, sequentia pro defensione Cleri Bavarici proferuntur: catholico non esse integrum, in educationem prolium suarum in alia, quam Catholica Religione, consentire; unam tantum esse veram a Christo revelatam doctrinam, unam ab Ipso institutam Ecclesiam Catholicam; proles alteri confessioni deputare idem fore ac fidem negare, prolesque ad apostasiam a vera fide traducere; id cum summum peccatum sit, peccare quoque Presbyterum per activam suam assistentiam actui coniugum peccamiuoso cooperantem; proin iure optimo prohiberi Presbyteris quemlibet actum, e quo cooperatio illius ad peccatum nubentium concludi posset; actus eiusmodi esse proclamationem et benedictionem; utramque esse rem religiosam, ab ecclesiastica Jurisdictione

---

416) Mon. 163. pag. 200.
417) Mon. 164. pag. 205.

in religiosum finem praescriptam, adeoque talem, quam praecipere vel prohibere non ad Statum Civilem sed Ecclesiam spectet; projectum legis in favorem Protestantium conditum impingere in ipsam Regni Constitutionem, quae libertatem conscientiae et religionis pro Clero Catholico sartam tectamque esse voluit; idem projectum non minus repugnare Concordato inter Sedem Romanam et Regem a. 1817. inito, in quo Potestati Ecclesiae liberrima circa res religionis coordinandas tribuitur auctoritas; instructiones denique Episcoporum Parochis datas non obesse libertati cultus Protestantici, cum eae matrimonia mixta non impediant, imo illa ceu valida et indissolubilia agnoscant.[418])

§. 120.

Resolutio Regia ad proiectum Comitiorum.

Repraesentationes Ordinariatuum ad Thronum Regium perlatae eum habuere effectum, quod Rex in Resolutione sua, quam instar sanctionis articulorum sive legum dd. 29. Dec. 1831. edidit, projecto Statuum de parochis catholicis ad praestandam mixtis matrimoniis assistentiam mediis etiam coactivis stringendis, suum neutiquam praebuerit assensum, sed solum in terminis generalibus subsistendo, illam declaraverit esse voluntatem suam, ut leges de ineundis inter personas diversae religionis coniugiis, ac in specie quoad promulgationes, dimissoriales, iura item parentum circa educationem religionariam prolium, accurate serventur [419]). Quam Resolutionem Ministerium Regium dd. 30. Januar. 1832. cunctis Regni Ordinariatibus intimans, tum exactionem literarum reversalium super catholica educatione prolium prohibuit, tum promulgationes institui, et literas dimissoriales sine cunctatione extradari disposuit.

---

418) Repraesentationes Episcoporum *Augustani, Ratisbonensis, Passaviensis* exhibentur in opere supra (not. 415.) citato: Lippert, *Annalen etc. p. 24 — 59.*

419) Mon. 165. pag. 210.

§. 121.

Ordinariatuum nonnulli circa promulgationes matr. mixtorum congrua mox statuerunt, alii autem sententiam sedis Apostolicae expetierunt.

Non omnes Bavariae Episcopi eiusdem erant sensus circa Regiam Resolutionem, et Rescriptum Ministeriale. Episcopi *Wirceburgensis* et *Spirensis* iam prius, ante editam Resolutionem Regiam, proclamationes et copulationem etiam tunc instituendas decreverunt, dum una pars prolium in confessione protestantica educanda praevidetur. Episcopus *Augustanus* dd. 17. Mart. 1832. Resolutioni R. accessit, eandemque a parochis servari iussit ita, ut ad casum haud promissae catholicae omnium prolium educationis parti catholicae significent: copulationem ministro protestantico peragendam relinqui, attestatum tamen super institutis denunciationibus, quales numquam intermittendae sint, extradare non recusent [420]). Archiepiscopus *Monacensis*, et Episcopi *Ratisbonensis*, ac *Passaviensis* rem totam ad S. Sedem Apostolicam pro decisione retulerunt. Licet autem non omnes Ordinariatus eiusdem fuerint quoad Resolutionem Regiam mentis: Regium tamen Ministerium ope Rescripti initio anni 1832. ad Consistorium Protestanticum dimissi non dubitavit affirmare, Episcopos Regni declaravisse, se Resolutioni Regiae conformiter parochis ad proclamationes mixtorum matrimoniorum aliasque functiones legetenus depostas incunctanter instituendas mandata dedisse. [421])

§. 122.

Breve Gregorii XVI. ad Episcopos Bavariae dd. 27. Maii 1832. in merito mixtorum matrimoniorum.

Postquam Gregorius P. P. XVI. per Episcopos Bavariae de eo certior redditus fuisset, inveniri complures,

420.) Mon. 166. pag. 210. — Idem, quod Episcopus Augustanus ordinavit, Archiepiscopum quoque *Bambergensem*, et Episcopum *Eichstättensem* disposuisse, refert: Lippert, *loc. cit p. 17.*

421) Mon. 167. pag 212.

qui apud populum fidelem omnimodam nuptiarum mixtarum libertatem fovere, ad eamque facilius promovendam opiniones veritati catholicae contrarias disseminare adnitantur, imo matr. mixta tunc quoque probanda esse contendant, cum haeretica pars viventem adhuc habet coniugem, a quo divortiata est; esse etiam, qui gravibus adhibitis poenarum minis animarum pastores ad nuptias mixtas in Ecclesia proclamandas et iis postea assistendum inducere haud vereantur; denique et tales existere, qui sibi et aliis persuadere conantur, non in Catholica solum Religione salvari hominem, sed et haereticos ad aeternam vitam pertingere posse: dd. 27. Maii 1832. *Breve* ad universos R. Bavariae Archi- et Episcopos dimisit: in quo Ecclesiae Catholicae Sedisque Apostolicae constantem quoad matr. mixta improbanda doctrinam apostolico exposuit oraculo. In exordio Brevis continuum illud Sedis Apostolicae studium memorat, quo ipsa invigilaverit, ne canones Ecclesiae contra matrimonia catholicorum cum haereticis perlati violarentur, et coniugia talia, si quando et ubi ea gravibus ex causis tolerari et indulgeri contigit, nonnisi praemissis debitis cautelis tum de parte catholica in sua fide non turbanda, tum de prolibus in Cath. Religione educandis admitterentur. Proposita dein occasione Brevis, per relationem videlicet Episcoporum praebita, ad rem ipsam veniens, a) de fundamentali Ecclesiae dogmate, quod est necessitas Fidei Cath. ad salutem, disserit, ex eoque deducit, quam illicita sint matrimonia cum haereticis, qui extra unitatem Ecclesiae Catholicae constituuntur. b) Praescribit modum, quem parochi occasione huiusmodi nuptiarum tenere debeant: edocendos nempe esse fideles mixta connubia contrahere cupientes, ea non aliter quam cum licentia ab Ecclesia petita et sub cautelis ab eadem praescriptis iniri posse; cumprimis vero monita pastorum animarum dirigenda esse ad inculcandam fidelibus strictam obligationem obediendi praeceptis Ecclesiae, vitandi non solum peccata, sed et pericula peccandi, et de educatione prolium in vera fide prospiciendi. c) Ad casum frustrati salutarium adhortationum effectus et matrimonii mixti sine praeviis cautelis vel aliqua saltem illarum initi decer-

nit: parochum abstinere debere a quovis actu, quo illud approbare videretur, in specie autem a proclamationibus matrimonio praemittendis, et dimissorialibus literis concedendis. d) Denique matr. mixta inter partem catholicam et haereticam, cuius coniux sententia civili a vinculo solutus adhuc in vivis superstes est, non tantum illicita sed et nulla ac adulterina fore docet, nec aliter licite tales nuptias iniri posse, quam si obstante canonico quopiam impedimento, causaque per Judicem Ecclesiasticum ad normam SS. Canonum cognita, prius matrimonium nullum fuisse ostenderetur.[422])

§. 123.

Episcopi Breve Apostolicum Clero Curato communicant: sed Regimen illo minime contentum fuit, Episcopique denuo ad sedem Romanam scopo obtinendae mitioris resolutionis recurrere debuerunt.

Quamprimum Episcopi Breve Pontificium e manibus Nuntiaturae Monacensis receperunt: id ad notitiam Cleri Curati perferre, eique conformem instructionem dare festinarunt. Constat id nominatim de Vicariatu *Eichstättensi*, qui in sensu Brevis dimissis Circularibus literis matr. mixta haud aliter in Ecclesia proclamari copularique vel parti catholicae literas dimissoriales extradari admisit, quam obtenta a Sponsis promissione de prolibus catholice educandis, insuper omnes casus mixtarum nuptiarum sibi referri iussit[423]); porro de Vicariatu *Wirceburgensi*, idem plane cum priori dd. 20. Mart. 1833. disponente[424]); et de Episcopo *Spirensi*, qui literis de 22. April. 1833. parochis suis id praeprimis commendavit, ut omni adhibita pastorali prudentia, vitataque coactione, sponsos ad promissionem super catholica prolium educatione eliciendam perducant[425]); de Dioe-

422) Mon. 168. pag. 212.
423) Mon. 169. pag. 218.
424) Mon. 170. pag. 219.
425) Mon. 171. pag. 220.

cesi tamen Spirensi memoriae proditum est, illic etiam sine obtenta morali certitudine de catholice educandis prolibus mixta matrimonia benedicta fuisse. [426])

At Regimen Brevi Pontificio non erat contentum, quod non modo copulatio benedictioque, verum et proclamationes literaeque dimissoriales eo prohiberentur. Hinc magna adversus Breve movebatur tempestas, hominesque de sanctissima Ecclesiae disciplina et legibus male sentientes, nil non moliebantur, ut denuo omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem foverent, praesertim in illis Regni partibus, ubi Protestantium maior vel certe aequalis cum Catholicis fuit numerus [427]); quare ipso Rege auctore Episcopi denuo ad Sedem Apostolicam recurrerunt, remque in Bavaria eo jam devenisse, quod ex ipsa Ordinariorum in custodiendis Sedis Apostolicae decisionibus promtitudine homines male animati occasionem sumserint Religionem Catholicam acrius divexandi, Ecclesiaeque auctoritatem in invidiam et contemtum adducendi, exposuerunt, sensumque Sedis Romanae de tenenda ratione in tanta negotii difficultate temporumque asperitate postularunt.

Nec deerant nova proiecta a singularibus viris et politicis tribunalibus proposita, atque eo tendentia, ut praxis Cleri circa matr. mixta canonibus sacris, Pontificiisque rescriptis conformis traducatur, et tamquam Constitutioni Regni adversa proclametur. Inter haec proiecta unum commemoramus, quod Guberuium Circuli Rhenani dd. 6. Jul. 1833. proposuit: ut nimirum legislatio civilis Gallica, quae antea in Circulo isto viguit, revehatur, et connubia coram Magistratu Politico ineantur, partiumque contrahentium arbitrio relinquatur, an benedictionem Presbyteri recipere velint nec ne? aut, si id non placeret, in sensu projecti Comitialis anni 1831. parochi per sequestrationem bonorum temporalium ad impertiendam benedictionem, Ordinarii autem ad retractandas suas ordinationes stringantur. [428]) In Comitiis quoque anni 1834. rursum agitata exstitit quaestio de pra-

426) cf. *Aschaffenburger katholische Kirchenzeitung. 1836. p. 199. ff.*
427) cf. *Sion. Augsburg. 1833. No. 14.*
428) cf. *Katholik. 52. B. 1834. p. 203.*

xi Cleri circa matr. mixta, nec minore, ac prius, anno quippe 1831. animorum aestu pro irrestricte admittendis matr. mixtis, et Episcoporum Encyclicis annuliandis peroratum fuit. [429])

II. Status matr. mixtorum in aliis Regnis.

§. 124.

In Würtembergia, M. Princ. Hasso-Darmstadtensi, et Elect. Hassiaco.

Epocha praesente in Regno *Würtembergiae* notari meretur *Declaratorium* Consilii Regii in rebus ecclesiasticis dd. 16. Nov. 1831. tum ad intercessionem Ordinariatus *Rottenburgensis*, tum ex incidenti quaestionum quoad applicationem priorum legum ad Regimen pro decisione frequenter delatarum editum: in eo regulae instar statuitur, proles in confessione patris educandas esse, parentibus nihilominus contractuum ante matrimonium vel eo etiam durante ineundorum plena libertas conceditur. [430])

In M. Principatu *Hasso-Darmstadtiensi* Rescripto Ministeriali dd. 26. Januar. 1832. *annus discretionis* pro prolibus e connubiis mixtis in anno aetatis 14° defixus est [431]); Rescripto autem dd. 9. Octobr. 1832. ad effectum procurandi legi de 27. Febr. 1826. [432]) obsequii parochi omnes eo inviati sunt, ut sollicite invigilent, num proles e mixtis connubiis ad respectivas scholas debite mittantur. [433]) In Co-

---

429) *Allgemeine Kirchenzeitung für das kathol. Deutschland. I. Jahrgang. 1834. München. p. 161.*

430) Mon. 172. pag. 222. — Longner, *Darstellung der Oberrhein. Kirchenprovinz. p. 177.* Declaratorium hoc *liberalissimum* ac *optimum* vocat.

431) Mon. 173. pag. 224.

432) cf. §. 89.

433) Mon. 174. pag. 224. — cf. Schumann, *Sammlung der das Kirchen- und Schulwesen betreffenden landesherrlichen und bischöflichen Verordnungen, im G. H. Hessen. Mainz. 1840. p. 197.*

mitiis a. 1832 et 1833. de abroganda lege anni 1826. tamquam tali, quae matris iuribus nimis praeiudicet, et ei substituenda alia, iuxta quam educatio religionaria libero utriusque parentis arbitrio determinanda relinqueretur, actum, sed nihil decisum fuisse constat. [434])

In *Electoratu Hassiaco* notanda *Conventio* inter Regimen et Episcopum *Moguntinum*: iuxta quam copulatio sponsorum mixtae religionis his ipsis libere eligenda committitur, an nempe talem a parocho sponsi vel sponsae recipere velint, coactio porro omnis vitanda, unice proclamatio semper instituenda, et attestatum de ea peracta parti petenti extradandum disponitur. [435])

§. 125.

In Saxoniae Comitiis a. 1833. et 1834. acres de modificanda lege anni 1827. concedendaque maiore mixtarum nuptiarum libertate disceptationes institutae: Clero Catholico principium Ecclesiae egregie tuente.

In Comitiis Saxonicis a. 1833. et 1834. non minori, quam in Bavaria a. 1831. animorum contentione agitabatur res mixtorum matrimoniorum. Occasionem dedit projectum legis per Regimen propositum: quod essentiales *Mandati* anni 1827. [436]) modificationes in se continebat: signanter ut copulatio semper ad parochum *sponsi* pertineat; proles autem in regula patris confessionem sequantur, ceterum in salvo relicta parentibus libertate per mutuos tractatus aliud disponendi; porro ut in casu denegatae a parocho catholico benedictionis, minister protestanticus ad illam peragendam auctorisetur; demum causae controversae ad Forum Civile deferantur [437]). In alio projecto Comitiis subseque substrato id quoque propositum exstitit: ut dispositio Mandati anni 1827. quae personis catholicis matrimonia cum protestantica parte a vinculo soluta, donec altera pars vivit,

434) Mon. 175. pag. 225. — *Katholik. 47. B. 1833. Beil. p. 46.*
435) Mon. 176. pag. 226.
436) cf. §. 93.
437) Mon. 177. pag 226.

prohibuit, abrogetur, taliterque maior mixtas nuptias ineundi libertas Catholicis concedatur. Equidem Clerus Catholicus ope repraesentationis admodum energicae dd. 8. April. 1833. ad Status in Comitiis congregatos directae, quae suarum erant partium, insigniter praestitit, inprimis contra projectatam Mandati anni 1827. de prohibitis cum protestantica parte a vinculo divortiata, donec pars altera superstes est, nuptiis abrogationem, item contra intentatam causarum matrimonialium a foris sacris ad civilia iudicia avocationem mascule protestando, doctrinamve Ecclesiae Catholicae tam de indissolubilitate vinculi matrimonialis, quam auctoritate fororum spiritualium egregie defendendo [438]: sed repraesentatio haec nullum in Comitiis produxit effectum, imo projectatae modificationes legis anni 1827. acriter propugnabantur, nulla tamen secuta decisione [439]. Duo, quae in Comitiis istis notatu cumprimis digna evenere, praeterire non possumus: *primum*, quod occasione discussionis super libello supplici per mulierem protestanticam exhibito, in quo a viro suo catholico ad perpetuos carceres damnato divortiari, sibique admitti petiit, ut filia sua in obversum promissi in copulatione facti, in Confessione protestantica educetur, Episcopus et Vicarius Apostolicus Mauermann in Camera Deputatorum enunciare non dubitaverit: Clerum Catholicum in Saxonia non desiderare, ut educatio catholica prolium in mixtis matrimoniis praevie promittatur [440]; *alterum*: quod idem Episcopus quaestionem in Comitiis positam: num parochus catholicus desiderio partis catholicae iuxta ritum evangelicum copulatae in Ecclesia etiam Catholica copulationem recipiendi, deferre possit? negative resolverit ex eo, quia Ecclesia Catholica copula-

---

438) Mon. 178. pag. 227.

439) Historiam discussionum Comitialium vid. in *Aschaffenburger katholische Kirchenzeitung. 1833. No. 58—61. 66—68. 70. 76 — 79. 85. 86. 88. et: Allgemeine Kirchenzeitung. 1834. p. 287. 518.*

440) Enunciationem hanc numquam fieri optassemus! ea profecto cum obligatione Parochorum curandi, ut occasione mixtorum matrimoniorum de educatione catholica prolium requisita praebeatur certitudo, componi nequit. Vid. *Allgemeine Kirchenzeitung. 1834. No. 20.*

tionem a Ministro Protestantico factam pro valida imo et sacramentali agnoscat [441]); reipsaque Episcopus Mauermann copulationem huiusmodi, vulgo *Nachtrauung*, Clero Saxoniae prohibuit, cum ipsa antea, si scriptori Protestantico Möhnert [442]) credimus, decursu 20. annorum in Saxonia ininterrupte exercita fuerit. [443])

§. 126.

In Borussia hac Epocha cumprimis notanda sunt: Parochorum quorumdam in Dioecesi Paderbornensi repraesentatio pro manutenendo principio catholico, et epistola Archiepiscopi Coloniensis C. Spiegel, e qua sensa orthodoxa viri huius ante initam famosam Conventionem apparent.

In Regno *Borussiae*, ubi Breve *Pii VIII.* ad recursum Episcoporum Rhenanae Provinciae a. 1830. editum [444]) per Regimen Berolini captivum tenebatur, primumque anno 1834. ut in proxime sequenti Periodo referemus, publicari concessum est, hac Epocha pauca quidem, sed magni momenti eventa recensenda habemus. Primum est: repraesentatio quindecim Parochorum Decanatus *Warburgensis* in Dioecesi *Paderbornensi* ad Episcopum dd. 17. Maii 1833. dimissa: in qua praemisso eo, quod resolutionem Episcopalem de 8. April. 1828. [445]) quoad promulgationes matr. mixtorum etiam in casu non praestitae a sponsis debitae de educatione catholica prolium securitatis instituendas, et partem catholicam a sacramentis minime repellendam cum principiis Ecclesiae Catholicae, recentissime in Brevi *Gregorii XVI.* ad Episcopos Bavariae [446]) propositis, conciliare haud sciant et possint: candide declarant, se, penes optimam licet voluntatem iussis Praesuleis obsequendi, memoratae resolutioni

441) *Landtags-Akten. II. Abth. 4. B. p. 34. 37.*

442) *Schutzschrift für die Nachtrauung gemischter Ehen in der kath. Kirche.* Pölitz, *Jahrbücher der Geschichte und Staatskunst. 1836.*

443) Quaestio haec, ut in *Literatura* dicetur, plurium eruditorum ingenia fatigavit.

444) cf. §. 108.

445) cf. §. 109.

446) cf. §. 122.

conformiter agere non posse, eiusque revocationem ab Episcopo petunt [447]). Verum Episcopus in literis responsoriis dd. 7. Jun. 1833. eousque, donec a Sede Apostolica quidquam pro Borussia ordinatum fuerit, resolutionem suam ab se nequaquam revocari, Breve vero ad Episcopos Bavariae datum nonnisi parochis Regni huius cynosuram praebere, significavit. [448])

Alterum est memorabilis Epistola, quam C. Spiegel Archiepiscopus *Coloniensis* 23. Januar. 1832. ad quempiam Episcopum, verosimiliter *Trevirensem*, dedit: ex hac enim apparet, quam orthodoxe Praelatus iste ante famosam *Conventionem* Berolini anno 1834. ut infra narrabitur, initam, circa mixta matrimonia senserit. In ea itaque epistola C. Spiegel sequentia manifestat: a) dispositionem Regiam dd. 17. Aug. 1825. [449]) Jurisdictioni Ecclesiasticae valde praejudicare, et ideo se quorumvis matrimoniorum mixtorum pertractationem ad suum Ordinariatum a parochis avocasse, ita, ut absque huius licentia ne unum quidem coniugium mixtum coalescere valeat. b) Licentiam assistendi connubio mixto tunc solum tribui, si sponsi libere et non coacti promittant, proles omnes in Fide Catholica educandas fore: proclamationes tamen una cum testimonio super iis parti catholicae etiam in defectu praeviae promissionis non negari. c) Matrimonium mixtum coram ministro evangelico initum a se ut validum respici, sed illicitum, et ideo partem catholicam nonnisi praestitis praestandis in S. Tribunali absolvi. d) Decisionem Romani Pontificis sibi normae loco futuram esse [450]). Mirari sane subit, Praelatum tam praeclare de hoc merito anno adhuc 1832. sentientem, post duos annos Berolini ea egisse, quae ab eo numquam agi debuissent!

---

447) Mon. 179. pag. 231. — *Aschaffenburger katholische Kirchenzeitung. 1833. p. 1195.*

448) Mon. 180. pag. 232.

449) cf. §. 105.

450) Mon. 181. pag. 233. Vid. Joan. Perrone, *tractatus de Matrimonio. Lugduni. 1840. p. 152. not. 3.*

Commemoramus adhuc Rescriptum Ministerii R. dd. 10. Dec. 1833. ad Ordinarium *Trevirensem* super eo: ut parochi catholici, qui nuptias mixtas benedicere, literasve dimissoriales extradare recusant, id una cum causa recusationis istius in scriptum referant, partique catholicae consignent, instar dimissionis pro obtinenda a Ministro evangelico copulatione serviturum.

§. 127.

In Polonia, et Russia.

De *Polonia* dominio Russorum Caesaris subjecta constat, a. 1825. Imperatorem *Alexandrum* in Diaeta *Varsoviensi* annunciasse: novum codicem legum pro Regno Poloniae proxime inducendum fore, Imperatorem *Nicolaum* vero a. 1827. Codicis huius primum volumen reipsa publicasse: sed quum legibus de coniugio latis Clerus fortiter restitisset, eas tunc statim in usum deductas non fuisse, in Comitiis tamen Varsoviensibus a. 1830. iussu Caesaris rursum publicatas esse. Post sedatos rebelles Poloniae motus, Imperator legem tulit, qua omnes Sacerdotes usitato solennis benedictionis ritu mixtas nuptias consecrare iubebantur, ita, ut contrarium agentes laesae majestatis crimine tenerentur. Anno porro 1832. dd. 20. Augusti, et 23. Novembris pro *Russia* constitutum est: matr. mixta parte una Graeco-Russica, a Presbytero Catholico copulata eousque invalida fore, donec Presbyter Graeco-Russus ea benedixerit, proles vero omnes ex matrimoniis talibus progenitas in religione Russica educandas venire. Decretum hoc Caesareum ad Poloniam quoque extensum fuit: ast cum officiales Regiminis id ad coniugia iam inita adplicarent, querelasve innumeras excitarent, Imperator dd. 26. Aug. 1833. declaravit: decretum anni 1832. tantum de matrimoniis post illud contractis intelligi. Decreto Caesareo velut Ecclesiae Catholicae summe praeiudicioso Episcopus *Podlachiae* constanter restitit, Parochosque eo inviavit, ut matr. mixta benedicere non praesumant. [451])

451) Vid. Theiner, *die neuesten Zustände der kathol. Kirche beider Ritus in Polen, und Russland. Augsburg. 1841. Docum. p. 348. 352.*

§. 128.

Literatura ex Epocha VI.

A) *Catholicorum.* Controversia de mixtis matrimoniis in Comitiis Bavariae agitata, multos ad scribendum provocavit, quorum catalogum teximus:

106. Classicum ceciuit auctor articuli: *Geistliche Umtriebe*, Ephemeridibus: *Das Konstitutionelle Bayern. 1831. p. 43.* inserti: qui dispositionem Ordinariatus *Ratisbonensis* anni 1831. [452]) cum lege civili collidere, Clerumque Regni Constitutionem violasse magna verborum facundia persuasum ibat; imo tam Regium Ministerium, quam Statuum Diaetam provocare non dubitabat, ut non admittant, quo Clerus Catholicus leges Regni impune transgredi possit. Reflexiones in articulum hunc vulgavit

107. Auctor dissertationis: *Beleuchtung der geistlichen Umtriebe, dass heisst, der nicht verübten, sondern im Konstitutionellen Bayern blos gedruckten. Allgemeiner Religionsfreund von* Benkert. *1831. p. 594.* ostendendo, Clerum nonnisi officio suo facere satis, dum conditiones Ecclesiae a nubentibus expleri urget, legesve civiles sic duntaxat obligare, si altioribus conscientiae ac religionis dictaminibus non repugnent.

108. Georgius Michael Wittmann, Episcopus primo Suffraganeus, dein ordinarius Ratisbonensis, in libello: *Principia catholica de matrimoniis catholicorum cum altera parte protestantica. Pedeponti. 1831.* [453]) doctrinam Catholicam de matrimoniis mixtis pro iis, qui in rebus theologicis parum versati sunt, methodo plana et vulgari proponit, eo quoque scopo, ut Ecclesiae doctrina persaepe non bene intellecta a falsis criminationibus immunis servetur. Singulari reflexione dignas censemus has assertiones: *primo*, quod in casu, quo sponsi inter se convenirent de

---

452) cf §. 98.

453) Prodiit eodem anno liber hic in linguam germanicam translatus: *Katholische Grundsätze über die Ehen, welche zwischen Katholiken und Protestanten geschlossen werden. Stadtamhof. 1831.*

prolibus pro diversitate sexus educandis, et tertio huic conventioni resistente, e pervicacia parentum omnes proles protestantice forent educandae, pro lucranda saltem unius partis prolium salute permitti possit parti catholicae, ut in educationem iuxta sexum consentiat, cum in omni quaestione morali, ubi de necessitate unius ex duobus malis quaeritur, decisio pro malo permittendo fieri debeat; *secundo*, quod ad quaestionem: an parochi assistentia non possit fieri actus mere civilis? negative respondeat, tum ideo, quod totus matrimonii actus apud Catholicos sit res religiosa et sanctitati innixa, tum quod civilis transformatio assistentiae parochialis multiplex deplorandum schisma inductura esset, siquidem totam potestatem matrimonialem in Civitatem transfunderet, et Ecclesiae abiudicaret; *tertio*, quod promulgationes in casu, quo tantum una pars prolium catholice educanda spondetur, et parochus assistere nequit, institui non posse censeat, cum Ecclesia in matrimonio Sacramentum agnoscat, quod minister protestanticus conferre non possit, et parochus catholicus ne per denunciationes quidem pro celebratione protestantica matrimonii absque labe cooperationis in peccatum concurrere valeat. [454])

109. Eduardus de Möy [455]), *die gemischten Ehen. Aschaffenburger katholische Kirchenzeitung. 1831. Nro 67—71.* refellit praeiudicia ex denegata per parochum benedictione in vulgus sparsa, quasi nempe parochus id agens duntaxat propriam suam opinionem, et non Ecclesiae ipsius sensum sequeretur; refutat quoque haec adserta: quod catholici non obstante prohibitione Ecclesiae, tuto inire valeant mixtas nuptias, quod ipsi contrahentes sint ministri sacramenti Matrimonii, quod in casu pessimo matrimonium etiam absque gratia sacramentali validum esse possit.

---

454) Recensiones: Benkert, *allgemeiner Religionsfreund, 1831. p. 1675.* — Besnard, *Lit. zeitung für die kath. Geistl. 22. Jahrg. 1831. IV. B. p. 191.* — Kerz, *katholische Liter. zeit. 1832. II. B. p. 406.* — *Sion. 1832. p. 454. 463. 469.* — Weiss, *Archiv der Kirchenrechtswissenschaft. 3. B. 1832. p. 138.*

455) cf. §. 117. Nro. 88.

110. *Beleuchtung der Verhandlungen über die gemischten Ehen in der baierischen Kammer der Abgeordneten im J. 1831. München. 1831.* Opusculi huius auctor, qui passim *Eduardus de Möy* esse censetur, enunciationes Deputatorum in Comitiis Bavaricis seria crisi perstringit, totamque quaestionem obtutu primum theologico, seu religioso, dein iuridico ac historico, demum in specie iuxta legislationem Bavaricam discutit: et maxima cum eruditione ac argumentorum soliditate cetera inter sequentia demonstrat: Statum Publicum de benedictione nuptiarum a parochis peragenda nihil disponere, nec literarum dimissorialium extradationem urgere, et, siquidem postulatum Ecclesiae de praevie spondenda catholica educatione prolium extra sphoeram activitatis Gubernii Civilis positum sit, nullum eapropter gravamen per id formari posse. [456])

111. A. Gengler, Prof. Bambergensis, *die Verhandlungen der Baierischen Deputirtenkammer in der 30—31. und 32. öffentl. Sitzung über die gegen die katholischen Geistlichen vorgebrachte Beschwerde, die Weigerung der Einsegnung gemischter Ehen betreffend, in theologischer und staatsrechtlicher Beziehung beurtheilt. Bamberg. 1831.* pariter, ac prior, tam theologice, quam politice argumentum mixtorum matr. pertractat: et priore quidem respectu praxim Cleri Catholici in Bavaria ex ipsa ratione naturali et matrimonii ac Ecclesiae conceptu iustificat; posteriore autem praxin Cleri Bavarici anti constitutionalem dici non posse sed potius Rescripta Regiminis parochos ad actus conscientiae adversantes cogentia in Constitutionem Regni impingere, ostendit. [457])

112. Georgius Jos. Götz, *wird Baiern dekatholisirt werden? eine Frage veranlasst durch den Baierischen*

---

456) Recensiones: Beukert, *allgemeiner Religionsfreund. 1831. p. 1671.* — *Aschaffenburger kathol. Kirchenzeitung. 1832. p. 262.* — *Katholik. 43. B. 1832. p. 361.* — Kerz, *kathol. Literaturzeitung 1832. I. B. p. 59.*

457) Recensiones: *Literaturblatt zur kathol. Kirchenzeitung. 1831. No. 8.* — Lippert, *Annalen des kath. prot. und jüd. Kirchenrechts. 3. Heft. Frankfurt. 1832. p. 140.* — Kerz, *kathol. Liter. zeitung. 1832. II. B. p. 406. 416.*

Landtag. Ingolstadt. 1831. proprie refellit enunciationem in Diaeta Bavarica factam de existentia occultae cuiuspiam Congregationis in sinu Ecclesiae Catholicae, quae regnum Principum infirmare, dominium Cleri vero augere, omnemve scientiis et illuminationi viam praecludere velit; tum ad denegatam a parochis mixtarum nuptiarum benedictionem transiens, statuit: non Clerum Constitutioni adversari, sed adversarios Cleri secum ipsis pugnare, dum Clero denegationem benedictionis vitio vertunt, cum parte ab una perfectam conscientiae libertatem praedicent, parte autem ab altera hanc in Clero Catholico constringant. [458])

113. *Über die gemischten Ehen. Bemerkungen über die Beschwerde und den Vortrag darüber in der zweiten Kammer in München.* Benkert, *Athanasia. 30. Heft. Würzburg. 1831. p. 485—503.* ex ipso tenore legum civilium Cleri Bavariae agendi rationem defendit, signanter a) ex Art. 1. Concordati, liberrimum Religionis Catholicae exercitium, eiusque praerogativas stipulante; b) ex art. 12. Concordati ius Episcoporum in iis, quae ad religionem spectant, diserte confirmante; c) ex Const. Civ. Tit. IV. §. 9. de potestate Ecclesiae in sua sphoera minime impedienda; d) e pluribus Articulis Edicti Religionis, in quibus de potestate coercitiva Ecclesiae sermo est, ex qua denegatio benedictionis nuptialis explicanda sit.

114. Laur. Wolf [459]), *Kurzgefasste Rechtfertigung der katholischen Geistlichkeit in Kön. Baiern, in ihrer Forderung: dass alle Kinder aus gemischten Ehen katholisch erzogen werden. Würzburg. 1831.* methodo populari obligationem Cleri strictissimam esse demonstrat: matr. mixta dissuadendi, eoque connitendi, ut educatio catholica omnium futurarum prolium praevie in tuto posita sit; porro ostendit, parochum catholicum sub actu copulationis Ecclesiae esse ministrum, eumque non minus quam ipsos Legislatores

---

458) Recensio: Benkert, *allgemeiner Religionsfreund. 1831. p 1128.*

459) cf. §. 117. Nro. 71.

ad id obligari, ut principia Ecclesiae in rebus doctrinalibus numquam ex oculis dimittant. [460])

115. Zimmermann, parochus in Bavaria, *über gemischte Ehen. Konstitutionelle Kirchenzeitung aus Baiern für kath. Geistliche. Kempten. 1831. p. 204. 205.* pro defensione mitioris praxis in arenam descendit, et propugnavit: tam promulgationes, quam literas dimissoriales actus mere civiles esse, atque a parocho tamquam Status Publici ministro suscipi, utrumque igitur praecipi ab eodem Statu posse; benedictionem vero e mente ipsius Conc. Tridentini semper adhiberi debere persuadere conatus est eo argumento, quod Concilium hocce matr. mixta valide et licite iniri posse statuerit. [461])

116. *Verhandlungen der jüngsten Baierischen Deputirtenkammer über die gemischten Ehen, nach ihrem wesentlichen Inhalte aus den öffentlichen Protocollen gezogen und durch begleitende Bemerkungen in's Licht gestellt.* Benkert, *Athanasia. 35. Heft. Würzburg. 1832. p. 225—362.* opportunas continet reflexiones adversus enunciationes Deputatorum scopo condemnandi Cleri Catholici in Bavaria factas.

117. *Über die gemischten Ehen. Konstitutionelle Kirchenzeitung aus Baiern. Kempten. 1832. p. 21—26.* ex conflictu duarum Potestatum non alium suppetere egrediendi modum censet, quam si in matrimonio ratio contractus a Sacramento separetur, et tam Status Civilis proclamationes et copulationem a suis Officialibus peragi, quam Ecclesia id, quod sua ex parte agendum est, agi procuraverint.

118. I. Stratmann, *ausführliche Erörterung in Hinsicht auf die katholisch-christlichen Grundsätze über das legislative Verhältniss zwischen Kirche und Staat, in Beziehung auf die religiöse Erziehung der Kinder von Aeltern eines unterschiedenen Bekenntnisses der christlichen Religion, zur Beseitigung der solchartigen Collisionsfälle, insbesondere*

---

460) Recensio: Besnard, *Literaturzeitung für die kath. Geistlichkeit. 1831. III. B. p. 225.*

461. Assertionem hanc in examen vocavit Laur. Wolf. *kirchenhistorischer Bemerker zum allgemeinen Religionsfreund. 1831. p. 329. ff.*

bei der Frage über die Zulassung der dawider handelnden Pfarrgenossen zum Empfange der Sacramente. Benkert, *Athanasia. 41. Heft. 1833. p. 260. ff.* principia proponit ad praecavendas collisiones inter sacram et profanam Jurisdictiones.

119. *Über die gemischten Ehen, mit besonderer Rücksicht auf das Königreich Baiern.* Lippert, *Annalen des katholischen, protest. und jüdischen Kirchenrechts. IV. Heft. Frankfurt. 1833. p. 1—65.* nihil obstare censet, quominus Clerus promulgationes matr. mixtorum etiam tunc instituat, dum benedictionem denegare debet, cum promulgatio matrimonii non sit ejus approbatio, sed tantum ad detegenda impedimenta instituta: secus non superesse ad praevertendas collisiones medium aliud, quam separationem contractus a Sacramento. [462])

120. Salat, in libello suo: *Aufschluss über den Ultrakatholicismus. München. 1833.* pro defensione matr. mixtorum irrestrictorum in arenam descendit, et postquam contra sic dictos Ultracatholicos multa protulisset, statuit: praxim ante Breve Gregorii XVI. in Bavaria frequentatam, matr. mixta etiam sine praevia promissione educandarum in Fide Catholica prolium benedicendi, porro quoque retinendam esse, eo magis, quod tota haec res ad disciplinam pertineat mutabilem.

Praeter Auctores hactenus recensitos, qui e controversia in Comitiis Bavariae agitata scribendi occasionem sumsere, memoramus ex Epocha VI. sequentes Catholicos Eruditos, qui operibus de mixtis matr. scriptis inclaruere:

121. *Schreiben über die Gewissenspflicht eines katholischen Ehetheils hinsichtlich der religiösen Erziehung der Kinder in einer gemischten Ehe.* Kerz, *katholische Literaturzeitung. XXII. Jahrg. 1831. II. B. p. 80. ff.* strictam obligationem coniugis catholici mixto matrimonio illigati praevie prospiciendi de educatione prolium omnium catholica, jam e notione Ecclesiae Catholicae tamquam unius ac solius salvificae resultantem, ex duplici insuper officio comprobat: pri-

462) Recensio: *Allgemeine Literaturzeitung. Halle. 1834. No. 64.*

mo, ex officiis, quibus erga se ipsum, Deum atque Ecclesiam obstringitur, quibusve certo repugnat, proles in erronea religione educandas permittere; secundo ex officiis, quibus erga proles tenetur, quae quippe ius habent a parentibus suis exigendi, ut in re summi momenti, nimirum salutis, certam viam nanciscantur. [463])

122. Antonius Jos. Binterim, *von der Unzulässigkeit der Ehen zwischen Katholiken und Irrgläubigen in kirchlicher Hinsicht. Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christ-katholischen Kirche. VII. B. 1. Th. Mainz. 1831. p. 137. 250. 2. Th. 1833. p. 1—179.* cum singulari attentione ad opera pro defensione nuptiarum mixtarum a *Multero* edita [464]), proponit et explicat genuinam Ecclesiae de hoc argumento doctrinam. Sequentia illius asserta peculiari adnotatione digna iudicamus: a) cum Status Civilis per id, quod Ecclesia mixtorum connubiorum validitatem agnoscat, satis lucretur: Statum eundem desiderio Ecclesiae circa qualiter celebranda eiusmodi coniugia deferre debere. b) Connubia mixta sensu practico quidem non esse sacramenta, nisi a parocho catholico ritu Ecclesiae consueto benedicantur: at sensu theoretico esse sacramenta, cum omne matrimonium inter Christianos legitime initum coniunctionem Filii Dei cum natura humana, et Jesu Christi cum Ecclesia unionem repraesentet. c) Promulgationes institui posse, sed nulla religionis diversae sponsorum mentione iniecta, benedictionem autem in eo solum casu tribui, quo cunctis Ecclesiae conditionibus satisfit. d) ad quaestionem: an catholici mixta connubia contrahentes a ministro protestantico copulationem suscipere valeant? praeeunte *Benedicto XIV.* reponit: partem catholicam eo consilio ministrum haereticum accedere non posse, ut is quasi persona sacra ceremoniam sacram exerceat, et contractui matrimoniali sanctitatem tribuat, cum ita

---

463) Adserta auctoris huius infirmare voluit *C. Spies*, in pagellis Darmstadtensibus: *Allgemeine Kirchenzeitung. 1832. No. 163. 164.* adstruere non dubitans: Protestantes pari iure ac Catholicos desiderare posse, ut omnes proles in matr. mixtis in Confessione protestantica educentur; sed refutatus est in: *Katholik. 48. B. 1833. p. 305. ff.*

464) cf. §. 117. Nro. 62. et 73.

pars catholica ministrum haereticum qua legitimum Christi ministrum agnoscere, ritumque haereticum approbare, profiterique teneretur.

123—126. Fr. Brenner, Canonicus Bambergensis, ob adserta de mixtis matrimoniis in libello: *Über das Dogma. Zugleich Beantwortung der Frage: wer wird selig? Landshut. 1832.* contenta plures criticas reflexiones experiri debuit. Ait nimirum (pag. 136. ff.): prohibitionem Ecclesiae non stricte dogmatice sed solum ecclesiastice considerandam esse, cum pars haeretica licet externe a corpore Ecclesiae sejuncta, huius tamen membrum perseveret, et per connubium mixtum occasionem abiurandi errorem suum et deponendi praeiudicium contra Fidem Catholicam nancisci possit, proles vero alioquin passim uti materiales haereticos educari, talesque nec ab Ecclesia, nec a salute aeterna excludi, idque eo minus, quod ad salutem non dogmatica fides, sed religio in genere, cuius principium est amor Dei, requiratur. Adserta haec severam, ut merebantur, censuram in Ephemeridibus et criticis pagellis Catholicorum subierunt[465]: quare Auctor in *Appendicula* ad opusculum a. 1833. edita sententiam suam circa necessitatem duntaxat religionis in genere ad salutem sic modificavit, ut diceret: se non aliud intellexisse, quam quod ignorantia invincibilis dogmatum Ecclesiae a salute non excludat: quoad matrimonia mixta autem statuit, nullam adesse positivam dogmaticam definitionem Ecclesiae, qua illa prohibeantur et a salute excludere censeantur. Verum non obstante hac modificatione, duo eruditi sententiam Brenneri denuo examini subiecerunt, nimirum a) Simon Buchfelner, *Beweise der Offenbarung und Vernunft, dass es zur Erlangung der Seligkeit nicht gleichgiltig ist, zu welchem christlichen Glaubensbekenntnisse man sich bekenne. Zugleich Beantwortung der Frage: wer wird selig? Ein Wort zur Beherzigung vor dem Antritte gemischter Ehen. Landshut. 1833.* positivae dogmaticae fidei

---

465) Benkert, *allgemeiner Religionsfreund. 1832. No. 104. p 1621.* — Besnard, *Literaturzeitung für die kathol. Geistlichkeit. 1833. I. B. p. 314.*

ad salutem necessitatem, et extra Ecclesiam Catholicam non dari salutem, ac proin matr. mixta per Ecclesiam, Jesu Christi Apostolorumque oraculis conformiter, merito semper damnata fuisse, solide demonstrando [466]); b) *Katholik, eine religiöse Zeitschrift. 50. B. 1833. p. 229. ff.* fundamentum sententiae Brenneri de matr. mixtis erroneum esse, huncque sibi ipsi contradicere, exhibendo, siquidem operis sui Dogmatici: *Katholische Dogmatik. Tom. 3-o. p. 435. ff.* mixta connubia reprobaverit. Undique pressus Brennerus semel adhuc strinxit calamum, editoque libello: *Erklärung auf die Schrift: Beweise der Offenbarung etc. Landshut. 1833.* ostendere conatus est: Auctorem huius opusculi in substantia idem secum tenere, cum ipse de matr. mixtis non aliud propugnet, quam ea non repugnare dogmati, sed potius per Episcopos tolerari, imo in Austria proles patre evangelico genitas in huius confessione educari, quin tamen alicui hucdum in mentem venerit, Episcopos aut Regimen seu schismatis sive haereseos postulare.

127. *Merkwürdige Aktenstücke die gemischten Ehen in Deutschland, besonders in Preussen, betreffend, und einige Anmerkungen.* Benkert, *allgemeiner Religionsfreund. 1832. No. 44. ff. pag. 701—717.* egregias continet reflexiones circa Regiminis Borussici agendi rationem in re mixtarum nuptiarum, ostenditque scopum Regiminis fuisse, animos subditorum sensim a Catholica Religione abalienandi, totumque Regnum Protestantismo addicendi.

B) *Protestantium.*

128. *Bemerkungen über die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen.* Weiss, *Archiv der Kirchenrechtswissenschaft. 2. B. Frankfurt. 1831. p. 108—124.* leges civiles, quae coniugibus plenum ius tribuunt pacta seu transactiones circa religionariam prolium educationem ineundi, solumque in harum defectu normam certam praescribunt, defendit. Porro uberius de hoc merito disserens, cum reflexione ad dissertationem *Mittermaieri* [467]), sequentia pro-

466) Recensio: Besnard, loc. cit.
467. cf. §. 117. Nro. 100.

pugnat: a) stricte non pacisci coniuges de religione prolium, sed tantum de institutione, quae illis usque ad annos discretionis danda sit. b) Pacta talia immutabilia esse oportere. c) Eadem pro Statu Civili inde quoque commendabilia esse, quod influxui Cleri in hoc negotio viam praecludant.

129. L. M. Eisenschmid, *Beiträge zur Kenntniss des Katholicismus und zur Förderung der Sache des Lichtes und der Wahrheit. Leipzig. 1833. p. 1—28.* opus Episcopi *Wittmann* [468]) refellere cupiens, instar principiorum ad diiudicandum: num Ecclesia Catholica fundamentum et ius habeat omnium prolium e matrimoniis mixtis catholicam educationem poscendi? statuit: a) confessioni evangelicae prae Catholica praecedentiam competere, b) principia catholicorum de matr. mixtis Statui Civili perniciosissima esse, c) dogma catholicorum de una ac sola salvifica nequaquam subsistere.

130. *Einige Bemerkungen über die Rechtmässigkeit oder Unrechtmässigkeit, Räthlichkeit oder Unräthlichkeit gemischter Ehen. Allgemeine Kirchenzeitung. 1833. Nr. 42. 43.* contra Breve Gregorii XVI. ad Episcopos Bavariae suas dirigit observationes, sed in reliquo ipse quoque dissuadet mixta coniugia. [469])

131. *Über die neueste päpstliche Verfügung, nur unter der Bedingung, dass alle Kinder im römischen Kirchenglauben erzogen werden sollen, Dispensation für Verehelichung mit sogenannten Ketzern hoffen zu lassen. Allgemeine Kirchenzeitung. 1833. No. 196.* aeque ut prior, contra Breve memoratum detonat.

132. In *Saxonia* notamus pugnam literariam, quae ex incidenti repraesentationis Cleri Catholici anno 1833. contra projectum legum Ecclesiae praeiudiciosum exaratae [470]) exorta fuit. Contra repraesentationem Cleri nimirum chartam dentatam vulgarunt Ephemerides: *Das Vaterland. Leip-*

468) cf. Nrm. 108.

469) Recensio: *Katholik. 49. Band. 1833. p. 319.*

470) cf. §. 125.

zig. 1833. No. 60. id persuadere volendo, indissolubilitatem vinculi ad doctrinam Ecclesiae haud pertinere. Pro defensione repraesentationis Cleri in arenam descendit quidam Protestans in iisdem Ephemeridibus No. 66. sed huic prior No. 75. respondit, a Protestante No. 83. denuo refutatus.[471])

EPOCHA VII.

A famosa Conventione Berolinensi inter Archiepiscopum Coloniensem et Regimen Borussicum a. 1834. inita usque diem 20. Nov. 1837. seu captivitatem Archiepiscopi Coloniensis.

I. Historia matrimoniorum mixtorum in Borussia.

a) in Provinciis Occidentalibus.

§. 129.

Breve Pii VIII. PP. ad Episcopos Rhenanos in merito mixtorum matr. dd. 25. Mart. 1830.

Archiepiscopum Coloniensem, et reliquos Provinciarum Regni Borussici Occidentalium sive Rhenano-Westphalicarum Episcopos per decretum Regium a. 1825.[472]) in maximas angustias et perplexitates adductos, ipso Rege annuente, anno adhuc 1828. Romam recurrisse, congruasque in merito mixtorum matrimoniorum inviationes et instructiones petiisse, in Epocha V.[473]) insinuavimus, una commemorando, ad recursus Episcoporum Pium VIII. Papam, Leoni XII. succedentem, respondisse, sed responsum Pontificis usque ad annum 1834. Berolini apud Regium Ministerium detentum fuisse. Memorabilis huius eventus, a

---

471) Vid. *Allgemeine Kirchenzeitung. 1834. p. 41.*

472) cf. §. 105.

473) cf. §. 108.

quo praesentem Epocham merito ordimur, adjuncta nunc iam uberius sunt enarranda. Ante omnia autem argumentum Apostolicarum litorarum die 25. Martii 1830. emanatarum proponimus.

Summus Pontifex exposita in prologo occasione Brevis ex literis recurrentium Episcoporum sumta, quae videlicet legem civilem in Borussia Rhenana latam testabantur: „ut in matr. mixtis liberi utriusque sexus in confessione patris educentur, et Sacerdotes a personis diversae religionis nullam super religionaria prolium educatione sponsionem excipiant" — mox in exordio declarat: non posse a se ea omnia permitti, quae ad executionem legis illius a Gubernio Borussico desiderantur; imo potius confidere se, Regem Borussiae Episcopis et parochis nequaquam succensurum, si in iis, quae non civiles matrimonii effectus, verum ipsam eiusdem sanctitatem, et officia religiosa coniugum respiciunt, leges Ecclesiae Catholicae custodiverint. His praemissis, a) doctrinam Ecclesiae de matrimoniis mixtis exponit: ea nimirum constanter prohibita fuisse, nec aliter admissa, quam si et a coniuge catholico omne perversionis periculum amotum, et praeprimis omnium prolium in fide catholica educatio in tuto posita esset. Hinc infert Pontifex: se nullatenus iis assentiri posse, per quae seu verbis seu factis mixta matrimonia sine discrimine approbarentur. b) Sequentem normam in celebratione eiusmodi connubiorum praescribit: partem catholicam serio ac iteratis vicibus admonendam esse, ut ab ineundo matr. mixto desistat; si vero in proposito suo tale coniugium ineundi perseveret, dogma Religionis de una salvifica fide ei in memoriam revocandum, declarandumve esse, eam in sobolem suam futuram iam nunc crudelissimo acturam, si sciens illius educationem religionariam in arbitrio partis acatholicae futuram, nuptias cum illa contraxerit. Monitis omnibus in irritum cadentibus, personam catholicam non esse quidem per censuras in illam nominatim expressas corripiendam, ne tumultus excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant; sed simul abstinendum parocho catholico esse a quolibet actu, quo nuptias tales probare videatur,

et praesertim a sacro quocunque ritu adhibendo; solumque in nonnullis locis id tolerari, ut parochi ad praestandam talibus matrimoniis assistentiam compulsi, si secus nullum obstabat canonicum impedimentum, paterentur consensum utriusque partis in matrimonium coram se enunciari, actumque valide gestum dein in librum matrimoniorum referrent. c) De iis matrimoniis mixtis, quae absque presbyteri catholici praesentia inita sunt, statuit: primum quoad matrimonia hactenus inita se brevi Episcopis delegaturum facultatem, cuius ope scandalis ac malis exinde ortis mederi possint; pro futuro vero, matr. mixta non servata forma a Conc. Tridentino praescripta, si aliud iis non obstet canonicum impedimentum, vera rataque fore: hocque ipsum personis catholicis debite inculcandum, ast eas una super eo edocendas esse, quod ipsae licet validum, illicitum tamen matrimonium contraxerint, et de commisso gravi peccato poenitentiam illas agere, eoque eniti oportere, ut obligationibus suis, praesertim quoad catholicam prolium educationem omni modo satisfacere adlaborent.[474])

§. 130.

Instructio Cardinalis Secr. Status dd. 27. Mart. 1830. eodem in merito.

Praeter Breve iussit Summus Pontifex peculiarem adhuc *Instructionem* recurrentibus Episcopis mitti: in qua mentem suam circa matrimonia mixta in Borussia praeter formam a Conc. Tridentino praescriptam inita uberius declaravit. Et inprimis quoad matrimonia iam hactenus contracta, malis exinde ortis medelam allaturus, et Catholicorum in coniugiis istiusmodi coram Deo et Ecclesia irritis viventium sortem miseratus, eisque faciliorem viam ad poenitentiam aperturus, recurrentibus Episcopis potestatem fecit confirmandi, ac, ut dicitur, in radice sanandi nuptias eiusmodi usque ad diem receptionis Instructionis huius initas, dispensandi quoque in aliis, si quae his ipsis matrimoniis obstitissent, canonicis impedimentis. Hac tamen po-

474) Mon. 182. pag. 234.

testate Episcopos sit uti voluit Summus Pontifex, ut, in quantum absque periculo gravis cuiusquam mali fieri potest, per coniuges novam consensus significationem excipiant, et cautiones, quae a Sede Apostolica in matrimoniis mixtis praescribuntur, accurate observent; porro partem catholicam de gravitate peccati ab eadem commissi admoneant, et ad salutarem poenitentiam agendam excitent, tandem ab illis matrimoniis confirmandis abstineant, quae per Magistratum civilem forte brevi dissolvenda praevidentur. — Quoad matrimonia vero sine forma per C. Tridentinum praescripta in posterum ineunda Summus Pontifex a) dispensationes in gradibus vetitis inter personas matr. mixtum contracturas intercedentibus, per Episcopos ex gravibus causis praevie accurate cognoscendis impertitas se toleraturum quidem, non tamen approbaturum profitetur; b) tolerantiam hanc ad quinquennium duntaxat prorogat, hocque evoluto rursum specialibus literis implorandam cupit; c) dispensationem tunc nonnisi concedi admittit, postquam praevie pars catholica de sensu Ecclesiae circa mixtas nuptias, et cumprimis de obligatione sua strictissima educationem catholicam omnium prolium procurandi edocta fuerit. d) In casu, quo cautio haec de educandis in Fide Catholica utriusque sexus liberis haud interveniret, in instrumento dispensationis exponendum esse statuit: idcirco tantum dispensari, ne graviora scandala eveniant, et partem catholicam gravissime peccaturam, quae matrimonium tale contra leges Ecclesiae ineat. e) Denique ritum quemvis sacrum in nuptiis his omitti, et a quolibet actu abstineri debere monet, e quo concluderetur, illas approbari. [475])

§. 131.

Ex Brevi et Instructione Pii VIII. apparet, Pontificem magnas concessiones fecisse quidem, non tamen matrimonia mixta adprobasse.

Breve Pii VIII. atque Instructio, superius laudata, sunt memorabilia illa Monumenta, quibus Pius VIII. Epi-

475) Mon. 183. pag. 239.

scopis partium Regni Borussici Occidentalium normam scripsit, in matrimoniis mixtis tenendam. Ex tenore Monumentorum horum apparet: peculiares *concessiones* a Summo Pontifice factas, et signanter *Declarationem Benedicti XIV. pro Hollandia* ad Provincias quoque Rhenanas Regni Borussici extensam, item *assistentiam* sic dictam *passivam*, in mera praesentia Sacerdotis consistentem, admissam, ac una sancitum fuisse: ut a censuris in partem catholicam, quae conditionibus ab Ecclesia praescriptis se submittere renuit, vibrandis abstineatur. Quae omnia profecto in numero peculiarium concessionum, singularisque indulgentiae pontificiae sunt habenda. At licet in his literis Apostolicis Pius VIII. confitente in celebri *Allocutione* sua de die 10. Dec. 1837. *Gregorio XVI.* suam eousque protulerit indulgentiam, ut verissime dici queat illos attigisse limites, quos praetergredi nefas omnino sit: parte tamen ex altera pensandum simul est, Pium, probe observante eodem Gregorio, aegre nonnisi, nec aliunde ad tantam benignitatem adductum fuisse, quam necessitate praecavendi funestiora mala Ecclesiae et Clero Catholico illarum regionum ex intentatis minis certissime obventura. Deinde qualesquales fuerint eae concessiones: ex iis tamen nil minus, quam vel uno verbo Pium approbasse matr. mixta, aut erga illa iusto conniventius se gessisse, inferre licet: imo potius plurimis locis diserte et intrepide doctrinam Ecclesiae, connubia catholicorum cum haereticis constanter detestantis, profitetur. Huc sane pertinent verba Brevis: „Sanctae huic Sedi prorsus non licet illa omnia permittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis" [476]) — „ignotum vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis, et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere" — „exploratum est, catholicas personas, seu viros seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam le-

476) Intelligit Edictum R. de anno 1825. de quo §. 105.

gem peccare" — „nos gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas illa a vobis aut a parochis vestrarum dioecesium fieri assentiremur, per quae si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur." Profecto vel haec evincunt, calumniam fuisse, dum post publicatum Breve in nonnullis Ephemeridibus spargebatur, per id matrimonia mixta a Summo Pontifice adprobata esse.

§. 132.

Proponitur historia eorum, quae ex parte Gubernii Borussici acta sunt circa Breve Pii VIII. Minister Aulae Borussicae Romae residens Bunsen omnia tentat, ut sententias nonnullas Brevis Sedes Apostolica modificet.

Quae post editum Breve ex parte Regiminis Borussici acta sunt: peculiari attentione digna censemus, cum ex iis scopus ac intentio eiusdem Regiminis, Religioni Catholicae infesta, plus quam evidenter appareat. Singulare profecto, et sine exemplo est: Breve una cum Instructione, mox ac parata erant, manibus *Ministri Aulae Borussicae* a Bunsen Romae residentis scopo futurae indilatae Episcopis recurrentibus consignationis tradita, quatuor integris, et quod excedit, annis Berolini captiva detenta, et cum Praelatis nequaquam communicata fuisse. Cum nimirum textus Apostolicarum literarum pluribus in locis Regio Ministerio, Edictum Regium anni 1825. in tota sua extensione a Clero Catholico in effectum deduci urgenti, displiceret: licet Pius Papa disertis verbis enunciaverit, se ea omnia, quae memorata lex civilis circa matr. mixta postulat, admittere non posse, nil intentatum reliquit idem Ministerium, quo Breve in nonnullis sententiis atque expressionibus modificari procuraret. In hoc tentamine Ministerium opera Legati Regii Romae residentis Bunsen utebatur. Hic Summum Pontificem Gregorium XVI. qui Pio VIII. interea ad Sedes Beatorum translato in Ecclesiae Catholicae regimine successerat,

ope *Notae* primum confidentialis dd. 13. Jul. 1831. dein officiosae de 1. Sept. 1831. eo permovere nitebatur, ut textum saepedicti Brevis in pluribus locis immutaret: in specie autem, ut quaelibet enunciatio, *necessitatem professionis Fidei Catholicae ad salutem* exprimens, devitetur; omnes item expressiones de admonenda ante nuptias parte catholica, eique in mentem revocandis obligationibus circa proles catholice educandas, prout etiam ipsa a contrahendo matrimonio mixto dehortanda, deleantur; demum et illa omittantur, quae quoquomodo eo spectant, ut parochis quemlibet actum, quo nuptias eiusmodi approbare videri possent, prohibeant. Cum Summus Pontifex ad concesssiones has, nisi principia Ecclesiae et Sedis Apostolicae abnegaret, se nullatenus accedere posse eo addito declararet, quod iam Pius VIII. Antecessor suus in sua indulgentia eousque processerit, ut ultro, salvis principiis catholicis, procedi nequeat: factum est, ut Breve Pii VIII. Episcopis nequaquam communicaretur, sed usque medium anni 1834. Berolini detineretur.[477])

§. 133.

Tentamina Ministerii Regii ad Episcopos ipsos eo permovendos: ut proprio motu mitior praxis circa matr. mixta, non obstante Brevi Pii VIII. induci possit. Diu restitit Archiepiscopus Coloniensis, et Episcopus Trevirensis.

Summum Pontificem a sententia, principiis et traditioni constanti Ecclesiae innixa, dimovendi spe frustratum Ministerium Borussicum, aliam viam iniit, ut intentiones suas in effectum deduceret. Ipsos videlicet Episcopos Rhenanae Provinciae medio Consiliarii *a Schmedding*[478]), tentandos decrevit: an non Breve Pii VIII. in sensu *mitiore* sumi, ex-

---

477) Cf. *Urkundliche Darstellung der Thatsachen, welche der gewaltsamen Wegführung des Erzb. von Cöln vorausgegangen und gefolgt sind. Aus dem Staats-Secretariate zu Rom. Regensburg.* **1838.** *p. 5. ff.*

478) cf §. 108.

pressiones duriusculae emolliri, et praxis mitior ad exemplum provinciarum Regni Orientalium induci posset? Diu expugnabatur *Archiepiscopi Coloniensis* Ferdinandi Augusti Comitis a Spiegel animus, qui anno adhuc 1832. ut priori Epocha ostendimus [479]), de re mixtorum matrimoniorum orthodoxe, seu principiis Ecclesiae Catholicae conformiter sensit. Sed et *Trevirensium* Antistitem Josephum ab Hommer difficilem initio se praebuisse, ex magni momenti Epistola apparet, quam die 4. Octobr. 1832. ad Regium Ministrum dedit. In hac quippe exposita constanti doctrina Ecclesiae mixta connubia reprobantis, candide profitetur: postulata Regiminis ad sensum mitiorem Brevi Apostolico tribuendum tendentia in effectum deduci haud posse, prout nec examen congruamque instructionem partis catholicae ante nuptias intermitti, nec a norma in Brevi indigitata assistentiae per Sacerdotem Catholicum praestandae propria Episcoporum auctoritate recedi, taliterque majores, ac Breve ipsum contineat, concessiones fieri. Praeter haec commendat Ministerio Regio vigilantissimus Praesul, ut omni cum cautela in gravissimo mixtorum matrimoniorum negotio procedat, et non properanter ac mediis coactivis novam in provinciis Rheni praxim inducere nitatur, e qua nonnisi funestas sequelas orituras tanto certius praevidere liceat, quanto recentiori adhuc memoria teneant provinciarum illarum incolae catholici solennem Regiam promissionem de conservanda Religione Catholica. [480])

§. 134.

Famosa Conventio Berolinensis dd. 19. Junii 1834. inter Archiepisc. Coloniensem et Ministrum Reg. Bunsen de Brevi Pii VIII. in sensu mitiore sumendo.

Vicit tandem Ministerium: et Archiepiscopum Coloniensem, tentationibus succumbentem, ad transactionem de sensu mitiore Apostolicarum literarum ineundam pronum invenit! Postquam itaque ad transactionem huiusmodi ineundam

---

479) cf. §. 126.

480) Mon. 184. pag. 245. — cf. Sion. *Augsburg. 1838. p. 870.*

Regio Decreto parte ex una *Archiepiscopus Coloniensis*, parte vero ab altera *Regius* ad Aulam Romanam *Minister*, *Bunsen*, delegati fuissent: famosa Conventio inita est, quae subseque tantarum calamitatum exstitit causa. Deputati nempe Duumviri, acceptis Mandatis Regiis, intentioneque Regiminis praevie intellecta, *Berolini* convenientes, post plures institutas Conferentias, tandem die XIX. Junii 1834. Conventionem signarunt, e 14. Articulis constantem: cuius ope circa modum celebrandi matrimonia mixta talia in effectum deduci proponebantur, quae Sedes Apostolica, iteratis licet vicibus a Regimine interpellata, admittere constantissime recusavit.

Conventionis huius *quatuor* sunt summa capita: in *primo* de modo perferendi ad notitiam Cleri Curati Breve Apostolicum (Artic. I—IV.); in *secundo* de pertractatione sive manipulatione meriti mixtorum matrimoniorum in posterum qualiter instituenda (Art. V—VII.); in *tertio* de usu Instructionis, quae Brevi adnexa fuit (Art. VIII.); in *quarto* tandem de aliis adhuc quibusdam regulis ad optatam negotii istius executionem pertinentibus (Art. IX—XIV.) agitur. Quoad *primum* in eo coalitum est: ut Breve Apostolicum per literas pastorales, quoad substantiam ab omnibus Episcopis eodem tenore concinnandas, ad notitiam Cleri Curati perferatur, atque ad devitanda dubia diserte declaretur: in Brevi per matr. mixta non servata forma C. Tridentini contracta, illa connubia intelligi, quae coram ministro evangelico, absque praesentia parochi catholici iuita sunt; revalidationem autem matrimoniorum unice ad ea referri, quae itidem coram ministro evangelico, ast cum impedimento quopiam dirimente coaluerunt. Quoad *secundum* determinatum est: pertractationem matr. mixtorum non amplius cognitioni et decisioni Episcopali reservandam, sed Parochorum discretioni ac arbitrio committendam esse. Cum tamen praevidere liceat, initio plures quaestiones ac dubia formanda fore: ad ea dirimenda visum fuit peculiarem Instructionem elaborandam esse, directioni Vicariatuum deservituram: in qua sequentia principia proposita fuere: a) per Breve Pontificium disciplinam canonicam circa matr. mixta adeo mitigatam esse, ut legi

civili anni 1825. ad amussim satisfieri possit; b) quidquid in Brevi diserte prohibitum non est, per Episcopos ultro indulgeri posse; c) partes muneris parochorum praeprimis in congrua admonitione institutioneque sponsorum consistere; d) a cautione super educatione omnium prolium in Religione Catholica exigenda penitus abstinendum esse; e) casus assistentiae passivae, quantum licet, minuendos, ac tunc solum, si pars catholica praevie certo sciens, omnes suas proles in Confessione a Religione Catholica aliena educandas fore, damnabilem erga Religionem suam proderet indifferentiam, passivam assistentiam adhiberi debere. Quoad *tertium* declaratum fuit: Instructionem Pontificiam cum Brevi dimissam pro privato duntaxat usu Episcoporum deservire, ac nonnisi in sensu Brevis accipi posse. Quoad *quartum* demum in eo conventum est, ut Gubernium Civile sequentia mox constituat: a) subalterna Regimina et pastores evangelicos ad omnem adhibendam prudentiam ac mansuetudinem exhortetur; b) Judicia sive tribunalia ecclesiastica quo ocyus debite organiset, ac ad normam in Provinciis Orientalibus a. 1796. introductam accomodet; c) cum sic dicta *matrimonia pure civilia* (Civilehe) multis ex obtutibus sufferri conveniat, et juxta sensum ipsius Brevis copulatio per ministrum evangelicum instituta sit valida, declaret: *valorem matrimonii in posterum a copulatione sive benedictione sacerdotali dependere;* d) ad tollendam differentiam, quae circa vinculi coniugalis indissolubilitatem inter Catholicos et Protestantes intercedit, revisionem legum civilium de matrimonio quo ocyus instituat, et, in quantum fieri potest, ad utriusque partis satisfactionem quaestionem de vinculi coniugalis natura ac firmitate definiat. [481])

Conventionem istam Rex, datis ad Archiepiscopum Coloniensem die 30. Junii 1834. literis, confirmavit. [482])

481) Mon. 185. pag. 248. — Ex Conventione hac novum exurgit argumentum pro observatione nostra, iam superius (cf. §. 103.) de eo facta, quod Regimen Borussicum ad validitatem matrimonii benedictionem Presbyteri necessariam judicaverit, ideoque hanc tantopere urserit.

482) Vid. *Allgemeine Kirchenzeitung. 1838. p. 110.*

§. 135.

Ostenditur: famosam Conventionem Berolinensem cum Brevi Pontificio in manifesta esse pugna.

Priusquam ea, quae post initam atque a Rege ratihabitam famosam Conventionem Berolinensem acta sunt, prosequamur: summi momenti quaestionem interponimus, an scilicet Conventio ista cum Brevi Apostolico consentiat, vel potius ei repugnet? Repugnantia, inspectis utriusque tenoribus, in oculos incurrit. Nam dum Breve disertis verbis declarat: „Sedi Apostolicae non licere ea omnia permittere, quae in regionibus illis ad executionem legis civilis (a. 1825.) postulantur"; dum Summus Pontifex „confidere se ait, non tantum Episcopos huic suo Rescripto plane obsecuturos, sed ipsum quoque Regem illis haud succensurum, si eidem in rebus civilibus obsecundantes, in iis tamen, quae non civiles matrimonii effectus, sed ipsam matrimonii sanctitatem attingunt, et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras Religionis Catholicae regulas custodiant"; dum in Brevi clare enunciatur: „Ecclesiam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere, et ideo Sedem Apostolicam constanter curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur, dispensationesque nonnisi sub certis conditionibus concessisse"; dum Breve incunctanter pronunciat: „catholicas illas personas, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare"; dum Summus Pontifex „se gravissimi criminis reum fore ait, si circa nuptias huiusmodi illa ab Episcopis aut parochis fieri permitteret, per quae eaedem indiscriminatim approbarentur"; dum in Brevi „mulier praesertim catholica, viro acatholico nubere volens, diligenter edocenda statuitur, et admonenda de gravi scelere, si canones Ecclesiae violare praesumat, adhortanda item ut meminerit firmissimum religionis catholicae

dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo salvus esse possit, ac proinde agnoscat, se in filios crudelissime acturam, si tales inierit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram;" dum Breve claris verbis edicit: „ad casum, si monita pastoris sacri in irritum abeant, abstinendum esse a nuptiis eiusmodi sacro quocunque ritu honestandis" — dum, inquam, Breve Apostolicum haec diserte praecipit ac enunciat: Conventio Berolinensis e contra insuperhabitis imo plane reiectis his principiis, et obligationibus tam pastoribus, quam personis catholicis, mixtas nuptias inire volentibus, in Brevi gravissime inculcatis, sic habet: „disciplinam canonicam per Breve admodum mitigatam, et ita comparata iam esse omnia, ut Edicto Regio a. 1825. plene satisfieri, et ab Episcopis ac parochis omnia illa adhiberi possint, quae per Breve disertis verbis non prohibentur; porro a cautione sive promisso de catholica omnium prolium educatione penitus praescindendum, casus assistentiae passivae minuendos, verbo Episcopis eo connitendum esse, ut uniformem mitiorem praxim circa connubia mixta in dioeceses suas inducere satagant." Sane repugnantia inter duo haec Monumenta tam aperta est, ut eandem ulterius persequi necessum haud sit, vereque Summus Pontifex *Gregorius XVI.* de Conventione illa Berolinensi, artificioso Secularis Potestatis impulsu inita pronunciaverit: „indulgentissimam alias Pii VIII. constitutionem iuxta Conventionem eam illo sensu acceptam fuisse, qui inconcussa Ecclesiae Catholicae principia pervertit, et Apostolicae Sedis menti penitus repugnat." Ipsi Protestantes, a studio partium alieni, contradictionem inter Breve et Conventionem ultro agnoverunt. [483])

---

483) Exempli causa unum nominamus ex illis: Carolum Hase, *die beiden Erzbischöfe, ein Fragment aus der neuesten Kirchengeschichte. Leipzig. 1839. p. 49. ff.* Verba eius, praeprimis notanda, sunt: „Man muss gestehen, die Regierung hatte durch diese Übereinkunft von den Bischöfen, die nur von dem Papste die zur Vollziehung des königl. Gesetzes nöthigen Dispensationen empfangen zu können behaupteten, alles erlangt, was der Papst ohne Verrath an den Pflichten seines apostol. Amtes nicht zugestehen zu können versicherte. Die-

§. 136.

Episcopi suffraganei Provinciae Coloniensis, opera Archiepiscopi Spiegel inducti, Conventioni Berolinensi accedunt.

Archiepiscopi Coloniensis *C. a Spiegel* provincia, qua ex singulari Regia fiducia donatus est, per id, quod votis regiis conformiter famosam Conventionem super qualiter exequendis literis Apostolicis inierit, nondum terminata fuit: restabat quippe adhuc, Episcopos Provinciae suae suffraganeos ad acceptandam Conventionem disponere et permovere. Assumto itaque ad latus suum Secretario, tum Canonico München, accedente etiam egregia opera Regii Ministri Bunsen, ad quemvis Episcoporum Suffraganeorum personaliter se contulit, arduum opus consummaturus. Episcopos *Monasteriensem*, et *Paderbornensem* nullo fere negotio in suam sententiam pertraxit: sed in expugnando animo Episcopi *Trevirensis*, Josephi ab Hommer, sat diu in vanum desudabat. Episcopus enim iste a principiis Ecclesiae Catholicae in Brevi Pii VIII. propositis, et a se ipso paucos ante annos, dum ad amplectendam mitiorem sententiam per Ministerium Regium potenter urgeretur, insigniter propugnatis[484]), recedere noluit. Ast in Conferentiis Confluentinis (Koblenz) mense Julio a. 1834. habitis, ubi

---

ses war eine eigenthümliche Lage der Dinge. Es ist mehr als einmal geschehen, dass katholische Könige, nachdem sie sich mit dem Papste nicht vereinigen konnten, die Bischöfe und Stände ihres Reichs versammelten, um mit ihnen durch offenen Vertrag dasjenige festzustellen, was die Wohlfahrt des Staates in der Stellung zur Kirche erforderte. Hier aber wurde nach langer Verhandlung das päpstliche Decret angenommen, mit des Königs Genehmigung den Bischöfen publicirt, von diesen den Pfarrern übergeben, als die erwünschte Entscheidung des Stellvertreters Christi, *während doch insgeheim alles vorbereitet wurde, um etwas Anderes zur Ausführung zu bringen.*" — Quidam autem e Protestantium coetu Conventionem Berolinensem pro Ecclesia Catholica valde favorabilem praedicabant, inprimis ideo, quod, ut dicebant, conjugia mere civilia (Civilehe) aboleverit. Vid. *Evangelische Kirchenzeitung. Berlin. 1838. p. 331.*

484) cf. §. 133.

Bunsen et *München* praecipuas partes ludebant, expugnatus fuit tandem Episcopi Trevirensis animus: ac posteaquam *Articulis coalitionis* a Bunsenio et Münchenio initio concinnatis, velut nimis scandalosis Ecclesiaeque praeiudiciosis, reiectis, alii, illis Conventionis Berolinensis prorsus conformes circa assistentiam passivam ad unicum casum, videlicet formalis contemtus Fidei Catholicae per partem catholicam manifestati, restringendam, item circa quaestionem de educatione religionaria prolium occasione examinis sponsorum omittendam, prout etiam absolutionem in S. Tribunali haud denegandam, demum benedictionem mulieris post partum numquam intermittendam, inter Archiepiscopum Coloniensem et Episcopum Trevirensem in Conferentiis memoratis conclusi fuissent [485]): hic quoque ad Conventionem Berolinensem acceptandam pronum se declaravit. Ita igitur omnes tres Suffraganei, quippe Paderbornensis, Monasteriensis, et Trevirensis, datis peculiaribus literis, 5. 10. et 29. Julii 1834. signatis, suum ad Conventionem accessum solenniter declararunt [486]), eventumque hunc e voto cessisse Archiepiscopus mense Augusto eiusdem anni Berolinum pro solatio retulit.

§. 137.

Argumentum secretae Instructionis, quae in nexu Conventionis Berolinensis pro parte et usu Vicariatuum concinnata fuit.

Jam superius diximus [487]), in Conventione Berolinensi principia proposita fuisse pro elaboranda Instructione secreta, usui Vicariatuum in dirimendis controversis aut ambiguis quaestionibus desevitura. Secundum principia Conventionis istius reipsa concinnata fuit Instructio, quam Episcopi Suffraganei una cum Conventione acceptarunt. In prologo eiusdem innuitur: negotium matrimoniorum mixto-

---

485) Mon 186. pag. 255. — *Sion. Augsburg. 1838. Beil. zu No. XI. p. 9.* *.

486) Mon. 187. et 188. pag. 255. 256.

487) cf. §. 134.

rum per normam in literis circularibus ad parochos dimissis (infra per nos recensendis) praescriptam ipsis parochis tractandum commissum, nec amplius opus esse, ut de singulo casu parochi ad Ordinariatum referant. Tum sequentia pro decidendis dubiis et quaestionibus, quas parochi posituri essent, principia et inviationes proponuntur: a) disciplinam Ecclesiae circa matr. mixta per Breve Pii VIII. usque adeo mitigatam esse, ut decreto Regio de a. 1825. satisfieri possit, curandumque esse, ne religioni catholicae invidia creetur; b) parochis integrum esse omnia illa facere et tolerare, quae in Brevi expresse vetita non sunt, singulaque huius praecepta sensu mitiore sumi debere; c) parochianos in caritate instruendos, eoque perducendos esse, ut etiam in mixtis nuptiis Fidei Catholicae adhaereant; d) ab exigenda sponsione de catholica prolium educatione abstinendum esse; e) casus assistentiae passivae imminuendos esse, cum ea nimis odiosa sit et partem catholicam magis adhuc ab Ecclesia abalienare queat; passivam assistentiam ad unicum illum casum restringendam esse, dum pars catholica omnes liberos in confessione acatholica educatum iri praevie scit, et in contrahendis nuptiis mixtis temeritatem inexcusabilem, et fidei contemtum prodit; secus vero, dum nimirum tales concurrunt circumstantiae, ob quas in aliis quoque prohibitis nuptiis mitior agendi ratio servari et dispensatio dari solet, v. g. dum sponsa impraegnata, aut aetate superadulta est, assistentiae activae locum dandum esse; f) locum praestandae assistentiae passivae vel aedes parochi vel sacristiam praebere; g) testimonium de peractis proclamationibus, item attestatum de statu libertatis ab ullo canonico impedimento partibus extradandum venire; h) in sacro tribunali cum parte catholica semper in patientia et caritate Christi agendum; i) puerperis denique catholicis benedictionem post partum numquam negandam esse.[488])

---

488) Mon. 189. pag. 256.

§. 138.

Ostenditur: Instructionem hanc secretam Brevi Apostolico prorsus repugnare.

Instructionem secretam Berolini praeparatam minus adhuc, quam ipsam Conventionem, Brevi Pii VIII. consentire, primo obtutu cuivis patet. Praecipua solum pugnae huius capita exhibemus. 1. In Brevi nullum est vestigium, pertractationem mixtorum matrimoniorum Parochis committendam venire; imo Sedis Apostolicae semper ea erat sententia, novissime in Apostolicis literis Gregorii XVI. ad Episcopos Bavariae expressa: ut pro quolibet casu mixti matrimonii dispensatio a Sede Apostolica petatur. 2. Nullatenus pervidemus, quo fundamento in Instructione secreta asseratur: disciplinam Ecclesiae quoad matr. mixta per Breve Pii VIII. usque adeo mitigatam esse, ut Edicto R. anni 1825. plene satisfieri possit; cum potius Summus Pontifex in Brevi diserte suum dolorem exprimat: quod Episcopos ex angustiis, quibus premuntur, penitus eximere haud valuerit, item quod sibi nequaquam liceat ea omnia permittere, quae ad executionem legis illius postulantur, ipseque confidat, Sereniss. Regis Maiestatem Episcopis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae ipsam matrimonii sanctitatem et religiosa officia coniugum concernunt, sacras Religionis Catholicae regulas custodiant. 3. Ea, quae de assistentia passiva in Instructione secreta dicuntur, talia sunt, quae a mente sensuque Brevis quam maxime aberrant: nam iuxta sensum Instructionis casus passivae assistentiae fere numquam evenire potest, cum vel ipsa decisio de eo, num pars catholica temere ac contemtive cum Ecclesia agat, arbitrio parochi plene relicta sit.[489])

---

489) Vid. *Sion. Augsburg. 1837. p. 1189. ff.*

§. 139.

Episcopi Rhenani in sensu Conventionis pastorales literas ad Clerum Curatum, et Instructionem secretam ad Vicariatus dimittunt.

Praeparatis per Archiepiscopum C. a Spiegel omnibus, quae circa modum exequendi Breve Apostolicum ex mente et voto Gubernii Regii praevie suscipienda erant, iuxta coalitionem in tabulis Conventionis Berolinensis expressam ab omnibus quatuor Praesulibus Provinciae Rhenanae eodem fere tempore Pastorales literae ad Clerum Curatum dimissae sunt: in quibus Breve Pii VIII. cum iisdem communicatum, et norma in celebrandis mixtis matrimoniis observanda praescripta exstitit. Epistolam pastoralem tam *Archiepiscopi Coloniensis* dd. 13. Octobr. 1834. quam *Episcopi Trevirensis* dd. 7. Octobr. 1834. inter Monumenta recensemus [490]: et, cum omnes, iisdem fere verbis conceptae, inter se plene conveniant, argumentum nonnisi literarum pastoralium Coloniensium breviter proponimus: In his Archiepiscopus occasione Brevis Apostolici uberius exposita, confitetur quidem, „a se ideo rem totam iudicio Sedis Apostolicae decidendam relictam fuisse, quod suae potestatis non esset, ecclesiasticae regulae vim tollere vel mitigare rigorem" [491]; ast mox normam in Conventione Berolinensi praestructam sequutus, a) negotium mixtorum matrimoniorum tractandum plene arbitrio Cleri Curati relinquit; b) assistentiam passivam ad unicum eum casum restringit, si pars catholica sciat, prolium educationem in arbitrio viri acatholici futuram, ut in eius confessione educentur, et inexcusabili temeritate nuptias cum illo contrahat; c) affirmat: de valore nuptiarum non servata forma C. Tridentini coram pastore acatholico initarum omne sublatum esse dubium, et de his solis Breve Pontificium intelligi debere; d) si nuptiis mixtis quodpiam canonicum obstet impedimentum, pro dispensatione ad Or-

490) Mon. 190. et 191. pag. 259. 260.

491) Haec verba Archiepiscopi cum eiusdem agendi ratione, si comparentur, contradictionem omnis intelliget.

dinariatum recurrendum esse monet. Praeter literas pastorales ad Clerum Curatum directas, iidem Episcopi Instructionem quoque secretam, superius descriptam, ad Vicariatus suos dimiserunt.[492])

Pastorales Episcoporum literas cum Brevi Pontificio non concordare, alioquin in oculos incurrit, et ex iis, quae de discrepantia Conventionis Berolinensis cum eodem Brevi iam monuimus, ubertim intelligitur: id unum praesenti loco insuper notare liceat, universalem delegationem pro tractandis matr. mixtorum casibus Parochis factam, et discussionem causarum istiusmodi Ordinariatibus subductam pluribus ex obtutibus reprobandam esse. Nam generalis huiusmodi delegatio spiritui disciplinae ecclesiasticae non convenit, et nexum ac communicationem inter Episcopum Clerumve Curatum, si ubi, certe in hoc maximi momenti negotio pernecessariam subruit, innumerasque in praxi difficultates generat; siquidem quot capita, tot sint sententiae, et relicta arbitrio unice parochorum mixta matrimonia tractandi provincia, impediri nequeat difformitas, prout reipsa etiam evenit.[493])

---

492) In Ephemeridibus Aschaffenburgensibus: *Katholische Kirchenzeitung. 1836. No. 50. p. 422.* sub titulo: „Disciplina arcana neoterica circa matrimonia mixta" vulgata fuit Instructio ab Episcopis Rhenanis ad Vicariatus dimissa: in qua puncta secretae Instructionis, a nobis superius descriptae, breviter sed cum aliqua differentia proponebantur, ita, ut cum illa, quam Episcopi reipsa ad Vicariatus suos dimiserunt, non plene congruat; signanter autem differat ab hac in eo, quod dicatur: Instructionem illam nonnisi paucis parochis transmissam, item ab Episcopis scriptam super eo promissionem datam fuisse, se post aliquot annos omnia matr. mixta in Ecclesia benedicendi facultatem parochis concessuros. Haec discrepantia ab originali Instructione, quam in sensu Conventionis Berolinensis Episcopi illi reipsa ad Vicarios dimiserunt, permovit eosdem: ut in laudatis Ephemeridibus No. 123. p. 1024. adversus vulgatam „disciplinam arcanam" tamquam documentum *apocryphum* protestarentur. Cf. *Schweizerische Kirchenzeitung. Luzern. 1837. p. 104.*

493) Pastorales literas Episcoporum severo examini subiecit auctor libri: *Beiträge zur Kirchengeschichte des XIX. Jahrhunderts. Augsburg. 1835. p. 199. ff.*

§. 140.

De effectu dispositionum ab Episcopis quoad matr. mixta factarum. In praxi magna deinceps quoque regnavit difformitas.

Si de effectu quaeratur, quem dispositiones Episcoporum iuxta vota Regiminis factae habuerint: *de Archiepiscopo Coloniensi C. Spiegel* constat, illum usque finem dierum suorum iuxta Conventionis Berolinensis conclusa in negotio matr. mixtorum se gessisse. At *Episcopum Trevirensem Hommer*, licet Conventioni antelatae accesserit, in praxi tamen eandem non semper sequutum fuisse, imo statim tertio ab illa acceptata mense in particulari casu normam ei contrariam, sed Brevi Apostolico conformem, adoptavisse, refertur. [494]) Sed quod maximum est, difformitas in sententiis parochorum circa sensum Brevis, indeque ortae in praxi non leves difficultates satis ostenderunt, quam improvide res tota mixtarum nuptiarum parochis pertractanda credita sit. Duo tantum instar exempli memoramus, in quibus magna in *Archidioecesi Coloniensi* inter parochos erat sensus diversitas: nimirum circa *locum*, in quo assistentia passiva praestari debeat, et quoad *formulam nuptialem* tali occasione adhibendam. Quoad *primum* censebant quidam sacristiam esse locum opportunum: quod alii, sacristiam pro loco sacro habendo, controvertebant; nonnulli domum praetorialem Magistratus Civilis, coram quo actus civilis contractus matrimonialis peragеretur, proponebant: quem locum alii pro valde profano et indecenti habebant. Quoad *alterum* aliqui existimabant, etiam in casu assistentiae mere passivae formulam quampiam nuptialem pronunciandam esse; alii autem, disertam prohibitionem Brevis a quovis ritu sacro et actu abstinendi opponentes, nullam formulam adhiberi posse iudicabant; nonnulli dictionem saltem aliquam a parocho tali opportunitate servandam projectabant, alii formulam consuetam omissis verbis: „ratifico et benedico" commendabant etc. Demum nec quoad locum, nec modum assistentiae passivae

494) cf. *Sion. Augsburg. 1838. p. 32.*

in Conferentiis Parochorum ulla coalitio subsecuta, sed quisque parochorum in sensu epistolae pastoralis iuxta proprium suum arbitrium procedebat. [495])

§. 141.

Exponitur, quamnam agendi rationem tenuerit cum Sede Apostolica Regimen Borussicum in merito famosae Conventionis.

Unus et medius effluxere a conclusa Conventione Berolinensi, vulgo etiam *Spiegeliano-Bunseniana*, anni: dum prima de ea nuncia Romam allata fuere variisque viis apographa ipsius Conventionis et Instructionis illuc pertigere: quae quum a tenoribus Brevis Pii VIII. in multis, iisque essentialibus capitibus divergere observarentur, *Cardinalis Status Secretarius* iussu Suae Sanctitatis Summi Pontificis ope *Notae confidentialis* ad Ministrum Reg. Boruss. *Bunsen* dd. 15. Mart. 1836. directae differentiam essentialem inter Breve et Articulos Instructionis Spiegelianae pluribus in punctis exhibuit, et, siquidem Articuli Instructionis istius cum illis, quos Regimen Borussicum, Pii VIII. Breve mitigari cupiens, Sedi Apostolicae iam antea proposuit [496]), coinciderent, quemadmodum illos Sedes Apostolica tunc, dum a Regio Gubernio primum proponebantur, nullo modo acceptari posse declaravit, ita nunc quoque eosdem a Summo Ecclesiae Pontifice reiici, significavit, simulque Ministrum Regium provocavit, ut, quid veri in merito memoratae Instructionis insit, quo prius genuine exponeret, ne Summo Pontifici necessitas imponatur, vi muneris sui Apostolici fideles opportune monendi, ut id, a quo Sedes Apostolica penitus abhorret, ab eadem profectum fuisse minime arbitrentur [497]). Respondit ad hanc Notam Regius Minister

495) cf. *Beiträge zur Kirchengesch. des* 19. *Jahrh. pag.* 206. *

496) cf. 132.

497) *Urkundliche Darstellung der Thatsachen, welche der gewaltsamen Wegführung des Fr. v. Droste Erzb. v. Köln. vorausgegangen und gefolgt sind. Nach dem in der Druckerei des Staats-Secretariats zu Rom erschienenen Originale.* 1838. *p.* 65—81.

dd. 15. April. 1836. primum existentiam Instructionis Spiegelianae, praetensive ad Episcopos dimissae, simpliciter negando, tum id ostendere adnitendo: eam nec potuisse concinnari, et nullum in casum adversus Gubernium Regium exceptionem iuste formari, cum Rex interpretationem executionemque Brevis arbitrio et conscientiae Episcoporum detulerit [498]). Singulare sane est: Ministrum Bunsen, qui praecipuus Conventionis et Instructionis Berolinensis auctor promotorve fuit, existentiam Instructionis Spiegelianae simpliciter negare potuisse!

§. 142.

Episcopi ultimis anni 1836. mensibus relationem de executione literarum Apostolicarum Pii VIII. Sedi Apostolicae praestant. In relatione concinnanda Ministerium Regium maximas partes habuit.

Interea Episcopi Provinciae Coloniensis per ipsum Regimen provocati, relationes suas super executione Brevis Pii VIII. Summo Pontifici Gregorio XVI. adornarunt: Episcopus quidem *Monasteriensis* dd. 15. Sept. 1836. — Archiepiscopus *Coloniensis* Clemens Augustus L. B. a Droste-Vischering, qui Comiti Spiegel interea diem supremum obeunti successerat, dd. 23. Sept. 1836. — Episcopus *Trevirensis* dd. 1. Octobr. 1836. — Episcopus tandem *Paderbornensis* dd. 10. Octobr. 1836.[499]) Inter relationes Episcoporum horum non exigua videtur intercedere differentia. Nam dum Archiepiscopus Coloniensis unice suam de accepto Brevi Pii VIII. ac per id sublatis dissidiis Religioni Catholicae noxiis gratiarum actionem Sedi Apostolicae contestatur, suamque operam pollicetur, ut mandatis apostolicis rite satisfiat: reliqui Episcopi suis in literis ipsas circumstantias, sub quibus Breve Apostolicum parochis publicatum fuerat, uberius exponunt: porro respectu circumstantialis huiusmodi relationis rursus inter Epistolam Epi-

498) Op. cit. p. 83—121.
499) Mon. 192. 193. 194. 195. pag. 262—266.

scopi Trevirensis, et Episcoporum Monasteriensis ac Paderbornensis ea intercedit differentia, quod Episcopus Trevirensis solum in genere de quibusdam politicis loquatur impedimentis, quae promulgationem Brevis remorabantur, et non admiserunt, ut sententia Brevis ac Instructionis Pontificiae in omnibus casibus presse observetur; duo autem reliqui Episcopi, ac praeprimis Monasteriensis fusius in adiuncta et impedimenta executionem Brevis retardantia excurrant et ultro confiteantur: promulgationem Brevis propter *gravissimam matrimonii mixti reprehensionem* in eo contentam a Regimine suspensam fuisse, et Regem ad sensus civium acatholicorum non attendere non potuisse. Episcopus insuper Monasteriensis clare innuit: ante promulgationem Brevis quaedam inter Episcopos, et cum iis, penes quos est rerum civilium summa, *pacta* inita esse, nec id aliter fieri potuisse, Regem quoque vicissim spopondisse sublationem abusus, matrimonia coram Magistratu Civili contrahendi, et causas matrimoniales coram Foro Seculari discutiendi. Denique tam Monasteriensis, quam Paderbornensis ea, quae de *Instructione Cardinalis Albani* [500]) suppressa vel adulterata, et de alia auctore C. Spiegel A.Episcopo Coloniensi eidem supposita in vulgus spargebantur, ad commenta reiecerunt.

In concinnandis his relationibus praecipuas partes habuit Ministerium Regium, quod in mutua cum Ministro Romae residente Bunsen cointelligentia, opera Consiliarii *Schmedding* [501]) utens, tum ad exarandas relationes Episcopos Rhenanos permovit, tum ipsam normam praescripsit, qua relationes illae concinnari debeant [502]). Intuitu Episco-

500) cf. §. 130.

501) cf. §. 108. et 133.

502) Operae pretium esse iudicamus, ipsas literas Ministerii Regii communicare, in quibus Instructio pro Consil. Schmedding continetur: „Zur Verhütung eines förmlichen Bruches und Herstellung des guten Vernehmens wird für unerlässlich gehalten, dass der Herr Erzbischof von Köln und die Herren Bischöfe von Trier, Münster und Paderborn an den Papst schreiben, um sein durch irrige Nachrichten und boshafte Zuträgereien aufgeregtes Gemüth wo

porum Monasteriensis et Paderbornensis non magnas difficultates habuit Schmedding, eosque mox ad concinnandas in sensu Instructionis Ministerialis relationes permovit: ast Archiepiscopum Coloniensem et Episcopum Trevirensem diu expugnare non potuit: donec tandem prior ad exarandam in terminis duntaxat generalibus relationem se determinavisset, posterior vero, aegre decumbens, ad plures provocationes atque adursiones suam pariter concinnasset epistolam. [503])

---

möglich zu beruhigen. Die Sache gilt zunächst die Anwendung des Breve vom 25. März 1830. in Betreff der gemischten Ehen, und fordert eine eben so entschiedene, als umsichtige Behandlung. Über Form und Inhalt der bischöflichen Schreiben an den Papst, die gewünscht werden, kann ich Ew. Hochwohlgeboren nur auf den Inhalt des gesandtschaftlichen Berichtes II. vom 10. März v. J. verweisen. Ihre Aufgabe ist demnach, den Herrn Erzbischof und die Bischöfe im Wege mündlicher Verhandlung zur Abfassung solcher Schreiben zu bewegen, und sich deren Reinschrift sub volante einhändigen zu lassen. Da nach aktenmässiger Angabe des Herrn Gesandten, geh. Leg. Rathes Bunsen, die Absendung von Dankschreiben an den Papst, den frühern Absichten der Herren Bischöfe entspricht: so dürften Ew. Hochwohlgeboren hierbei nicht auf erhebliche Schwierigkeiten stossen. Anlangend den Herrn Erzbischof von Köln, so ist Ew. Hochwohlgeboren erinnerlich, dass ich vor seiner Erhebung auf den erzbischöflichen Stuhl seine Gesinnung in Betreff der gemischten Ehen mit ausdrücklicher Hinweisung auf das Übereinkommen vom 19. Juni 1834. erforscht habe. Seine schriftliche Antwort ist Seiner Maiestät dem Könige damals vorgelegt worden, und hat Allerhöchsten Orts die Überzeugung begründet, dass dieser Praelat jenem Übereinkommen nicht entgegen handeln, vielmehr nach seiner Einsicht und redlichen Gesinnung den Frieden zu befestigen suchen werde. In Betreff der Beweggründe, die Ew. Hochwohlgeboren bei den genannten vier Prälaten behuf ihres Auftrages geltend machen können, überlasse ich das Nähere Ihrem sachverständigen Ermessen. Kann bei dieser Gelegenheit etwa durch die Diöcesan-Berichte noch zur Hebung anderer in den Berichten der Gesandtschaft berührten Missverständnisse eingewirkt werden, so ist solches um so besser. Berlin, den 29. August 1836. Altenstein." *Aktenstücke über die Behandlung der gemischten Ehen in Preussen. Friedberg. 1838. p. 49.*

503) Circumstantias has sic describit: **Rintel**, ***Rechtfertigung der persönlichen Handlungsweise Sr. Maj. des Königs v. Preussen in***

Relationes Praesulum Regius Minister Bunsen ope *Notae* dd. 15. Januar. 1837. ad Cardinalem Secretarium Status promovit, Summo Pontifici consignandas: eademque occasione in laudem Episcoporum, cumprimis neo-electi Coloniensis Baronis de Droste multa proferre, et signanter id asseverare non dubitavit: Archiepiscopum Coloniensem in relatione sua spopondisse, quod praxi, quam circa mixta matrimonia ante se in usum deductam invenit, fideliter et ex intima convictione adhaerere velit [504]). Cuiusmodi sponsionis in literis Archiepiscopi nullum profecto est vestigium: imo potius promittit: „se, Deo adiuvante, operam daturum, ut praeceptis, quae in illis Rescriptis (Apostolicis) continentur, quantum res suae permittunt, omnino satisfiat, et grex ei commissus in veram salutis viam ducatur."

---

der Angelegenheit des hochw. Herrn Erzbischofs v. Cöln. Würzburg. 1840. p. 34. f: „Durch welche Mittel dieser (Schmedding) die Bischöfe von Münster und Paderborn zur Unterzeichnung der in den Beilagen der päpstlichen Staatschrift befindlichen Berichte brachte, abgefasst waren sie schon in Berlin, ist ein Geheimniss; der Erzbischof von Cöln weigerte sich, den ihm vorgelegten zu zeichnen, und Herr Schmedding musste einen andern anfertigen, in welchem nur der päpstlichen Schreiben gedacht, und deren Befolgung, so weit es die Umstände erlauben, versichert wird. Nach Trier gekommen, fand er den Bischof auf dem Sterbelager, umgeben von seinem Domkapitel, um die Sterbesakramente zu empfangen, er kehrte daher in den Gasthof zurück und setzte dem schon fertigen Schreiben den letzten auf die eben vorgehende Handlung bezüglichen Satz hinzu. Als er nun das so vermehrte Scriptum dem Bischofe vorlegen wollte, fühlte dieser sich zu ernsten Verhandlungen zu schwach, er wies also zuerst die Forderung zurück, dann von dem Abgesandten gedrängt und durch die ihm vorgezeigten Unterschriften der anderen Bischöfe, so wie durch die Versicherung, dass das Ganze nur eine Formalität sei, beruhigt, sagte er: „„Sie sind katholisch und ich halte Sie für einen ehrlichen Mann, Sie sehen, in welchem Zustande ich bin. Da Sie von der ganzen Sache die genaueste Kenntniss haben, übergebe ich mich an Ihre Treue. Ich unterschreibe, was Sie mir bringen."" —

504) Vid. opus *nota 497.* cit. pag. 147. ff.

§. 143.

Episcopus Trevirensis in articulo mortis cuncta, quae impulsu Gubernii Regii in materia mixtorum matr. in obversum Brevis Pii VIII. egit, retractat in literis dd. 10. Nov. 1836. ad Summum Pontificem missis.

Ex iis, quae in antecedentibus ductu Actorum officiosorum, et testimonio fidedignissimorum scriptorum relata a nobis sunt, satis apparet: tum qualem agendi rationem in toto hoc negotio Regimen Borussicum medio Legati Bunsen tenuerit; tum in specie qualiter idem Gubernium secretae instructionis atque Conventionis existentiam coram Summo Pontifice celare, et genuinam sinceramque rerum Berolini gestarum seriem Sedis Apostolicae cognitioni subducere non exhorruerit. Sed non diu licuit callida simulatione uti. Nam Sedes Apostolica non multo post in adaequatam cognitionem eorum, quae Episcopi Borussiae Rhenanae per Gubernium coacti et in transversum acti in praeiudicium sanctionum canonicarum circa matrimonia mixta inter se et cum Gubernio constituerunt, singulari via devenit. Circa finem nimirum anni 1836. adeoque prius, quam officiosae relationes Episcoporum Summo Pontifici per Ministrum Bunsen redditae essent, perlata fuit Romam epistola J o s e p h i a b H o m m e r *Episcopi Trevirensis* 10. Nov. 1836. signata [505]: in qua Summum Pontificem de tota rerum gestarum serie, adiecto quoque famosae instructionis authentico pari, genuine informat, et confitetur: Rege urgente AEpiscopum Spiegel cum Ministro R. Bunsen Brevi Apostolico Pii VIII. leniorem mitioremve interpretationem tribuisse, et huic, provocante Archiepiscopo, se quoque tum studio pacis, tum quia reipsa Breve Pii VIII. licet decisionibus Benedicti XIV. et Pii VII. contraria non contineret, mitioris tenoris esset, accessisse: nunc autem se, morbo dolorosissimo correptum et in vitae discrimine versantem, divina gratia illustratum ex actis his Ecclesiae Catholicae gravissima mala oritura, canones-

505) M o n. 196. pag. 267.

que ac principia eiusdem Ecclesiae Catholicae per acta illa laesa esse perspicientem, quod hac in re summi momenti errasset, poenitentia ductum libera mente et propio motu *retractare.* Nunc itaque patuit, qua fide Gubernium Borussicum cum Sede Apostolica egerit! Summus Pontifex, accepta Episcopi Trevirensis litera, per *Notam Cardinalis Secretarii Status* dd. 3. Febr. 1837. ad Reginm Legatum Bunsen directam apographum epistolae Episcopi mox ad Regem perferri, eique una significari iussit: se initam ab Episcopis rationem interpretandi Apostolicas Pii VIII. literas, tamquam principiis ac legibus Ecclesiae adversam, omnino reprobare. [506])

§. 144.

Contra Archiepiscopum Coloniensem Bar. Droste querelae moventur, Instructionem Berolinensem ab eo non observari. Sensa Archiepiscopi de matr. mixtis proponuntur.

Dum haec Romae aguntur, magnae adversus Archiepiscopum Coloniensem Clementem Augustum L. B. Droste-Vischering querelae ad Regem Borussiae perferuntur inprimis quod in tractandis mixtis matrimoniis normam ab Episcopis anno 1834. stabilitam non sequatur. Observandum hic praevie est: *Ministrum R. Altenstein* ante electionem Baronis Droste in Archiepiscopum, de mixtis matrimoniis, et signanter de Conventione Berolinensi sollicitum, eidem praevie quoad hoc punctum quaestionem formavisse, hunc autem per epistolam dd. 5. Septembr. 1835. respondisse: „*se iam dudum ardenter optasse, ut modus quispiam inveniatur, difficillimam de matr. mixtis quaestionem superandi, ac proinde se cum solatio intellexisse, id iam reipsa evenisse, et hinc se sollicite curaturum, ut Conventio illa conformiter Brevi* (Pii VIII.) *inita ac in Dioecesibus Rhenanis in usum deducta manuteneatur.*" [507]). Post auspicatum men-

506) Vid. opus *nota 497.* cit. p. 159.

507) „Was die gemischten Ehen betrifft, so habe ich schon lange her sehnlich gewünscht, es möge sich ein Weg finden lassen, diesen so überaus schwierigen Gegenstand zu beseitigen, habe da-

sibus aestivis anni 1836. regimen Archiepiscopatus, mox perspexit Clemens Aug. Droste, Conventionem Berolinensem cum Brevi Pii VIII. pugnare: hinc parochis quaestiones ponentibus et inviationes petentibus non iuxta Conventionem sed secundum Breve Pontificium dabat responsa; cuius rei ea erant consectaria, quod et benedictio nuptialis sponsis negata, et mulieres post partum benedici postulantes repulsae fuerint. [508]) Non reiecit tamen penitus Conventionem et Instructionem Spiegelianam Droste: signanter in casibus benedictionis mulieribus post partum impertiendae mitiorem sequutus sententiam, quod existimaret, illius denegationem censurae loco habendam esse, haec autem per Breve Pontificium prohibita foret. Unde refertur, ab illo parochum quempiam erga iterata sua monita benedicere recusantem beneficio privatum exstitisse. [509]) — Querelis ex parte sponsorum mixtae religionis per parochos a benedictione repulsorum ad Praesidem Provinciae delatis, hic ante omnia sensa Archiepiscopi genuine cognoscere volens, eundem iterato provocavit, ut datis ad virum in dignitate ecclesiastica constitutum, quippe *Praepositum Aquisgranensem* literis, suam circa connubia mixta sententiam clare exponeret. Paruit provocationi Archiepiscopus, et dd. 25. Decembr. 1836. ad memoratum Praepositum literas dedit: in quibus praecipue *de benedictione puerperarum post partum* agit, eamque in sensu Conventionis Spiegelianae in genere haud denegandam censet, ne censuram sapiat, in Brevi Apostolico vetitam: sed nonnisi tunc iuste illam denegari ait, dum pars catholica proprio

---

her mit Freuden die Erfüllung meines Wunsches vernommen, und Ew. wollen so gütig seyn, Se. Exc. den Herrn Minister zu versichern, dass ich mich wohl hüten werde, jene, gemäss dem Breve vom Papste Pius VIII. darüber getroffene und in den benannten vier Sprengeln zur Vollziehung gekommene Vereinbarung nicht aufrecht zu halten." *Darlegung des Verfahrens der Preussischen Regierung gegen den Erzbischof von Köln. Berlin. 1838. pag. 19. Beil.*

508) cf. relationem Archiepiscopi ad Sedem Apostolicam dd. 23. Sept. 1836. §. 142.

509) Vid. *Clemens August. Erzbischof von Köln. Ein Sendschreiben an den Fr. v. Gagern. Frankfurt. 1838. p. 53.*

suo demerito, v. g. contemtu Fidei Catholicae palam testato benedictione prorsus indignam se reddit. Porro quoad examen sponsorum, et respective partis catholicae ante matrimonium instituendnm, et non modo per Breve, verum etiam per instructionem Spiegelii praescriptum, quod Praeses Pvovinciae aut penitus intermitti, aut certe coram parte protestantica institui, et parochum etiam pro casu intermissi culpa partis catholicae examinis ad extradandas literas dimissoriales auctorisari peroptabat, enunciat: se hoc in merito Praesidis desiderio deferre haud posse, et in casu illo, dum pars catholica examini se subiicere recusat, vel tale nonnisi in praesentia partis protestanticae subire cupit, benedictionem puerperae denegandam esse. Tandem pro casibus, in quibus matrimonia mixta penes assistentiam passivam coaluerunt, parochum mulieri, post partum benedici petenti, clare ob oculos ponere debere asserit: per huiusmodi benedictionem nullatenus approbari eiusdem matrimonium, sed tantum preces pro illius animae salute adhiberi. [510])

Ex literis, quarum argumentum proposuimus, relate ad postulata Praesidis Provinciae Rhenanae clarum fit, illum ultra tenores ipsius Conventionis Berolinensis processisse, et plane omnem instructionem ac examen partis catholicae, matrimonio praemitti solitum, intermitti voluisse; relate ad Archiepiscopum vero tantum id apparet: quidnam is de merito benedictionis puerperis post partum impertiendae tenuerit, sensa autem illius quoad ceteras quaestiones mixtarum nuptiarum, prout et circa ea, quae is apud Clerum suum constituerit, minime intelliguntur. Utrumque clarius liquet ex alia Archiepiscopi epistola ad amicum quemdam data dd. 13. Maii 1837. [511]), dum diversi rumores per Hermesianae doctrinae addictos in vulgus sparsi fuissent. In hac epistola sequentia notatu digna refert Archiepiscopus Droste: a) Se in pertractatione matrimoniorum mixtorum tum Breve Pii VIII. tum Conventionem ac Instructionem Beroli-

510) Mon. 197. pag. 269.

511) Mon. 198. pag. 272. Vid. *Athanasia. Würzburg. 1838. VII. B. p. 140. ff.*

ni 1834. concinnatam, in quantum Brevi conveniunt, pro norma sumere; b) sponsos post praemissas consuetas denunciationes, si nullum impedimentum canonicum obstet, et ambo promittant, omnes proles dante Deo suscipiendas in Fide Catholica educatum iri, ritu catholico copulari et benedici, secus in sensu Brevis assistentiam tantum passivam iis praestari. c) Puerperarum benedictionem tunc solum denegari, dum illa in matrimoniis quoque pure catholicis deneganda foret, secus autem, dum ea tribuitur, praevie moneri partem catholicam, ut per hanc benedictionem matrimonium suum mixtum nequaquam approbari existimet, sed duntaxat preces pro salute sua adhiberi. In fine epistolae denique addit: se quaevis matrimonia mixta immediatae suae cognitioni ac pertractationi reservasse. Ex hac igitur epistola iam clare patet, Archiepiscopum Droste famosam Conventionem ac Instructionem Berolinensem in omnibus illis punctis reiecisse, in quibus eandem cum Brevi Pii VIII. haudquaquam concordantem invenit.

§. 145.

Correspondentiae Archiepiscopi Droste cum Ministro Cultus Altenstein. Ille doctrinam catholicam insigni fortitudine ac constantia defendit.

Venimus nunc ad periodum memorabilium correspondentiarum, quae Archiepiscopo Droste cum Ministro Cultus Altenstein in merito matrimoniorum mixtorum intercesserunt. His initium dedit Minister, primis Februarii diebus, a. 1837. confidentiales ad Archipraesulem mittens literas, in iisque, terminis adhuc valde generalibus, ad pacem colendam Praelatum monens, simulque casum in contrarium minas intentans [512]. Ad literas Ministri respondit Droste dd. 1. Mart. 1837. neminem magis se colendae pacis stu-

512) Dolendum, literas has nullibi per extensum vulgari, nequidem per auctorem operis officiosi ex parte Regiminis editi: *Darlegung des Verfahrens der Preuss. Regierung gegen den Erzbischof von Köln. Berlin. 1837.* Id tantum de literis Ministri ex Ephemeridibus Francofurtensibus de 12. Februar. 1838. constat: illas 12. Febr. 1837. ad Archiepiscopum dimissas fuisse.

diosum esse, sed concessiones, quas Praeses Provinciae Rhenanae ultra tenores vel ipsius Conventionis Berolinensis fieri postulabat, a se salva conscientia et Ecclesiae doctrina admitti non potuisse. In his literis id adhuc memoratu dignum occurrit. Archiepiscopum declarare, se, dum anno 1835. per Ministrum provocatus, de Conventione Berolinensi responsum dedisset, hanc non novisse, verum unice Ministri, illam Brevi Pontificio conformem declarantis, verbis fidendo, spopondisse, ab se eandem observatum iri. [513])

Accepto Archiepiscopi responso Minister ope Rescripti de 13. Mart. 1837. eidem intimavit: probari haud posse, quod is in suis ad Praepositum Aquisgranensem literis disposuerit, occasione benedictionis puerperarum his matrimonium mixtum improbandum esse: id enim censuram sapere, per ipsum Breve prohibitam. [514])

Primae hae correspondentiae inter limites confidentiae adhuc sese continuerunt: at, quae deinceps sequebantur, gravissima funestissimaque post se traxerunt consectaria. Cum nempe querelae et gravamina adversus praxim ab Archiepiscopo in tractandis mixtis nuptiis servatam non cessarent, sed increscerent; insuper in exteris etiam Ephemeridibus, signanter *Belgicis*, multa de collisione Archiepiscopi cum Regio Ministerio vulgarentur, demum et retractatio Episcopi Trevirensis non modicum influxum in totam hanc quaestionem exsereret: Gubernium R. Borussicum controversiam quo ocyus ad exitum perducendam determinavit. Quare *Comes a Stolberg*, Regiminis Coloniensis Praeses, nomine Regio ad Archiepiscopum exmittitur, ut eundem ad amplectenda consilia pacifica permoveat. Non intermisit Commissarius Regius per literas dd. 17. Septembr. 1837. partim, partim oralem conferentiam cum Praelato eadem die

513) Ex responsoriis quoque literis Archiepiscopi nonnisi fragmentum edidit auctor memorati operis officiosi *pag. 20. Beil.* Ex Ephemeridibus Herbipolensibus: *Neue Würzburger Zeitung. I. Januar 1838.* discimus: ad minas Ministri respondisse Praelatum: se non credere, ut Rex Ecclesiae Catholicae, numerosos in Borussia sectatores habenti, adversi quid intentet.

514) Literae hae continentur in opere: *Darlegung etc. Beil. p. 22.*

asservatam, hunc ad edendam super eo declarationem provocare: quod in posterum Instructionem a. 1834. elaboratam in pertractandis mixtis nuptiis pro norma assumturus sit; simulque ad casum ulterioris renitentiae funestas sequelas adumbrare. Verum Archiepiscopus tentationibus in obversum principiorum Ecclesiae Catholicae directis fortiter restitit, datisve 18. Sept. 1837. ad Commissarium Regium literis, invicta constantia declaravit: ab se prout hactenus, ita in futurum quoque tum Breve Apostolicum, tum Instructionem anni 1834. in quantum Brevi consonat, instar normae in pertractandis mixtarum nuptiarum casibus adhibitum iri: simulque quibusvis ulterioribus in hoc puncto negotiationibus et tractatibus finem poni petiit, cum ipse ab enunciata declaratione sua nullatenus recedere possit, recessurusque sit numquam. [515])

In vanum recidentibus quibuslibet Gubernii Regii tentaminibus ad expugnandum Archiepiscopum adhibitis, Minister ope Rescripti 24. Octobris 1837. signati eidem nomine Regio, vice postrema, *optionem* dedit: „vel clare et sine ulla reservatione aut restrictione declarandi, quod Instructionem anni 1834. exacte observare velit; vel, si ad edendam huiuscemodi declarationem conscientiae scrupulis prohiberetur, munere suo se abdicandi, cum secus Regiae Maiestati necessitas immineat, iurisdictioni Archiepiscopi finem imponendi.“ [516]) Huic optioni Ministeriali Archiepiscopus Droste, invictae in propugnanda Ecclesiae doctrina fortitudinis vir, memorabilem, eamque postremam opposuit declarationem, 31. Octobr. 1837. signatam: in qua apostolica constantia et libertate primum ea, quae de Brevi Pontificio instar normae a se sumendo identidem iam affirmavit, gravissimis verbis confirmat; tum ad expressiones literarum Ministri minus castigatas reflectens, intrepide pronunciat: se non scrupulis conscientiae, verum ex intima convictione declarationem hanc denuo edere, seque credere, neminem

---

515) *Darlegung des Verfahrens der Preuss. Regierung etc. Beil. p. 22—26.*

516) Mon. 199. pag. 274. — *Darlegung etc. Beil. p. 30.*

Episcoporum aliam, salvis muneris sui rationibus, dare posse; denique vindicata pro se libertate ecclesiastica in iis, quae Religionis sunt, se munus suum abdicare haud posse, Regio nunciat Ministro. [517]

§. 146.

Exponitur, qualem agendi rationem tenuerit Regimen Borussicum cum Sede Apostolica in merito Archiepiscopi Coloniensis anno 1837.

Priusquam filum narrationis super eventis, quae post declarationem postremam Archiepiscopi sese evolverunt, prosequamur, necessarium ducimus, praesente loco quidpiam de modo agendi interserere, quem tenuit Gubernium Borussicum relate ad Sedem Romanam. Videtur, quasi idem ea, quae decursu anni 1837. inter Archiepiscopum et Regium Ministerium intervenerunt, Sedem Romanam latere voluerit. Nam post Notam officiosam a Cardinali Status Secretario dd. 3. Febr. 1837. ad Ministrum Bunsen directam [518], praeter responsum Ministri huius de 14. Febr. 1837. eum in sensum redditum, quod apographum epistolae Episcopi Trevirensis retractatoriae Maiestati Regiae submissum sit, Gubernium Regium nihil eorum, quae quoad mixta matrimonia cum Archiepiscopo Coloniensi intervenerant, cum Sede Apostolica communicavit. Imo licet Minister Bunsen mensibus Maio et Junio anni 1837. Cardinali Status Secretario iteratis vicibus notum fecerit, contra AEpiscopum Droste plures apud Regium Thronum formari querelas: de mixtis matrimoniis tamen studio tacuit, querelasque tantum ex modo agendi adversus Hermesianae doctrinae fautores per AEppum observato desumi aiebat: hinc nec Substituto Secretario Status *Capaccini*, eodem fere tempore in Germaniam proficiscenti circa quaestionem de matrimoniis mixtis ex parte Aulae Romanae ulla data fuit inviatio.

Penes huiusmodi agendi modum ex parte Gubernii Borussici cum Sede Apostolica observatum conilci iam pot-

---

517) Mon. 200. pag. 276. — *Darlegung etc. Beil. p. 32. V.*
518) cf. §. 143.

est, qualemnam impressionem Romae facere debuerit nuncium de tristi catastrophe Archiepiscopo Coloniensi imminente, mense Novembri a. 1837. non per Gubernium, sed alia via adlatum. Sedes Apostolica, quae in sensu postremae Notae Ministri Bunsen de 14. Febr. 1837. responsum Regiminis intuitu communicati apographi literarum Episcopi Trevirensis retractatoriarum praestolabatur, acceptis de ultima Archiepiscopi Coloniensis cum Ministerio Regio correspondentia nunciis, intellecto insuper ex Nota interimalis in absentia Bunsenii, negotiorum Borussicorum gestoris de 1. Dec. 1837. eo, quod Archiepiscopo Droste reapsa tristia immineant: non intermisit medio Cardinalis Status Secretarii praevie adversus quamlibet violentam et iniustam agendi rationem vocem suam attollere, declarando, in casum hunc ea se acturam, quae muneris Apostolici ratio poposcerit.[519])

§. 147.

Archiepiscopus Droste initio Novembris 1837. Clerum Coloniensem ad se convocat, eique aperit: quaenam tristia et quam ob causam sibi immineant. Cleri Curati sensa.

Archiepiscopus Droste, ex postremo Rescripto Regii Cultus Ministri Altenstein dd. 24. Octobr. 1837. tragicam scenam sibi instare certus, convocato ad se die 4. Novemb. 1837. Capitulo et Clero Coloniensi, eidem totam rei secum gestae seriem exposuit, simulque literas tam Ministri, quam suas responsorias cum universo Clero Curato communicavit. Dum ad hanc Archiepiscopi expositionem Capitulum prorsus indifferentem testaretur animum: Clerus Curatus eandem intimo cum moerore accepit; cuius rei egregium exstat documentum in literis, quas Decanatus cuiuspiam parochi sub id tempus ad Praelatum suum dederunt. In iis quemadmodum sincerae ac filialis suae erga amatum Praesulem adhaesionis edunt monumenta, ita plane insigne cum Archiepiscopo tamquam invictissimo doctrinae Catholicae professori, tum ipsi doctrinae reddunt testimonium. Inpri-

519) *Urkundliche Darstellung etc.* ut *nota 497.* pag. 18—23.

mis autem optionem a Ministerio propositam, nempe vel articulos secretae Instructionis et Conventionis servandi, vel munus abdicandi, pro merito perstringunt, universamque agendi rationem, quam Regium Gubernium cum Archipraesule tenuerat, velut imprudentem et impudentem castigant; de Conventione vero ac Instructione memorata profitentur, eam regulis canonicis contrariam, magnumque esse impietatis mysterium, e quo appareat, quanam cum sinceritate et fide Regii Borussici Ministri negotia Catholicorum tractaverint! postremo spiritum fortitudinis atque constantiae Archipraesuli precantes, se cum illo indesinenter perseveraturos pollicentur.[520])

§. 148.

Archiepiscopus Droste Regio iussu die 20. Novembris 1837. usu iurisdictionis prohibetur, et extra fines Archidioeceseos captivus abducitur.

Postquam Minister Cultus omnes conatus suos in Archiepiscopo Droste circa rem mixtorum matrimoniorum ad aliam sententiam perducendo, in irritum cecidisse viderat, de Capituli Coloniensis adiutrice opera autem praevie sat tutum se reddiderat [521]): *instantaneam Archiepiscopi a regimine Archidioeceseos amotionem, et extra fines eiusdem abductionem*, velut unicum iam medium, Regi suggessit, quo et usurpatae, prouti dicebat, Archiepiscopi iurisdictioni hierarchicae modus ponatur, et legibus civilibus quoad mixta connubia, praeprimis vero famosae Conventioni Berolinensi, obsequium procuretur. Annuit Rex: et ope Decreti 15. Nov. 1837. signati propositionem Ministerii ratihabuit, eiusve executionem mox suscipiendam praecepit.

---

520) Mon. 201. pag. 277. — *Affaires de Cologne, suivies de vingt-sept Pièces Justificatives. Louvain. 1838. pag. 101.*

521) Auctor libri superiori nota memorati refert: Regimen opera Consiliarii *Brüggemann* praevie Capitulum praeparavisse, ne iis, quae adversus Archiepiscopum gerenda erant, se opponeret. Id tamen negat Capitulum in scripto officioso, quod sub hoc titulo edidit: *Das Metropolitan-Dom-Kapitel zu Köln in seinem Rechte, oder Verhalten desselben und seine Verhandlungen mit dem Apostol. Stuhle in der erzbischöflichen Sache. Köln. 1838. pag. 7.*

Igitur Regium Ministerium editis literis patentibus, vulgo *Publicando*, Archiepiscopum Coloniensem Clementem Augustum e Lib. Bar. Droste-Vischering, ceu talem, qui iurisdictionem suam Praesuleam modo legibus Regni incognito et adversante, atque a nemine ex reliqnis Episcopis pro se vindicato exercuerit, e mandato Regio ab ulteriori iurisdictionis suae exercitio suspensum esse declaravit: huiusque mandati executionem cum aliis insuper instructionibus Supremo Provinciae Praesidi *a Bodelschwing* commisit. Dedit et alias Minister Cultus ad Capitulum Coloniense literas: in quibus, postquam uberius ea, quae Archiepiscopus inde a suscepto Archidioeceseos gubernio in patrias leges publicasve institutiones praetensive peccaverit, exposuisset: nomine Regio Capitulum provocat, ut pro sua rerum cognitione, proque iusto et fideli sensu sine mora, ea, quae Sede Praesulea impedita tam ad agenda praesentia Ecclesiae negotia, quam ad restituendam Archidioeceseos administrationem secundum Canones rite suscipienda sunt, decernat et perficiat, simulque de universa re gesta Sedem Romanam informet, ab eaque ulteriores ordines petat.

Praeses Provinciae commissum sibi munus expleturus, die 20. Novembris 1837. in comitiva nonnullorum Regiminis Officialium Archiepiscopum accessit, et postquam hunc, in sensu instructionis a Ministerio Regio acceptae, semel adhuc ad amplectenda alia consilia tentatum, in priori sua catholica sententia firmum, ac immobilem deprehendisset, ordines Ministeriales quoad Archiepiscopum usu iurisdictionis prohibendum, et extra fines Dioecesis abducendum executus est [522]). Atque sic Clemens Augustus Archiepiscopus Coloniensis, quia constanter paratus quidem Caesari, quae eius sunt, reddere, at una memor officii sui de Ecclesiae doctrina et disciplina religiose servanda, non aliam sibi in mixtarum nuptiarum negotio regulam proposuerat praeter eam, quae Apostolicis Pii VIII. literis fuit declarata: Regio iussu omni Pastoralis iurisdictionis exercitio prohibitus

522) Acta huc spectantia continentur in opere: *Darlegung des Verfahrens etc. Beil. p. 32. ff.*

et e sua Sede per vim magnoque armorum apparatu eiectus, alioque relegatus exstitit!

---

b) In Provinciis Orientalibus.

§. 149.

In Archidioecesi Gnesnensi ac Posnaniensi constitutio Benedicti XIV. de an. 1748. pro Polonia edita, studio Martini Dunin Archiepiscopi manutenta. Memorabiles correspondentiae inter hunc et Regium Cultus Ministrum a. 1837. in merito mixtorum matrimoniorum.

Magni momenti sunt ea, quae in partibus Regni Borussici *Orientalibus*, cumprimis in Archidioecesi Gnesnensi ac Posnaniensi sub Archiepiscopo Martino de Dunin in merito mixtorum matrimoniorum hac Epocha acta sunt, vel ideo, quod Regium Ministerium in sua ad Archiepiscopum Coloniensem Droste relatione et procedura identidem ad praxim mitiorem in provinciis Regni Orientalibus a longiori iam, ut praetendebatur, tempore vigentem adpellaverit. Ante omnia notamus: huic adserto de praetensa mitiore praxi in provinciis Orientalibus a longiori tempore vigente, omne deesse fundamentum: imo potius e plurimis documentis ab Archiepiscopo Dunin productis [523]) ad plenam claritatem perductum haberi, etiam recentiori tempore *Constitutionem Benedicti XIV.* anno 1748. pro Polonia editam in merito matr. mixtorum observatam fuisse; licet negari non possit, in nonnullis locis vi legum civilium in Borussia recentiori tempore latarum, et cumprimis post Rescriptum Supremi Provinciae Praesidis dd. 24. Sept. 1834. super eo editum: quod Regia declaratio anni 1803. circa prolium in confessione patris educationem in Orientalibus quoque Provinciis de positiva voluntate Regia sancte

---

523) De his epocha sequenti.

observanda sit, mitiorem praxim eo sensu invaluisse, ut matr. mixta etiam sine praestitis requisitis cautionibus ritu consueto benedicantur.

Postquam tenores Apostolicarum literarum Pii VIII. dd. 25. Martii 1830. ad Episcopos Provinciarum Occidentalium anno 1834. publicati in Dioecesibus Gnesnensi ac Posnaniensi innotuissent: Parochi, praesertim e numero illorum, qui mitiorem praxim sequebantur, hanc iuxta Breve Apostolicum erroneam esse edocti, apud Ordinariatum frequentes quaestiones formare, opportunasque inviationes sollicitare pergebant. His permotus Archiepiscopus Dunin, quum praxim doctrinae catholicae et disciplinae Ecclesiae repugnantem absque piaculo gravi tolerare se non posse ultro perspexisset, quamvis Parochos sciscitantes ad exacte servandas cautelas in Brevi Pontificio praesciptas omni iure mox inviare potuisset: studio testandi peculiarem suam erga Regem eiusque Ministerium observantiam, priusquam vi Episcopalis sui muneris quidquam decerneret, Regium Cultus Ministrum primum, tum ipsum Regem literis officii plenissimis adiit, et momentis rationum, suaeque conscientiae angoribus expositis admitti petiit, ut in re mixtorum connubiorum quoad ea, quae auctoritati ecclesiasticae propria sunt, vel antiquam Benedicti XIV. regulam a. 1748. praescriptam sequi, vel ad Sedem Apostolicam recurrere possit. Celebrem hoc in merito correspondentiam, quae Archiepiscopo cum Regio Ministro et Rege intercessit, uberius proponimus.

Initium epistolari commercio dedit Praelatus die 13. Januar. 1837. Ministro Cultus exponens: quantopere post publicatum in provinciis Regni Occidentalibus Breve Pii VIII idque mox ad notitiam suorum quoque dioecesanorum perlatum, et genuina Ecclesiae Catholicae principia in merito mixtorum matrimoniorum gravissime in memoriam revocans, tum. ipse tum parochi stimulis conscientiae urgeantur ad continentias Brevis illius in Dioecesi sua pro norma assumendas: quapropter Breve istud in sua dioecesi publicandum sibi admitti petiit, idque eo facilius fieri posse censuit, quod de uno eodemque objecto, de iisdem Ecclesiae principiis aga-

tur, quae sane in provinciis Orientalibus alia, quam in Occidentalibus esse nequeant. — Cum ad has literas Regius Minister dd. 30. Januar. 1837. breviter et categorice reposuisset: Breve Pii VIII. ad Episcopos duntaxat Rhenanos directum, ad Dioecesim Gnesnensem extendi haud posse, sed morem usitatum quoad benedicenda sine discrimine matr. mixta porro quoque retinendum esse: Archiepiscopus novum dd. 15. April. 1837. Ministerio exhibuit Memoriale: In quo adserta Ministri de praxi benedicendi sine discrimine mixtas nuptias in Dioecesi Gnesnensi ac Posnaniensi usitata, et de eo, quod Breve Pii VIII. ad Episcopos solum Rhenanos directum in Dioecesi Gnesnensi vigorem habere non possit, solide refutavit, ostenditque a) principia Ecclesiae Catholicae circa mixtas nuptias in Brevi Pii VIII. contenta ad omnes Catholicos pertinere, cum de administratione unius eiusdemque Sacramenti agatur, haec autem in provinciis Orientalibus eadem esse debeat atque in Occidentalibus; b) ex exemplo nonnullorum Presbyterorum matrimonia mixta indiscriminatim benedicentium ad universalem praxim concludi non posse, nec exemplum illud doctrinae et disciplinae Ecclesiae praejudicare; c) eum, qui detecto errore talem non obstante universalis Ecclesiae Capitis sententia continuaret, hoc ipso ab unitate Ecclesiae sese sejungere; d) constantem fuisse in Dioecesi Gnesnensi ac Posnaniensi praxim, matr. mixta nonnisi erga praestitam de universa prole catholice educanda cautionem benedicendi. — Neque altera haec energica Archiepiscopi repraesentatio optatum consecuta est effectum: imo Minister non modo Archipraesulem inter comminationes ingratarum sequelarum a publicatione Brevis Pii VIII. aut mutanda praxi virtute legum civilium introducta et frequentata ope Rescripti dd. 3. Maii 1837. inhibuit; sed etiam Supremum Provinciae Posnaniensis Praesidem eo inviare non dubitavit, ut ad casum faciendarum nefors per Archiepiscopum dispositionum praxi hactenus usitatae contrariarum, se iis opponere officii sui ducat. — In tertia remonstratione, quam ad inexspectatum Ministri responsum Archiepiscopus dd. 14. Junii 1837. ad eundem dimisit, semel adhuc apostolica cum libertate ea

protulit, quae ad defendenda Ecclesiae iura, et signanter confirmandam Ecclesiae de matr. mixtis doctrinam a Pio VIII. expositam opportuna iudicavit. Sed nec tertio auditus est: nam Minister Regius dd. 30. Junii 1837. denuo, et iam cum severiore sanctione, nimirum suspendendi salarii individuorum Ordinariatus, promulgationes matr. mixtorum et copulationes conditioni de tota prole in Religione Catholica educanda alligare interdixit, et Archiepiscopo, datis ad illum 10. Julii 1837. literis, in memoriam revocavit: ipsum, dum adhuc munere Vicarii Capitularis in Archidioecesi Gnesnensi fungeretur, die 20. Januar. 1830. officiosum super eo testimonium perhibuisse: „eam esse in memorata dioecesi praxim, quod matrimonia, quae a personis diversae religionis contrahuntur, semper a parochis catholicis, dum et quando sponsa catholicae religioni addicta est, in Ecclesiis benedicantur, nec ab illis exigatur, ut proles utriusque sexus ex talibus matrimoniis procreandae in Religione Catholica instituantur." [524])

§. 150.

Vicarius Gnesnensis Clerum Curatum ad principia Ecclesiae circa mixtas nuptias stricte tenenda provocat.

Rescriptis Ministerii ad Praesidium Provinciale Posnaniense cum in sensum iterato dimissis, ut Clerus Catholicus ab exigenda occasione copulationis mixtorum matrimoniorum promissione de catholica prolium omnium educatione arceatur, et ad peragendam benedictionem invietur, permotus *Vicarius Archiepiscopalis Gnesnensis* Adalbertus Brodziszewski, Circulares literas ad Decanos Districtus Gnesnensis 6. Septembr. 1837. dimisit: in iisque exposito eo, quod Archiepiscopus a longiori iam tempore in materia mixtorum matrimoniorum mutuam cum Ministerio Regio foveat correspondentiam, genuinamque hoc in capite

524) Correspondentiae hae per extensum communicantur in opere: Rheinwald, *Acta historico-ecclesiastica Sec. XIX. Jahrg. 1837. Hamburg. 1840. p. 585—599.*

Ecclesiae disciplinam insigniter tueatur, in memoriam revocat Clero Curato hanc ipsam disciplinam et principia recentissime in Brevi Pii VIII. inculcata et tradita.[525])

Quamquam autem Circulares hae literae Vicarii Gnesnensis orthodoxam Ecclesiae doctrinam circa matr. mixta proponerent: quia tamen Archiepiscopus prius iam Regio Ministerio declaraverat, se via facti nil suscipere velle eousque, donec rem totam Throno Regio repraesentet: existimavit idem Archipraesul, Circulares illas praemature adhuc ad Clerum Curatum fuisse dimissas: unde datis 10. Octobr. 1837. ad Decanos Vicariatus Gnesnensis literis, iisdem significavit: Circulares literas Vicarii nil quidem nisi sinceram Ecclesiae exponere doctrinam; easdem tamen ante tempus adhuc expeditas fuisse, praesertim si expendatur, inde a temporibus Praedecessoris sui *Radzinski* disciplinam quoad connubia mixta non ubique exacte servatam exstitisse; hinc circularium Vicarii literarum publicationem suspendendam, et nonnihil praestolandum esse, donec, re tota ad Thronum Regium delata, inde optata resolutio advenerit.[526])

§. 151.

Repraesentatio Archiepiscopi ad Regem dd. 26. Octobr. 1837.

A Ministerio Regio repulsam passus Archiepiscopus Dunin, dd. 26. Octobris 1837. momenti plenam Regi misit literam, cuius argumentum uberius recensemus. In ea a) exponit, Breve B e n e d i c t i XIV. de 29. Jun. 1748. ad Episcopos Poloniae datum instar conditionis sine qua non id postulans, ut pars catholica alteram partem in gremium S. Matris Ecclesiae reducere conetur, et proles universa in Fide Catholica educetur: per nullam contrariam legem abrogatum hodiedum in sua Archidioecesi vi obligandi gaudere. b) Exhibet repugnantiam inter Constitutionem Benedictinam

525) M o n. 202. pag. 280. — *katholische Kirchenzeitung. Frankfurt. 1838. p. 131.*

526) M o n. 203. pag. 282. — *Herold des Glaubens. Aschaffenburg. 1838. p. 526.*

et leges civiles Borussicas ad Magnum Principatum Posnaniensem extensas, ex hacque repugnantia derivat difformitatem in praxi in nonnullis locis vigentem. c) Per Breve Pii VIII. anno 1834. publicatum Curatos omnes attentos redditos ait ad principia Ecclesiae, a quibus nonnumquam deviaverint. d) Proponit suas cum Ministro Cultus correspondentias, compluresve iusto severiores expressiones a Ministro adversus se adhibitas cum dolore memorat. e) Argumenta, quae Minister ad tuendam suam sententiam adhibuit, ad duo summa capita reducendo, nimirum quod Breve Pii VIII. ad solos Episcopos Rhenanos directum sit, et in Dioecesi Gnesnensi praxis mitior legibus civilibus conformis a longiore tempore invaluerit: reflectit ad *primum:* interpretationem Brevis ad Ministrum non pertinere, nec in Brevi illo novi quidpiam contineri, sed antiquissimam Ecclesiae doctrinam circa matr. mixta constanter reprobata exponi, hacque omnes Catholicos obligari; ad *alterum:* ex erroribus, quos aliqui SS. Curionum commiserunt, nondum universalem praxim efformari, et in rebus Religionis alioquin praescribi haud posse, sed errores mox atque cognoscuntur deponi debere. f) Exemplo dispensationis recentissimae a Sede Apostolica pro ineundo connubio mixto obtentae docet: Romae nec dubitari de eo, quod Breve Benedicti XIV. religiose servetur. g) Ostendit: iniustum esse Ministri desiderium, ut Curati ad benedictionem mixtis nuptiis absque discrimine impertiendam stringantur, cum talis coactio nec per legem civilem adhibeatur. h) Petit sibi indulgeri: ut aut Breve Benedicti XIV. porro quoque in pleno vigore sua in dioecesi observetur, aut res tota pro decisione ad Sedem Romanam referatur. [527]

§. 152.

In reliqua Borussia, et praeprimis in Dioecesi Vratislaviensi mitior praxis continuata.

Exspectare quidem licuit, post publicatum in Borussia Rhenana Breve Pii VIII. disciplinam circa matr. mixta in universo Regno ad principia et normam in apostolicis

527) Mon. 204. pag. 283.

his literis expressa conformandam esse: ast praeter Archidioeceses Coloniensem et Posnaniensem, in quibus anno 1837. de abusibus corrigendis, restituendaque prisca sinceriori disciplina serio agebatur, tota fere Borussia mitiorem praxim per recentiores leges civiles invectam continuabat: inprimis *Dioecesis Vratislaviensis*: in qua, non obstante Summi Pontificis sententia de nuptiis mixtis tunc solum admittendis, rituque consueto honestandis, si cautiones ab Ecclesia numquam non desideratae et in his praesertim illa de prole universa catholice educanda, praecesserint, ea vigebat hac Periodo praxis, ut matrimonia talia, prout leges civiles et resolutiones Ministeriales secum ferebant, sine discrimine ritu Ecclesiae consueto copularentur: ac proinde dum sponsa erat catholica, ius copulandi ad parochum catholicum pertinebat, eique circa futurarum prolium educationem religionariam ullam quaestionem formare cautum fuit; imo nec ad Ordinariatum hoc in puncto recurrere integrum erat, sed edicta Gubernii Civilis per omnia observari debebant: ipso Ordinariatu Clerum Curatum ita inviante [528]). Unicum memorant Ephemerides *Francofurtenses* ecclesiasticae [529]) exemplum de quaestione per quempiam Archipresbyteratum mense Aprili 1836. posita, sed nec huius nomen constat, nec resolutio ab Ordinariatu data.

II. Historia matr. mixtorum in aliis Regnis.

§. 153.

In Bavaria: Instructio Sedis Apostolicae de 12. Sept. 1834. in nexu Brevis 27. Maii 1832. editi ad Episcopos dimissa.

In Epocha VI. relatum est: Brevi Apostolico dd. 27. Maii 1832. in negotio mixtorum matrimoniorum ad Episcopos Bavariae dimisso Regimen Civile minime contentum fuis-

528) Vid. *Aschaffenburger katholische Kirchenzeitung. 1834. No. 94. 95.* et: *1836. p. 557.*

529) *Kathol. Kirchenzeitung. 1836. No. 94.*

se, ideo potissimum, quod non praestitis debitis cautionibus nec promulgationes nec copulationes matrimoniorum eiusmodi fieri admiserit; ibidem insinuatum una fuit, Episcopos Bavariae attentis arduis Cleri Catholici circumstantiis, in quas illum homines de sanctissima Ecclesiae disciplina male sentientes, et eapropter magnam tempestatem excitantes, coniecerant, novum, ipso Regimine suggerente, recursum ad Sedem Apostolicam concinnavisse, opportunasve inviationes suppliciter petiisse [530]). Ad recursum hunc Episcoporum emanavit dd. 12. Septembr. 1834. nomine Summi Pontificis memorabilis illa Instructio, quae sensum Brevis anni 1832. clarius determinavit, sed una pro ratione adiunctorum ab Episcopis relatorum in nonnullis punctis mitiorem sententiam tulit. Scilicet a) declarat Instructio: literas apostolicas diei 27. Maii 1832. nullam equidem interpretationem mitiorem recipere posse ea parte, qua firmissimum Religionis Catholicae dogma de una et sola salvifica Ecclesia, item constantem Ecclesiae doctrinam de illicitis vetitisque catholicorum cum haereticis nuptiis commemorant; imo potius tam Episcopos quam Parochos energice monet, ut utrumque fidelibus serio inculcent, eos a nuptiis talibus, quantum possunt, absterreant, nilque e parte sua agant, e quo concluderetur, illas nuptias adprobari. b) Exponit: per Breve non excludi eam tolerantiam, qua mala, impediri nequeuntia, patienter dissimulare Sedes Apostolica consuevit; hinc si matr. mixta impediri non possint, ad graviora damna et scandala praecavenda indulget: ut consuetae promulgationes instituantur, nulla tamen facta religionis sponsorum mentione, item ut literae quoque testimoniales super institutis promulgationibus extradentur, in illisque, si nullum obstet dirimens impedimentum, diserte enuncietur: nil praeter vetitum Ecclesiae ob mixtae religionis impedimentum matrimonio obstare. c) Admittit: ut si nuptias tales coram parocho catholico celebrari postularetur, parochus materialiter praesens adsit, omni ritu sacro excluso. d) Monet Episcopos et Parochos, ut omni conatu eo adlaborent,

530) cf. §. 123.

quo a parte catholica omne periculum perversionis amoveatur, et proles utriusque sexus in Fide Catholica educetur. e) Denique addit: Summum Pontificem ad tolerantiam istam ea solum de causa permotum fuisse, ne graviora Ecclesiae mala obveniant: hinc Episcopos ac Parochos secundum Instructionem praesentem procedentes tunc solum in conscientia tutos fore, si nil eorum, quae parte ex sua ad tutandam Ecclesiae mentem agenda sunt, intermiserint, fidelemque populum porro etiam et ardentiori adhuc zelo in iis, quae ad doctrinam Ecclesiae quoad matr. mixta pertinent, instruxerint, demum nil commiserint, per quod Canonum matr. mixta detestantium memoria in populo catholico extenuari possit. [531])

§. 154.

Instructio Sedis Apostolicae ab Episcopis Clero Curato annunciata.

Instructione Apostolicae Sedis Episcopis Bavariae reddita, longum adhuc effluxit temporis intervallum, donec illa in effectum deduceretur: nam, licet notabiles fecerit concessiones, desideriis tamen eorum, penes quos est rerum publicarum summa, nondum satisfecit [532]). Primum ultimo

531) Mon. 205. pag. 291.

532) Notari hic merentur, quae in Ephemeridibus Aschaffenburgensibus: *Herold des Glaubens. 1838. p. 123. f.* narrantur: „Da auch diese (Instruction) nicht den Erwartungen entsprach, und überdiess nur bedingungsweise gegeben wurde, so war dadurch die Verlegenheit nicht nur nicht gehoben, sondern noch vermehrt, weil der baierische Episcopat die Instructio nicht in Vollziehung setzen konnte, indem ja eine äusserst unbequeme Bedingung daran klebte, und diese Bedingung war leider nur im Berichte, nicht aber in Baiern zu finden." Intelligit Correspondens iste procul dubio gravem Sanctissimi Patris admonitionem in Instructione contentam, vi cuius disertis verbis declarat: se duntaxat ea causa permotum fuisse ad tantam tolerantiam pro Catholico Bavariae Regno concedendam, quod e relatione Episcoporum gravia mala Religioni Catholicae impendere intellexerit, nisi ea concessio fiat. Si itaque relatio Episcoporum exaggerata fuit (uti memoratus Correspondens coniice-

anni 1835. mense dimiserunt Ordinariatus ad Parochos Instructioni conformes inviationes: signanter Episcopus *Augustanus* dd. 18. Decemb. — Episcopus *Spirensis* 21. Dec. — Episcopus *Wirceburgensis* 30. Dec. — Archiepiscopus *Monacensis* autem 17. Febr. 1836. inviationes hae sive instructiones in substantia quidem utcunque inter se conveniunt: *Spirensis* tamen a ceteris nonnihil divergit. Nam a) quoad benedictionem mixtarum nuptiarum in sensu Instructionis Romanae Curatos eo invians, ut illam nonnisi praestita cautione de universa prole catholice educanda adhibeant, simul committit iisdem: ut non habita cautione, si ex adiunctis quibusdam colligi possit, spem non vanam praeberi, fore, ut remotis impedimentis pars acatholica ad catholicam prolium educationem permittendam prona reddatur, casum huiusmodi ad Ordinariatum pro accipienda ulteriori inviatione referant. b) Assistentiam passivam in Ecclesia, et ornatu sacro praestandam disponit: id quod nemo alter Episcoporum constituerat, sed potius diserte domum parochialem velut idoneum locum pro excipiendo consensu matrimoniali designarunt. Instructio *Wirceburgensis* id memoratu dignum continet: quod dispensationis in trinis denunciationibus obtinendae spem omnem praevie praecidat. Ordinariatus *Monacensis*, ut de exacta constitutionum Apostolicarum observantia eo certior reddatur, quemlibet casum matrimonii mixti sibi referri, prout et de qualiter contracto eiusmodi matrimonio de casu in casum se informari iussit. [533])

§. 155.

Edicta civilia ex an. 1834. pro ducatu Saxo-Coburg-Gothano, et Urbe Francofurtensi.

In Principatu Saxo-Coburg-Gothaensi ex hac epocha commemoramus Edictum dd. 15. Augusti 1834. quo

---

re videtur): haud mirum, Episcopos in non modicam perplexitatem adductos esse, quod Summum Pontificem ad tantam concessionem sua relatione disposuerint!

533) Mon. 206. 207. 208. pag. 297—304.

irrestricta libertas ineundi mixta matrimonia, item facultas de religionaria prolium educatione per parentes disponendi concessa, pro casu controverso autem id decisum fuit: ut proles masculae patris, foemellae matris confessionem sequantur. [534])

In Libera Urbe Francofurtensi occassione Congressus Corporis Legislativi dd. 15. Nov. 1834. duo projecta in negotio mixtarum nuptiarum facta fuisse referuntur: primum, ut ministris religionum intra ambitum territoriumve Urbis degentibus obligatio imponatur benedicendi nuptias mixtas, si id partes contrahentes desiderent; alterum, ut non exstantibus pactis parentum de religione prolium, filii in patris, filiae in matris confessione educentur [535]). Si *Buddeo* [536]) fides: Jurisdictio Catholica Francofurtensis ad id numquam accessit, ut matrimoniis mixtis sine consuetis cautelis benedictio impendatur: partesque hanc recipere volentes ad Civitatem *Offenbach* se conferebant, ibique illam sine discrimine obtinebant.

§. 156.

In M. Princ. Saxo-Vimariensi Episcopus Fuldensis legum antiquiorum principiis Ecclesiae nequaquam conformium modificationem urget.

In Comitiis Magni Principatus Saxo-Vimariensis a. 1835. et 1836. celebratis quaestionem de matrimoniis mixtis denuo discussam fuisse legimus. Occasionem discussioni praebuit repraesentatio *Episcopi Fuldensis* Joannis Leonhardi Pfaff, 24. Octobr. 1835. ad Praesidem Comitiorum in eo facta: ut, quum lex anni 1823. circa religionariam prolium educationem rogata principiis catholicis multiplici sub respectu praejudiciosa foret, et remonstrationes quoad modificandam eam legem per Vicariatum Fuldensem ann. 1823. et

534) Mon. 209. pag. 305.

535) *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1836. p. 397.*

536) *Über die gemischten Ehen. Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften — von Ersch, und Gruber. I. Sect. 31. Theil. Leipzig. 1838. p. 349. not. 44.*

1824. Ministerio Magni Ducis exhibitae in irritum ceciderint, lex memorata novae disquisitioni subiiciatur, et doctrinae ac disciplinae catholicae conformior reddatur. In sequelam repraesentationis Episcopalis Articuli legis anni 1823. matrimonia mixta concernentes Sessione 51. mense Januario a. 1836. habita reipsa in novam deliberationem assumti, et plura projecta modificandorum illorum proposita fuere: nominatim ut non obstante ea lege liberum sit parentibus proles suas in illa religione instituere, cui maior pars loci addicta est; item ut tota huius quaestionis decisio ad patrem ceu caput familiae devolvatur; demum ut proles masculae in patris, foemeliae in matris religione educentur. Post plures concertationes pluralitate votorum die 1. Febr. 1836. Magno Duci ea facta est propositio: ut decisio quaestionis circa religionem prolium e mixtis matrimoniis patri competat, semper tamen in una eademque religione omnes proles educentur, nisi in casibus nonnullis Magno Principi aliter videretur [537]). Verum M. Princeps in resolutione dd. 4. Mart. 1836. projecto Comitiorum non accessit, sed legem anni 1823. ultro quoque observari iussit, ad concedendas in particularibus casibus dispensationes pronum se futurum una declarando [538]). Sic itaque repraesentatione Episcopi Fuldensis nullum effectum sortiente, lex a. 1823. utut principiis catholicis valde praeiudicans in vigore perstitit: hoc tamen non obstitit, quominus Capitulum Fuldense parochiis per literas circulares 22. April. 1836. dimissas principia Ecclesiae Cath. in mentem revocaret, ad horumve exactam observantiam etiam atque etiam exstimularet. [539])

§. 157.

Status matr. mixtorum in Saxonia et Hannovera.

In Saxonia post iterata Comitiorum proiecta [540]), condita tandem est lex nova de mixtis matrimoniis, quae dd.

537) Mon. 210. pag. 305.

538) Mon. 211. pag. 306.

539) Mon. 212. pag. 307. — Acta omnia ad discussionem meriti huius spectantia continentur in opere: Rheinwald, *Acta historico-ecclesiastica Sec. XIX. Hamburg. 1840. p. 364. ff.*

540. cf. §. 125.

1. Nov. 1836. publicata, et Mandatum Regium anni 1827. nonnihil modificans, sequentes in se continebat sanctiones: a) copulationem personarum mixtae religionis proprie quidem ad parochum sponsae pertinere: liberum tamen fore nubentibus per alium parochum semet copulari facere, imo et per utrumque, modo copulatio per parochum sponsae praecedat. b) Si parochus catholicus ex illegali causâ sive promulgare, sive copulare nollet, utramque functionem a ministro evangelico per Regium Ministrum Cultus praevie ad id auctorisando peragendam esse. c) Proles ordinarie in confessione patris educandas venire, liberum tamen esse parentibus aliud quoque per pacta decernere. d) eum, qui promissionibus, minis, aut alio modo alterutrum coniugum ad conventionem de religionaria prolium educatione induxerit, 50. thalerorum et carceris trium mensium, ad casum ulterioris temeritatis vero graviori poena mulctandum esse. [541])

De Regno Hannoverano ex praesenti epocha id unice constat: ex parte Ordinariatus *Hildesheimensis* adversus legem anni 1826. protestationem interpositam, et a plerisque parochis Breve Pii VIII. item Gregorii XVI. ad Episc. Bavariae in praxi proprio motu adoptata fuisse. [542])

§. 158.

Historia matr. mixtorum in Polonia Russica.

In Polonia, quae Russo paret, memorabilem ab egregie defensa Ecclesiae doctrina et disciplina se reddidit hac epocha *Episcopus Podlachiae* Gutkowski, quem iam priori Periodo [543]) conatibus Regiminis hoc in puncto pro virili restitisse exposuimus. Episcopus hic ex incidenti decretorum civilium in rebus Religionis per Gubernium in praeiudicium Potestatis Ecclesiasticae editorum, ope literarum pastoralium dd. 14. Martii 1835. Clero suo genuina principia tum circa relationem Ecclesiae ad Civitatem, tum circa matrimonia mixtae religionis exponendo, haecque benedici prohibendo, a

541) Mon. 213. pag. 307.
542) *Aschaffenburger kathol. Kirchenzeitung. 1836. p. 271.*
543) cf. §. 127.

Gubernio ad onus responsionis attractus: non tantum non cessit, sed datis ad Generalem *Golowin* Commissionis in rebus Cultus Praesidem, 28. Junii 1835. literis, apostolica libertate et constantia professus est: ea, quae sibi vitio vertuntur, res esse mere Ecclesiasticas, circa quas disponendi potestas Jurisdictioni Ecclesiae, non Status Civilis a Christo data sit. [544])

Lex anni 1836. de matr. mixtis sequentes fecit provisiones: a) copulationem ad ministrum religionis, cui sponsa addicta est, spectare: non obstare tamen, quominus post peractam legalem hanc copulationem alterius quoque confessionis minister benedictionem tribuat. b) proles masculas patris, foemellas matris religionem sequi debere. Et haec quidem de matrimoniis mixtis inter Catholicos et Protestantes. Quoad matrimonia mixta autem, in quibus pars una Religionem *Graeco-Russicam* profitetur, memorata lex pro Polonia idem prorsus constituit, quod in Imperio Russico observatur: nimirum copulationem valide nonnisi a Presbytero Russico institui posse, proles vero omnes in religione Russica educandas esse, et ad hanc educationem prolibus impertiendam partem Catholicam scripto instrumento se obligare debere [545]). Provisionem istam adeo severa sanctione munivit subin Imperator Nicolaus, ut non tantum vim retroactivam quoad proles ante legem illam natas eidem tribuerit, sed et mediis coactivis, puta poena carceris, exilii pueros, puellasque fidem catholicam eiurare compulerit, parentes vero, quibus tantae impietati resistendi animus fuit, in exilium agi iusserit. [546])

---

544) *Kirchenhistorischer Bemerker zum allgemeinen Religionsfreund. Würzburg. 1836. p. 196. ff.*

545) Mon. 214. pag. 309.

546) cf. Perrone, *tractatus de Matrimonio. Lugduni. 1840. p. 184. not.*

§. 159.

Capitulum Fuldense in relatione sua ad Ministerium Electorale Hasso-Casselianum principia catholica quoad matr. mixta egregie defendit a. 1837.

Non parvi momenti in praesenti epocha est correspondentia, quam Capitulum Fuldense cum Ministerio Electorali Hasso-Cassellano in merito mixtorum matrimoniorum anno 1837. duxerat. Occasionem ei dedit Rescriptum, quod Ministerium Electorale dd. 29. Mart. 1836. ad Consistorium Marburgense, et dd. 17. Mart. 1837. ad Capitulum Fuldense super eo dimisit: quod Edictum de 28. April. 1824. sponsionem educationis catholicae omnium prolium a Sponsis mixtae religionis exigi prohibens porro quoque in vigore persistat, ab eoque recedi non possit. Capitulum Fuldense, quod suo tempore adversus Edictum isthoc anni 1824. suas reflexiones proponere haud neglexit, accepto praememorato Rescripto, necessarium duxit circularibus literis dd. 21. April. 1837. parochos ad id reflectere: e principiis Ecclesiae Cath. nullatenus admitti posse, ut matrimonia mixta sine praevia cautione de educatione omnium prolium in Fide Catholica benedicantur; idque eo minus, quod Regimen ipsum Electorale in resolutione sua de 8. Januar. 1827. agnoverit, Presbyterum Catholicum ad benedicendum matr. mixtum cogi nequire, sed in tali casu Ministrum Evangelicum fungi oportere [547]. Circularium harum ad Parochos dimissio Ministerio Electorali displicuit: illarumque retractationem Capitulo Fuldensi per Rescriptum de 19. Augusti 1837. imposuit; cum autem Capitulum in literis responsoriis dd. 1. Sept. 1837. se id salva conscientia et salvis Ecclesiae legibus facere non posse significasset: Ministerium novo decreto dd. 30. Sept. 1837. et iam cum comminatione poenarum in parochos benedictionem detrectantes dictandarum revocationem Circularium ursit: sed Capitulum dd. 27. Octobris eiusdem anni decretorie rescripsit: Circulares, do-

547) Mon. 215. pag. 310.

ctrinam duntaxat constanter in Ecclesia propositam in se continentes, se nunquam revocaturum. [548])

§. 160.

In Helvetia: articuli Conferentiae Badensis a. 1834. procusi, Religioni Catholicae infesti, per Summum Pontificem a. 1835. condemnati fuere.

In Helvetia, ubi recentiori tempore multa in apertum rei catholicae detrimentum inimici homines moliebantur, et sub obtutu rationis publicae, scilicet iurium civilium indemnitati consulendi, plures erroneas ac pravas doctrinas propagabant: mense Januario anni 1834. in sic dicta Conferentia Badensi per Deputatos Cantonum conciunati sunt de iuribus Status circa sacra Articuli, talia contiuentes principia, e quibus in Ecclesiam Catholicam novitates doctrinae ac disciplinae eiusdem oppido repugnantes induci necesse sit. Inter hos Articulos fuere, qui de administratione Sacramentorum quoque, et in specie de Matrimonio tractant. Nam in Conventu illo Badensi eousque progressum fuit, ut vel in ipsam Sacramenta dispensandi rationem Seculari Potestati ius et officium attribueretur. Articulo V. nuptiis quoque mixtis favor decretus, et Parochis Catholicis illas, neglecto omni religionis inter sponsos discrimine, benedicendi obligatio imposita est [549]). Cuiusmodi articulum *Canton* San-Gallensis die 25. Nov. 1834. adoptans, simul enunciavit: dispositionem circa religionem prolium e mixtis connubiis non ad Ecclesiam sed Civitatem pertinere. [550])

Adversus Articulos Conferentiae Badensis vocem suam elevavit Summus Pontifex Gregorius XVI. illosque per Breve de 17. Maii 1835. cum in genere tamquam assertiones iuribus Ecclesiae derogantes, Ecclesiaeque regimen ac

---

548) Acta Correspondentiarum harum omnia exstant in opere: Rheinwald, *Acta historico-ecclesiastica Sec. XIX. Hamburg. 1840. p. 355—363.*

549) Mon. 216. pag. 313.

550) Mon. 217. pag. 313.

divinam constitutionem evertentes, et ministerium ecclesiasticum seculari dominationi subiicientes damnavit; tum in specie relate ad ea, quae circa administrationem Sacramentorum et praesertim de Matrimonio in iisdem Articulis sancita fuere, pronunciavit: nefas esse, si in sanctissimo hoc munere, quod Ecclesiae suae pastoribus reservatum voluit Christus, aliquid Potestas Civilis sibi vindicet, aut sacrorum ministris praecipiat; ea demum, quae quoad mixtas nuptias Badensis Conferentia constituit, acriter reprehendit, quod impiam indifferentismi opinionem foveant, et catholicae veritati manifeste adversentur: quae quippe mixtas nuptias tam ob flagitiosam in rebus sacris cum haereticis communionem, quam ob grave coniugis catholici periculum perversionis, et nasciturae prolis pravam institutionem constanter detestata sit, interdixeritque. [551])

Quamquam autem Articulos Badenses Summus Pontifex apostolico mucrone confixerit: iidem tamen per plures Cantones in legum tabulas illati fuere: signanter per Cantonem Lucernensem die 14. Aug. 1835. pro defensione mixtorum matrimoniorum etiam decretum C. Tridentini de vinculo matrimonii e capite haereseos haud dissolvendo, item effatum Apostoli I. Cor. VII. adducentem [552]); porro per Cant. Bernensem mense Februario a. 1836. [553]) Canton vero Waadtensis maiori parte alioquin ex Reformatis constans, in Sessione 3. Dec. 1835. matrimonia pure civilia (Civil-Ehen) adoptavit. [554])

§. 161.

Repraesentatio Cleri Genevensis adversus matrimonia mixta ex an. 1835.

Intermittere non possumus, quin pro coronide Epochae huius memorabilem repraesentationem Cleri Curati Ge-

551) Mon. 218. pag. 313. — Literaturam ex incidenti Brevis huius in Helvetia exhibet Illgen, *Zeitschrift für die historische Theologie. Leipzig. 1841. 2. Heft. p. 169.*

552) Rheinwald, *Acta historico-ecclesiastica Sec. XIX. Jahrgang. 1835. p. 43. 60.*

553) *Sion. Augsburg. 1836. p. 256.*

554) *Sion.* loc. cit. p. 255.

nevensis ad Episcopum Lausannensem et Genevensem contra mixta matrimonia 30. Junii 1835. exaratam debitis laudibus celebremus, tamquam eximium zeli, quo Clerus iste pro defensione priscae canonicae disciplinae ardebat, documentum. In repraesentatione hac vividis coloribus adumbrat Clerus perniciosas in rem catholicam sequelas ex Protestantium in Cantone Genevensi agendi ratione resultantes: qui variis viis tam aperte quam occulte haeresim intra ambitum parochiarum catholicarum propagare, et mixtas nuptias velut opportunum ad id medium adhibere studeant. Reflectit porro idem Clerus, quod, etsi in mixtis nuptiis penes dispensationem Pontificiam initis partes sub iuramento promittant prolium utriusque sexus in Fide Catholica institutionem, fere tamen omnes haeresi in praedam cedant, et poene moraliter impossibile sit, ne matr. mixta in Cantone Genevensi e ratione praedominantis haeresis in praeiudicium fidei et religiositatis vergant: tacitam quippe Gubernii protectionem, parentum et amicorum sollicitationes, ministrorum protestanticorum zelum et intentatas excommunicationes — omnia haec concurrere, ut pars coniugum protestantica et in praetensionibus suis nimia, et in voluntate immota reddatur. Cum autem ad funesta isthaec nuptiarum mixtarum consectaria praecavenda opportunius medium cogitari haud possit, quam si Gubernium emolumenta sua ab illis haereseos separando, mixta matrimonia non aliter quam obtenta praevie Ecclesiae dispensatione contrahi indulserit: orat Clerus Episcopum, ut qua valet auctoritate de congruis medelis provideat. [555])

§. 162.

Literatura ex Epocha VII.

A) Catholicorum.

133. Wilhelmus Schütz, *die Berathungen über gemischte Ehen in der zweiten Kammer der Sächsischen Stän-*

555) Mon. 219. pag. 316. — Rheinwald, op. cit. (not. 548.) pag. 231—273.

de. Allgemeiner Religions- und Kirchenfreund. Würzburg. 1834. Nro 81. 82. non inutiles proponit reflexiones in adserta Deputatorum Saxoniae de matrimonio qua contractu civili, et ex his depromtas quoad matrimonia mixta conclusiones refellit, magnam disparitatem principiorum de vinculi coniugalis natura et duratione inter Catholicos et Protestantes subversantem ob oculos ponendo.

134. *Über die gemischten Ehen in Schlesien. Katholische Kirchenzeitung. Aschaffenburg. 1834. Nro 94. 95.* praxim in Silesia Borussica usitatam, matr. mixta absque discrimine et sine cautionibus ab Ecclesia praescriptis benedicendi, perstringit, eandemque doctrinae Catholicae repugnare, et Presbyteros sic agentes gravissimo responsionis oneri obnoxiari, ostendit.

135. Franciscus Geiger, *Bemerkungen über die Verhandlungen zu Baden. Schweizerische Kirchenzeitung. Luzern. 1834. p. 86. et Nro 13. 23.* catholicas ex principiis Ecclesiae et decretis Pontificum deductas observationes opponit articulis Conferentiae Badensis in Helvetia: una confitetur, inter coniuges mixtae religionis veram consensionem cogitari, et finem coniugii plene obtineri haud posse. [556].

136. Simon Buchfelner, *Belehrungen über die alleinseligmachende Religion und Kirche, die Schranken der christlichen Duldung, und das Nichtgenügen eines nur ehrlichen Wandels zur Erlangung der ewigen Seligkeit: als Warnung vor den gemischten Ehen. Regensburg und Landshut. 1835.* in nuce quasi proponit parochis principia, quae Summus Pontifex Gregorius XVI. in Brevi et Instructione ad Episcopos Bavariae circa mixta matrimonia tradidit.

137. Magnam famam ac celebritatem, sed nec paucos adversarios consecutus est auctor libelli, Augustae Vindelicorum anno 1835. sub titulo: Beiträge zur Kirchengeschichte des XIX. Jahrhunderts in Deutschland, oder über die neuesten kirchli-

---

556) In statuta Conferentiae Badensis insignes eodem tempore reflexiones vulgavit: *L' ami de la Religion de 5. April 1834. No. 2242.*

chen Verhältnisse daselbst, editi. Non convenit quidem inter eruditos, an unus au plures in redigendo hoc libello, quem passim *librum rubrum*, (das rothe Buch, le Livre Rouge) compellant, operam suam posuerint? communiter tamen tenent, viros Clero provinciae Rhenanae in Borussia adscriptos collegisse totum id, quod relate ad persecutiones a Gubernio Borussico adversus Catholicos excitatas ad notitiam eorumdem pervenit. Scopus nimirum auctoris erat: multiplices illas persecutiones, quas Religio et Ecclesia Catholica in Borussia a Gubernio Civili sustinuit, graphice describere et documentis etiam exhibere. Itaque sumto inde a Conventione inter Sedem Apostolicam et Regem Borussiae a. 1821. inita exordio, demonstrat a) quantopere mox in principio executionis Conventionis istius activitas Episcopi Varmiensis, quem Sedes Apostolica ad actum hunc delegavit, impedita; b) per sic dictum Placetum Regium nexus Catholicorum cum Capite Ecclesiae constrictus; c) libertas eligendi Episcopos, Capitulis aliàs competens, ad meram formalitatem per Ministerium detrusa; d) iurisdictionis Episcopalis exercitium a Gubernio dependens effectum; e) influxus Gubernii ad cultum divinum, ad educationem iuventutis vehementer extensus; f) denique quoad mixta matrimonia tales leges perlatae sint, quae ad subruendam Religionem Catholicam directae exstiterint. Historiae persecutionum harum subnectitur Commentarius sub titulo: *Theologisches Gutachten über den Sinn des Apostolischen Breve vom Papst Pius VIII. dd. 25. März 1830. in Betreff der gemischten Ehen*, cuius auctorem censent quempiam virum ecclesiasticum Archidioecesis *Coloniensis:* qui opus suum primo ad Archiepiscopum *Com. a Spiegel*, dein, cum ab hoc acceptatum non fuisset, ad Canonicum Spirensem *Weiss* transmiserit. Auctor Commentarii a) contra Breve Apostolicum, tamquam nimis indulgenter de matr. mixtis statuens, pugnat, et orthodoxum theologum inducit ostendentem, quam indeterminata decisio in Brevi isto quoad summi momenti materiam contineatur, adeo, ut plane sumendum videatur, vel secundariis ex finibus tantam indulgentiam profluxisse, vel ex miserabili sorte Catholicorum in Borussia Summum Pontificem

ad tantam tolerantiam permotum fuisse. b) Inducit alium ex finibus ac rationibus politicis id persuadere nitentem, Papam in arduis illis rei catholicae circumstantiis summa moderatione uti, et tantum, quantum saltem licuit, indulgere debuisse. c) Suam tandem proponit sententiam: quod assistentia passiva in Brevi concessa damnari debeat velut consectarium opinionis de contrahentibus ipsis Sacramenti Matrimonii ministris; dolet porro, Sedem Apostolicam, probabilius morali quapiam necessitate compulsam, ad tantam indulgentiam se determinavisse; Gubernio vero Borussico vitio vertit, quod in Provincias Rhenanas, longe maiore numero Catholicos incolas habentes, legem de prolibus omnibus in confessione patris educandis contra omnia Juris Status et reciprocitatis principia invexerit. — Liber hic, Regimini Borussico fatalis, non tantum severis censurae legibus mox, ac lucem publicam adspexit, subjectus, prohibitusque fuit, sed a pluribus eruditis in examen vocari, refutarique tentabatur. [557]) Ex his praecipuus erat

138. J. Ellendorf, *die katholische Kirche Preussens. Als Antwort auf die „Beiträge zur Kirchengeschichte des XIX. Jahrhunderts." Von einem Katholiken. Rudolstadt. 1837.* demonstrare volens: auctorem libri numero priore memorati multa erronea, omnia vero ex odio in Statum Borussicum scripsisse; Ecclesiae Catholicae in Borussia nullam adversus Gubernium querulandi ansam suppetere, imo potius Protestantes merito queri, Ecclesiam Catholicam iusto magis protectam, legesve civiles omnes in eius favorem directas fuisse. Leges porro de mixtis matrimoniis in Borussia latas defendit, utpote quae perfectam aequalitatem inter Confessiones Christianas pro scopo habeant. [558])

139. Quae J. Ellendorf contra auctorem famosi libri rubri protulit, enervare studuit Binterim, *zur Beleuchtung*

557) *Theologisches Literaturblatt. Darmstadt. 1837. No. 39.—41.* — Rheinwald, *allgemeines Repertorium der theol. Literatur. XXI. B. Berlin. 1838. p. 116.* — *Historisch-politische Blätter für das kath. Deutschland. I. B. München. 1838. p. 281.* — *Allgemeine Literatur-Zeitung. Halle. 1840. Erg. Bl. No. 101—105.*

558) Recensio: *Theol. Literaturblatt. 1837. p. 1157.*

der Schrift: die katholische Kirche Preussens. Von einem Freunde der Wahrheit und des Rechts. Mainz. 1837. [559])

140. *Die neuesten Aktenstücke über die gemischten Ehen. Aus den kathol. Zeitschriften besonders abgedruckt. Augsburg. 1835.* In opere isto proprie quidem, ut titulus praesefert, monumenta solum recentissima in merito mixtorum matr. continentur: at in *Appendice* plura notatu perquam digna occurrunt. Nimirum a) *Considerationes* sic dictae super Brevi Pii VIII. et Instructione Gregorii XVI. (ad Epp. Bavariae) [560]) pandunt molimina Regiminis Borussici adversus Religionem Catholicam directa; dein ostendunt, nisum hunc anticatholicum in Regno etiam Bavariae sese insinuasse; demum demonstrant Pium VIII. et Gregorium XVI. in capite de mixtis matr. a doctrina Antecessorum suorum nequaquam recessisse. b) *Verbum ultimum* (Letztes Wort) praeclare proponit fundamenta, e quibus Ecclesia matr. mixta non prohibere, et assistentiam activam parochi non vetare non potest. c) *Epistola Parochi ad Decanum* admirationem exprimit super eo: quod Episcopi Bavariae obtento Brevi Apostolico, novas quaestiones sedi Apostolicae posuerint ad mitiorem decisionem obtinendam: tum ad quaestionem: an Brevi vel instructioni se parochi conformare debeant? respondet: Brevi obsequium praestandum esse, quod Instructio tantum in sequelam novae quaestionis supervenerit, cui occasionem praebuit ardua Cleri Bavariae situatio per Episcopos descripta, quae tamen realis non fuerit. [561])

141. *Die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen. Eine geschichtlich-rechtliche Erörterung. Katholik 63. B. 1837. p. 217—278. — 64. B. p. 1—65. 113—175. 225—263.* statum civilis legislationis quoad matrimonia mix-

559) Auctor operis huius *Binterim* fuisse tantum conilcitur, sed certo non constat.

560) Considerationes has vulgarunt primum Ephemerides Belgicae: *Journal historique et literaire de Liege. XI. livraison. 1. Mars. 1835.* dein: K e r z, *kathol. Literaturzeitung. 1835.*

561) Epistola haec parochi ad Decanum continetur etiam in Ephemeridibus Helveticis: *Schweizerische Kirchenzeitung. 1836. No. 15.*

ta historice proponit, et simul in examen revocat principia sic dicta constitutionalia, quorum ductu hodierni praetendunt, ad iura Status pertinere, ut cives in libertate conscientiae quodammodo tueatur ac *tutelam* illorum exerceat (bevormunden), ac proinde praescribat, qualiter ipsi, dum ad rectum usum libertatis religiosae per Reformationem Sec. XVI. iisdem adsertae ex se faciendum maturuerint, eiusdem libertatis usum facere debeant. Coactivas Status hoc in puncto leges damnat, nec aliter collisiones vitari posse censet, quam si determinatio religionariae prolium educationis parentibus relinquatur.

142. *Über die Aussegnung der Wöchnerinnen, namentlich derjenigen, die in gemischten Ehen leben. Katholik. 66. B. 1837. p. 148—154.* benedictionem puerperis in mixto connubio constitutis tunc tantum impendi posse statuit, si conditionibus, quas Ecclesia circa haec connubia praescribit, satisfecerint.

143. Binterim, *dissertatio de non introducenda solenni benedictione in templum puerpera catholica, cuius proles non est a catholico parocho baptisata. Lovanii. 1837.* Occasionem de hac quaestione ex professo scribendi sumsit e controversia in Archidioecesi Coloniensi ob denegatam mulieri catholicae, quae liberos suos confessioni evangelicae sponte addixit, benedictionem enata. Sententia eius est: puerperam catholicam, quae spretis Ecclesiae legibus, propriique parochi ministerium renuendo, prolem suam per ministrum evangelicum baptisari fecit, hoc ipso amisisse ius petendae a parocho catholico benedictionis: neque prius hanc impendi posse, quam mulier de peccato suo doleat. Ad quaestionem autem: an Episcopo benedictionem sine discrimine iubente parochus talem impertiri possit? reponit: parochi fore, rationes suas dubitandi maxima, qua par est, observantia Episcopo repraesentare et mandati illius revocationem petere. Ceterum auctor non negat: denegatione benedictionis *censuram* infligi: verum addit: censuram hanc non a parocho primum infligi, sed eandem iam dudum a Conciliis latam in executionem sumi; nec diffitetur, denegationem benedictionis efficax medium ad deterrendum ab

ineundis mixtis nuptiis esse posse: frustraque a nonnullis opponi, disciplinae rigorem nostra aetate magis nocere quam prodesse; nam disciplinam adhiberi non ut avertat sed ut convertat mentes, et si qua mulier inde revera causam sumat deserendi catholicam fidem, eius apostasiam non in ruinam, sed exemplum aliorum cedere, cum palam doceat, spiritum malum iam venisse in cor mulieris illius. [562])

B) Protestantium.

144. Christ. Märklin, *über die Ehe, eine dogmatisch-kirchenrechtliche Abhandlung. Stuttgart. 1834.* inter Catholicos et Protestantes non religionis sed solum confessionis diversitatem intercedere adstruens, matr. mixta per Statum Publicum protegenda esse censet.

145. *Über die neueste päpstliche Verfügung in Betreff der gemischten Ehen im Kön. Baiern. Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1835. No. 37. 38. 75—77.* inter Breve et Instructionem Gregorii XVI. ad Episcopos Bavariae magnam diversitatem observari ait, et summae inconsequentiae postulat Sedem Apostolicam, quod nuptias mixtas constanter prohibeat, et tamen iisdem parochum catholicum assistere admittat.

146. *Die gemischten Ehen im Kön. Baiern. Allgemeine Kirchenzeitung. 1835. No. 126.* renitentiam Cleri in Bavaria, et cumprimis in Dioecesi Wirceburgensi perstringit: quod non attentis legibus civilibus mixtis matrimoniis benedictionem impertiri renuat.

147. Möhnert, *Schutzschrift für die Nachtrauung gemischter Ehen in der kathol. Kirche. Jahrbücher der Geschichte und Staatskunst. Leipzig. 1836.* pro defensione ritus ibidem antea usitati, ut scilicet mixtum coniugium per Ministrum Protestanticum copulatum in Ecclesia Catholica quoque benedicatur, scripsit, inde argumentans: quod e sensu Ecclesiae Cath. vis Sacramenti Matr. non in benedi-

---

562) Recensio: Benkert, *allgemeiner Religions- und Kirchenfreund. 1837. No. 104.*

ctione consistat, ac proin, si haec iteretur, contra dogma non peccetur. [563])

148. Paulus, *kann ein evangelisch-protestantischer Geistlicher ohne Bedenken sich mit einer Katholikinn verehelichen? 1836.* Ad quaestionem hanc famosus Doctor Heidelbergensis reposuit: matrimonium tale tunc solum indulgeri posse, si utraque pars contrahentium praevie de eo conveniat, ut circa fundamentalia Religionis Christianae capita nulla inter eos diversitas intercedat, et proles omnes in Confessione protestantica educentur. [564])

EPOCHA VIII.

A die 20. Nov. 1837. seu captivitate Archiepiscopi Coloniensis usque exitum anni 1841.

I. Eventus annorum 1837. et 1838.

1. In Borussia. a) Provinciis Occidentalibus.

§. 163.

Capitulum Coloniense in sensu inviationis a Ministerio Regio acceptae Archidioeceseos administrationem suscipit et Vicarium Capitularem eligit, de totaque re gesta Sedem Apostolicam informat.

Postquam Archiepiscopus Coloniensis iussu Regio die 20. Novembris 1837. omni iurisdictionis usu prohibitus, et extra fines Archidioeceseos abductus; Capitulum Coloniense autem Regio pariter nomine ad suscipiendam dioecesa-

563) cf. §. 125.

564) Disquisitio haec Doctoris Paulus continetur in Ephemeridibus Darmstadtensibus: *Allgemeine Kirchenzeitung. 1838. No. 107. p. 860.*

nam gubernationem, et agenda ea, quae Canones praescribunt, provocatum fuisset [565]): Capitulum in Sessione, quam die 21. Novembris celebravit, provocationi Regiae deferendo, ductu *Cap. III. de suppl. neglig. Prael. in VI.* quasi Sedes Archipraesulea vacaret, administrationem Archidioeceseos in spiritualibus et temporalibus mox suscepit, hocque ipsum per literas Circulares, in quibus, „Archiepiscopum ex *gravissimis causis* longius a dioecesi abductum, et ita, quominus Ecclesiae administrationem procuret, impeditum fuisse" scribit, universo Clero significavit [566]). Sequenti porro die, nimirum 22. Novembris de tota re gesta ad Sedem Apostolicam relationem praestitit: in qua contra Archipraesulem suum accusando consurgit, quasi eius agendi rationem probare non potuerit, inprimis in eo, quod penes provectam iam aetatem suam et minus plenam dioeceseos cognitionem, peritorum virorum consilia spreverit, presbyteros minus canonice tractaverit, eosque ad subscribendas theses non in omnibus doctrinae Ecclesiae consonas coegerit, pluraque ab Antecessore suo ad utilitatem et gloriam Ecclesiae bene instituta turbaverit, atque sic eius ratio gubernandi non studium aedificandi, sed destruendi speciem praesetulerit [567]). Die tandem 27. Novembris ad electionem *Vicarii Capitularis* idem Capitulum processit, talemque in persona Joannis Hüsgen unanimi voto elegit: cuiusmodi electione per Regium quoque Placetum confirmata, electionem ope literarum Circularium die 2. Decembris ad notitiam Cleri dioecesani, literis vero dd. 19. Decembris Sedis Apostolicae pertulit, electus autem Vicarius in distincto supplici libello die 5. Dec. solitas facultates a Sede Apostolica sibi delegari humiliter petiit. [568])

565) cf. §. 148.

566) Mon. 220. pag. 318.

567) Mon. 221^{a}. pag. 319.

568) Mon. 221^{b}. pag. 321. — Acta quaevis huc spectantia continentur fuse deducta in libello: *Das Metropolitan-Domkapitel zu Köln in seinem Rechte, oder Verhalten desselben und seine Verhandlungen mit dem Apostolischen Stuhle in der Erzbischöflichen Sache. Köln, 1838. pag. 93. sqq.*

§. 164.

Regimen Borussicum, edito officioso Scripto, multis documentis instructo, suam agendi rationem iustificare conatur.

Regimen Borussicum, ut suam in Archiepiscopo Coloniensi usu iurisdictionis prohibito, et longius ex Dioecesi abducto proceduram, quam in universo orbe Catholico magnam attentionem excitaturam bene perspexit, iustam ac legitimam fuisse persuaderet: dd. 25. Novembris 1837. opus, manu, ut passim censetur, ipsius *Bunsenii*, Regii ad Aulam Romanam Ministri, concinnatum, in lucem emitti fecit sub titulo: *Darlegung des Verfahrens der Preussischen Regierung gegen den Erzbischof von Köln. Vom 25. Novemb. 1837. Berlin.* In opere isto eam tenet Regimen Borussicum normam, ut primo multis argumentis celebret peculiares favores Religioni ac Ecclesiae Catholicae ex parte Regiminis praetensive exhibitos; tum divisa in plures temporis sectiones historia mixtorum matrimoniorum ostendere studeat, qualiter Regimen Borussicum in ferendis legibus circa coniugia mixta nonnisi principiis de aequalitate perfecta inter Confessiones Christianas recentiore aevo stabilitis, ac in aliis etiam Regnis dominio Principum Catholicorum subiectis in usum deductis innixum fuerit, atque cumprimis ad praxim mitiorem cum alibi tum in Borussia in gremio ipsius Ecclesiae Catholicae ab antiquo praetensive observatam respexerit; demum persuadere conetur, inevitabilem Gubernio Regio necessitatem impositam fuisse, Archiepiscopum Coloniensem, contra fundamentales Regni leges plura committentem, usu iurisdictionis interdicendi, ut sic conspicuo doceatur exemplo, quantopere intersit Principum, iura sua maiestatica circa sacra adversus renisus Ecclesiae ministrorum tueri, et inobedientiam erga leges civiles testatam vindicare. Nec dubitavit Regimen Borussicum, librum hunc officiosum, rem, de qua agebatur, plene, ac, ut praetendebatur, genuine exponentem cum Principibus Europaeis, penes quos est reipublicae summa, communicare.

§. 165.

Capituli proceduram non omnes de Clero Curato probabant.

Quae Capitulum Coloniense post abductum ex Dioecesi Archiepiscopum circa administrationem dioeceseos constituit, multorum quidem suffragiis probabantur: at non erat ea sententia omnium. Nam nonnulli e Clero Curato literis Circularibus per Capitulum mox post scenam illam tragicam ad Dioecesim dimissis non parum offensi sunt, inprimis ideo, quod Capitulum *gravissimis ex causis* Archiepiscopum e Sede sua exturbatum fuisse nunciaverit. Dederunt catenus Parochi cuiusdam Decanatus ad Capitulum literas, quibus intimo se moerore affectos significabant, quod „causae abductionis optimi Praesulis Capitulo gravissimae visae fuerint; idque eo magis, quod hunc boni pastoris partes quemadmodum in aliis, ita in causa quoque Hermesiana, et matrimoniorum mixtorum fideliter explevisse, intime sint persuasi: quare etiam rogabant Capitulum, ut causas, si quas sciat nefors occultas abducti ex dioecesi Archiepiscopi, communicet" [569]. Verum ad has literas a Capitulo nihil responsum fuisse legimus.

§. 166.

Summus Pontifex Gregorius XVI. contra Regiminis Borussici proceduram celeberrima Allocutione dd. 10. Decembris 1837. protestatur, et praxim mitiorem circa matr. mixta in Borussia invectam damnat.

Iis, quae cum Archiepiscopo Coloniensi gesta sunt, Romam certis nunciis perlatis, Summus Pontifex Gregorius XVI. qui, uti superiore Epocha narravimus, ad insinuationem Legati Borussici de imminente Archiepiscopo Coloniensi tristi scena, per suum Cardinalem Status Secretarium mox adversus quamvis violentam cum Archipraesule

569) Mon. 222. pag. 322. — cf. *Affaires de Cologne, suivies de vingt — sept Pièces Justificatives. Louvain. 1838. pag. 108. s.*

agendi rationem praevie protestari haud intermisit [570]), in Consistorio secreto die 10. Decembris 1837. celebrem illam ad Cardinales servavit **Allocutionem**, quae prout ex se summi erat momenti, ita laetissima etiam pro Ecclesia Catholica cum alibi, tum in ipsa Borussia peperit consectaria. In Allocutione ista Summus Pontifex primum recenset seriem rei gestae inde a publicato per Borussiam Brevi *Pii VIII.* quoad matr. mixta, ostenditque qualiter Gubernium Borussicum artificioso conatu Episcopos eo induxerit, ut indulgentissimam licet Pii VIII. Pontificis literam eo sensu adhiberent, qui inconcussa Ecclesiae Catholicae principia pervertit, et Sedis Apostolicae menti penitus repugnat, qualiter porro idem Gubernium ad expostulationes per Sedem Apostolicam factas constanter id nonnisi reposuerit, nulli illas inniti fundamento; dein ad ea, quae cum Archiepiscopo Droste gesta sunt, descendendo, Summus Pontifex Sacrum Collegium ad insinceram Gubernii Borussici secum agendi rationem attentum reddit, per quam identidem genuinum rei situm coram se celaverit, et primum initio mensis Decembris, postquam iam Archiepiscopus Sede sua per vim expulsus erat, tragicam hanc scenam Archiepiscopo instare significaverit; demum constantiam Archiepiscopi in causa Religionis, ab ipso tanto cum sui discrimine invicte propugnata, meritis celebrat laudibus, et pro exigentia Apostolici sui ministerii in hoc Gubernii Civilis facto ecclesiasticam immunitatem violatam, Episcopalem dignitatem despectam, sacram iurisdictionem usurpatam, Catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedis iura pessumdata fuisse, Apostolica voce sua reclamat, atque in Regno Borussiae perperam inductam quamlibet praxim circa mixta connubia contra genuinum sensum Constitutionis Pii VIII. reprobat. [571])

Altera primum post Allocutionem die negotiorum Borussicorum apud Aulam Romanam gestor cum Sede Apostolica nomine sui Monarchae communicavit ea, quae cum Archiepiscopo Coloniensi evenere; ac paulo post, quippe 20.

570) cf. §. 146.

571) Mon. 223. pag. 323.

Dec. officiosum quoque librum Regiminis 25. Novembris in lucem publicam editum eidem Sedi Apostolicae transmisit; Regius autem Minister *Bunsen*, Berolino redux, ope Notae dd. 17. Dec. Ancona ad Cardinalem Status Secretarium dimissae quaesivit: an Allocutio Pontificia die 10. Decembris habita eo sensu sumenda sit, quod Summus Pontifex negotium Archiepiscopi Coloniensis examini subiiciendum decernere velit, aut vero ipsa Allocutio iam decisivam Papae sententiam super eventu hocce in se contineat? cum in posteriore casu Rex Borussiae manifestum actum oppositionis in Allocutione Pontificia cernere debeat. Erga Notam Ministri Bunsen Cardinalis Status Secretarius nomine Suae Sanctitatis dd. 25. Dec. respondit: Summum Pontificem ex rationibus gravissimis Apostolici sui muneris tacere haud potuisse, dum in persona Archiepiscopi Coloniensis iura Ecclesiae et dignitatem Episcopalem usque adeo scandaloso modo compromitti viderat; Allocutionem porro non aliud esse, quam publicam Sanctissimi Patris protestationem adversus publicum Gubernii Civilis factum; Summum Pontificem denique poscere, ut ante omnia Archiepiscopus Sedi suae restituatur. [572])

§. 167.

Breve Summi Pontificis ad Capitulum Coloniense dd. 26. Dec. 1837.

Redditis die 20. Decembr. 1837. Summo Pontifici literis a Capitulo Coloniensi dd. 22. Nov. exaratis, Idem per Breve de 26. Dec. Capitulo respondit: in eoque admirationem suam exprimit, quod Capitulares, qui sancto necessitudinis vinculo Archipraesuli suo conjuncti, vi muneris sui adjutricem operam ei afferre debuissent, in accusatores et inimicos eiusdem recte eo tempore sint conversi, quo iniusta ei obtigit calamitas; tum in laudes Archiepiscopi publica omnium existimatione celebratas excurrit, et candide profitetur: rationem agendi, quam Capitulum tenuit, sibi pror-

572) Vid. *Urkundliche Darstellung der Thatsachen etc.* (not. 497.) *pag. 213—229.*

sus inexspectatam et molestam accidisse, nec reticet, sibi probe notas esse causas, ob quas aliquos de Clero Archiepiscopus offenderit, hisve causis sinistra, quae de ipso Capitulum scripserit, attribuit. [573])

§. 168.

Consectaria Allocutionis Pontificiae in Borussia: signanter recessus Episcoporum a famosa Conventione anni 1834. et foedus Virginum Coloniensium de non ineundo cum Protestantibus coniugio.

Allocutio Summi Pontificis de 10. Dec. 1837. laetos pro Ecclesia Catholica in Borussia peperit fructus. Quos inter praecipuo loco nominamus *recessum* Episcoporum Provinciae Rhenanae a famosa illa *Conventione Berolinensi*, huicque adnexa *Instructione secreta*, quam Archiepiscopus Coloniensis *Spiegel* cum Gubernio Civili quoad sensum Brevis Pii VIII. pepigit et concinnavit, atque per Episcopos Suffraganeos subscribi procuravit [574]). Episcopum *Trevirensem* iam anno 1836. dd. 10. Nov. a Conventione ista recessisse in superiori Periodo retulimus [575]). Episcopi autem *Monasteriensis* ac *Paderbornensis*, simul ac Allocutio Pontificia diei 10. Dec. 1837. Conventionem antelatam disertis verbis reprobans ad eorum notitiam pervenit, datis ad Regium Cultus Ministrum dd. 5. Januar. et 10. Januar. 1838. literis, se Conventioni Berolinensi ultro insistere haud posse, sed stricte secundum Breve Pii VIII. processuros esse, declararunt [576]). — Altero loco inter laetos Allocutionis Pontificiae fructus referimus singulare foedus, quod virgines in urbe *Coloniensi* catholicae inter se pepigerunt: non ineundi cum Protestantibus connubium, nisi hi Religionem Catholicam amplectantur. Simile foedus in aliis etiam Provinciae

---

573) Mon. 224. pag. 325.

574) cf. §. 134. ss.

575) cf. §. 143.

576) Mon. 225. et 226. pag. 327.

Rhenanae Civitatibus, utpote *Aquisgrani*, *Bonnae*, coaluisse, publicae Ephemerides narrarunt. [577])

§. 169.

Declaratio officiosa Gubernii Borussici dd. 4. Januar. 1838. ad Allocutionem Pontificiam.

Allocutione Pontificia, tam agendi rationem Regiminis Borussici minus sinceram retegente, quam famosam Conventionem Berolinensem diserte reiiciente, nimiopere se premi sentiens Gubernium, in forma officiosarum literarum Regii Cultus Ministri ad Supremum Provinciae Rheni Praesidem 4. Januar. 1838. exaratarum responsum et respective declarationem ad Allocutionem Pontificiam dandum esse censuit. In literis his Minister Regius a) miratur, Aulam Romanam, non exspectata officiosa Gubernii Regii, et Capituli Coloniensis relatione, ex meris duntaxat notitiis via privata et intuta acceptis, ad ferendam super casu Archiepiscopi Coloniensis sententiam se determinavisse; b) Gubernio perperam vitio verti ait, quasi Aulae Romanae ea quae Archiepiscopo tristia imminebant, praevie et clare non insinuaverit: cum reapse Gubernium de toto eventu adiunctisve illum antecedentibus de tempore in tempus medio Regii ad Aulam illam Ministri et negotiorum gestoris eandem Aulam informare haud intermiserit; c) queritur, Papam tantum de matrimoniis mixtis in Allocutione loqui, ceteras vero aeque graves causas, ob quas Archiepiscopus abductus sit, praeterire; d) praxim per Conventionem anni 1834. invectam frustra reprobari asserit, cum ea non nova sed iam antea usitata fuerit, ac quodammodo per tenores ipsius Brevis Pii VIII. Episcopi ad mitius interpretanda ea provocarentur, quae spectatis rerum circumstantiis nonnihil duriuscula videri poterant; e) denique affirmat, sententiam Papae de facto Gubernii prolatam huic nihil praeiudicare posse, imo Gubernium porro quoque iure suo e conceptu Maiestatis Civilis

---

577) *Sion. Augsburg. 1838. p. 40.* De foedere isto catholicarum virginum scripsit Dr. Binterim peculiarem libellum, de quo in *Literatura.*

resultante usurum, nec unquam admissurum esse declarat, ut Jurisdictio Ecclesiastica limites activitatis suae praetergrediatur, et talem ineat agendi modum, qui cum legibus Regni fundamentalibus nequaquam est compatibilis. [578])

Ad literas Ministri Cultus non possumus non animadvertere: a) Ministrum sibi haud satis constare, dum initio epistolae ait, Summum Pontificem ex privatis duntaxat iisque incertis nunciis ea accepisse, de quibus in Allocutione sententiam dixit; in contextu vero ultro profitetur, Sedem Romanam de tempore in tempus plenam a Gubernio super rebus cum Archiepiscopo Coloniensi gestis informationem obtinuisse. b) Frustra a Ministro id Sedi Romanae vitio verti, quod unam solum causam mixtarum nuptiarum commemoret: nam ipse Minister in suis ad Archiepiscopum Droste literis, quibus eum ad tragicam illi imminentem scenam attentum reddit, unice mixta matrimonia in specie memorat, dicitque, Archiepiscopum aut Instructioni anni 1834. deferre, aut munus suum resignare debere [579]). Optimo igitur jure Sactissimus Pater de una mixtorum matr. causa in Allocutione loquitur, quia reapse haec una tantam Archipraesuli fortissimo conscivit calamitatem. [580])

§. 170.

Episcopi Provinciae Rhenanae ad observandam Instructionem Berolinensem non obstante diserta reprobatione Pontificia per Ministerium R. provocantur.

Episcopis Provinciae Rhenanae, quos in sequelam Allocutionis Pontificiae a Conventione et Instructione Berolinensi anni 1834. recessisse, hocque ipsum Regio Ministerio significasse superius diximus, rescripsit Regio nomine Minister Cultus dd. 19. Febr. 1838. „recessum Episcoporum a memorata Conventione per Gubernium Regium acceptari

578) *Sion. 1838. No. XV. XVI.*

579) cf. §. 145.

580) Uberior crisis de declaratione officiosa Regiminis continetur in: *Sion. Augsburg. 1838. Beil. zu N. 29.* et: *Schweizerische. Kirchenzeitung Luzern. 1838. p. 88.*

non posse, quod leges et institutiones Status per solam orationem ac Allocutionem Pontificiam, nullo ceteroquin Placeto Regiminis provisam, vi obligandi exui nequeant, et pertractatio mixtorum matrimoniorum in Germania iurisdictioni Papali neutiquam sit reservata, sed Episcopis relicta: unde hos porro quoque ad servandam antedictam Instructionem obstringi, eo magis, quod per illam nulla vis conscientiis Praesulum inferatur, siquidem Clerus ad benedictionem mixtorum matr. indiscriminatim impertiendam decreto Regio anni 1825. nequaquam cogatur, sed ab exigenda duntaxat formali promissione super catholica omnium prolium educatione inhibeatur, ac in reliquo parochis integrum sit, opportuna modalitate super hoc puncto sciscitari, imo et benedictionem intermittere, si eam tuta conscientia impertiri non possint; sed impetrata praevie decisione Episcopi, cuius indicio standum sit" [581]). Mirum sane videri debet, a Ministro solennibus verbis confirmari, nullam per legem civilem de matr. mixtis conscientiis Cleri vim inferri: et tamen ab eodem Ministro desiderari, ut Instructio, quam cum conscientia sua se componere haud posse Episcopi palam declararunt, ad amussim observetur. [582])

§. 171.

Rescriptum Ministri Regii de servanda Instructione Berolinensi Vicarius Coloniensis Clero Curato annunciat: sed id non omnium de Clero fert calculum.

Rescriptum Ministri Cultus, de quo superiore §. licet pluribus ex obtutibus iustae crisi ac reflexioni obnoxium [583]),

581) Mon. 227. pag. 828.

582) Videri possunt: *Schweizerische Kirchenzeitung. 1838. p. 249.* et: Rintel, *Clemens August Erzb. v. Köln gegen die Anklagen der k. Preuss. Regierung vertheidigt. Regensburg. 1838. p. 73. not. 63.*

583) In pagellis ecclesiasticis: *Sion 1838. p. 304.* sequens legitur censura de Rescripto Ministri Cultus: „Wir überlassen das Urtheil über diese Verfügung — unsern Lesern, und erlauben uns eine einzige Bemerkung. Die Bischöfe entscheiden über die Beschwerde wegen verweigerter Einsegnung, und es hat bei ihren Aussprüchen

Vicarius Coloniensis Joannes Hüsgen ope Circularis dd. 9. Mart. 1838. ad notitiam Cleri Curati perferre, huncque eo inviare non dubitavit: ut in sensu duntaxat Rescripti Ministerialis via licita sciscitetur, an matrimonii mixti benedictioni nullum ex parte principiorum catholicorum obstet impedimentum: si autem hanc suscipi non posse crederet, partem catholicam ad Ordinariatum pro obtinenda decisione releget. [584]) Circulare Vicarii non tulit totius Cleri Curati adprobationem: nam Curati Decanatus *Crefeldensis* in sua Congregatione mense Maio a. 1838. asservata idem in discussionem sumentes, et valde generalibus illius terminis offensi, suam erga regulas per Ecclesiae Universae Caput circa coniugia mixta propositas constantem adhaesionem insigniter declararunt, atque ad praecavendam in praxi difformitatem sequentia unanimi suffragio constituerunt: a) benedictionem coniugii rem esse mere religiosam, eius intuitu itaque normam per Breve Pii VIII. scriptam tenendam fore. b) Fideles oblata qualibet opportunitate ab ineundis mixtis nuptiis dehortandos, et has, quantum licet, impediendas, conditionesve Ecclesiae fideliter populo explanandas esse. c) Matrimonio mixto impediri nequeunte, partes, dum se coram parocho sistunt, circa educationem religionariam futurarum prolium interrogari, et si e responsis per eas appareret, conditionibus Ecclesiae haud satisfieri, promulgationes quidem suscipi, benedictionem tamen et usum aliorum Sacramentorum parti catholicae velut indispositae denegari debere. d) Puerperas catholicas, quae ex inexcusabili levitate ac indifferentia erga Religionem Catholicam prolem suam per ministrum evangelicum baptisari siverunt, ritu Ecclesiae

sein unabänderliches Bewenden. Wenn nun aber die Bischöfe etwa durch die alten oder durch neue geheime Conventionen sich bestimmen lassen, den die Einsegnung verweigernden Priestern sie in den meisten Fällen aus bescheidener Klugheit zu befehlen, wie dann? Dann ist das alte Verhältniss des Gewissenszwanges wieder da, zwar nicht unmittelbar durch den Staat, aber doch durch den Bischof; und die Übertretung der Vorschriften der Kirche würde dann nur durch den Bischof genehmiget!"

584) Mon. 228. pag. 330.

consueto introduci ac benedici non posse. [585]) Ad decisa haec Decanatus Crefeldensis nullum a Vicariatu responsum datum fuisse legimus. [586])

§. 172.

Scriptum officiosum ex parte sedis Apostolicae in causa Archiepiscopi Coloniensis, illi Gubernii Borussici oppositum.

Ad ea revertimur, quae Romae acta sunt. Haec inter principe loco nominamus summi momenti Scriptum ex parte *Secretariatus Status Sedis Apostolicae* in causa Archiepiscopi Coloniensis dd. 4. Martii 1838. luci publicae commissum sub titulo: Esposizione di fatto documentata su quanto ha preceduto e seguito la deportazione di Monsignor Droste, Arcivescovo di Colonia. Roma. 1838. Stamperia della segretaria di stato. [587]) Scripto nimirum officioso Gubernii Borussici dd. 25. Nov. 1837. luci publicae transmisso [588]), totius in negotio mixtorum matrimoniorum et Archiepiscopi Coloniensis procedurae historiam praetensive in se continente, et cum Aulis Principum per ipsum Regimen Borussicum communicato: Sedes Apostolica, quae ad genuinam totius huius meriti delineationem et pertractationis cum mixtorum matrimoniorum in genere, tum sub Archiepiscopo Coloniensi Droste in specie descriptionem spectant, parte quoque ex sua eo magis luci publicae tradi, et cum Ministris Aularum exterarum communicari necessarium

585) Mon. 229. pag. 331.

586) Videri possunt: *Katholische Kirchenzeitung. Frankfurt. 1838. pag. 654. — Kirchenhist. Bemerker zum allg. Religionsfreund Würzburg. 1838. p. 670*

587) Scriptum hoc in linguam germanicam mox traductum prodiit sub titulo: *Urkundliche Darstellung der Thatsachen, welche der gewaltsamen Wegführung des Fr v. Droste Erzb. v. Köln. vorausgegangen und gefolgt sind. Nach dem in der Druckerei des Stats-Secretariats zu Rom am 4. März 1838. erschienenen Originale wörtlich übersetzt. Regensburg. 1838.*

588) cf. §. 164.

duxit, quod in antelato Gubernii scripto plura unilateraliter solummodo, et cum nonnullorum documentorum reticentia in vulgus sparsa essent. In Scripto igitur Romano totius rei in Borussia gestae series inde a publicato Edicto Regio de 17. Augusti 1825. usque initium anni 1838. cum omnibus eo pertinentibus Actis, et secretis etiam inter Aulam Romanam et Gubernium Borussicum correspondentiis lectoris conspectui sistitur. Quod Scriptum quisquis cum illo a Gubernio Borussico edito contulerit: et multa in posteriori desiderari studioque quasi exmissa esse, quae tamen ad genuine cognoscendam causam scitu necessaria sunt, intelliget, et minus sinceram agendi rationem cum Aula Romana ex parte Gubernii Regii observatam deprehendet.

§. 173.

Relatio Capituli Coloniensis ad Sedem Romanam. Duplex litera Capituli ad Summum Pontificem dd. 20. Febr. et 29. Mart. 1838.

Magni momenti est in historia casus Archiepiscopi Coloniensis, uberius considerare relationem illam, quae inter Sedem Apostolicam, et Capitulum Coloniense intercessit. Capitulum nimirum praeter Breve Summi Pontificis de 26. Dec. 1837. supra laudatum [589]) satis diu nullos quoad administrationem dioeceseos per Capitulum susceptam, et in primis circa electum Capitularem Vicarium ordines a Sede Apostolica obtinuit: Breve autem laudatum, in quo Capitulum ob accusationem adversus Archipraesulem suum adornatam a Sanctissimo Patre paterne corripitur, Capitulo vehementer displicuit. Quare nova litera sub 20. Febr. 1838. exarata quaepiam in sui defensionem proferre constituit: signanter profitendo, ab se ea, quae de Archiepiscopi gubernatione dioecesana retulit, nec inimico animo, nec accusandi studio, sed unice veritatis et officii erga S. Sedem sensu perscripta fuisse; se porro de iis, quae Archiepiscopo tragica imminebant, praevie nil prorsus scivisse, proin nec consilio Praelato suo adesse potuisse: necessarium au-

589) cf. §. 167.

tem duxisse, in relatione sua ad Sedem Apostolicam praestita, de administratione dioeceseos quaepiam proferre ad uberiorem eiusdem S. Sedis informationem deservitura. [590])

Literam hanc Capituli paulo post alia sequebatur epistola, ab eodem Capitulo ad Summum Pontificem missa: cui occasionem praebuit Rescriptum *Nunciaturae Bruxellensis* ad quemdam Parochum Dioecesis Coloniensis circa dispensationem quadragesimalem per Vicarium Hüsgen concessam dd. 12. Mart. 1838. hunc in sensum exaratum: „quod Joannes Hüsgen a Capitulo contra Canonum statuta in Administratorem Dioeceseos electus, nullaque auctoritate Apostolica adhuc fulcitus functiones exerceat, ac proinde Sua Sanctitas Summus Pontifex indultum quadragesimale a Joanne Hüsgen concessum pro nullo reputet, et indulgeat Ipsamet, ut fideles iisdem dispensationibus in quadragesima uti valeant, quas Archiepiscopus anno 1837. concesserat." Rescripto hoc se nimium feriri existimans Capitulum, dd. 29. Mart. 1838. novas rursus ad Summum Pontificem dedit literas, in iisque ea, quae inde a funesta calamitate Archiepiscopo illata quoad gubernationem Dioeceseos, nominatim vero electum Vicarium Capitularem susceperat, uberius fusiusque, productis in medium compluribus sanctionibus canonicis, legitimare, idque persuadere satagit, se nullo pravo studio, aut perverso consilio, sed unice dura necessitate compulsum id egisse, quod ipsi sacri canones pro simili casu agendum iubent; tum orat Summum Pontificem, ut quo ocyus sententiam suam in merito gubernii dioecesani per Capitulum suscepti aperiat. [591])

§. 174.

Breve Summi Pontificis ad Capitulum Coloniense, et ad Vicarium Hüsgen dd. 9. Maii 1838.

Venerunt tandem Roma diu exspectata Rescripta: nimirum Breve Summi Pontificis tam ad Capitulum Colonien-

590) Mon. 230. pag. 333.

591) Mon. 231. pag. 336. — Conferri potest scriptum officiosum Capituli Coloniensis *nota 568.* citatum, pag. 137—160.

se, quam ad Vicarium Joannem Hüsgen dd. 9. Maii 1838. In Brevi ad Capitulum directo Beatissimus Pater ante omnia significat: literas Capituli de 19. Dec. 1837. [592]) peractam Vicarii Capitularis electionem annunciantes, item illas, quas electus a Capitulo Vicarius Joannes Hüsgen dd. 5. Dec. 1837. circa quaspiam Facultates scripsit [593]), sibi nonnisi 7. Aprilis 1838. redditas fuisse [594]): hincque iam satis patere, Rescriptum Nunciaturae Bruxellensis de 12. Mart. 1838. circa quod Capitulum dd. 29. Mart. 1838. novas ad S. Sedem literas dederat, eo, quo conceptum erat, modo a Sede Apostolica proficisci minime potuisse. Nec dissimulat Sua Sanctitas, ea, quae in Rescripto Bruxellensi continentur, fere omnia praeter mentem suam fuisse significata: in primis autem nil circa susceptum a Capitulo regimen Dioecesis Coloniensis et electionem Vicarii Capitularis pronunciari a se demandatum esse, prout de hac quaestione se nec nunc quidquam pronunciare velle declarat, cum omnes eventus huius circumstantias sufficienter scrutari non possit. Profitetur porro: e respectu spiritualis fidelium commodi et validae administrationis sacrae iurisdictionis, sivisse se, ut ille Archidioecesim gubernet, qui Vicarii Generalis munus usque violentam Archiepiscopi relegationem gessit: se igitur nunc quoque sinere, Joannem Hüsgen tamquam Vicarium Archiepiscopi Coloniensis munere suo fungi, licet plura ad se nuncia perlata sint de ratione gubernandi minus recta per virum hunc observata. Ad confluentias tandem literarum duplicis ordinis a Capitulo dd. 20. Febr. et 29. Mart. scriptarum propius respondens, denuo paterne exponit, Capitulum per suam agendi rationem quodammodo consiliis et conatibus Civilis Gubernii connivere, et, dum in literis circularibus ad Clerum Curatum datis Archipraesulem gravissimis ex causis pastoralis iurisdictio-

---

592) cf. §. 163.

593) cf. §. 163.

594) Justam excitat admirationem: literas Capituli 19. Dec. 1837. signatas, et illas Vicarii de 5. Dec. 1837. per Legatum Borissicum primo 7. April. 1838. Summo Piutifici redditas fuisse!

nis usu prohibitum significavit, Gubernii factum aperte tueri voluisse videri: simul tamen ex iterata sincerae devotionis ac obsequii erga B. Petri Cathedram testificatione et erroris admissi confessione argumentum levaminis dolori suo accessisse Summus Pontifex significando, hortatur Capitulum, ut in causam Christi, eiusve Ecclesiae omni humana ratione posthabita pro viribus incumbant, et Catholicae unitatis centro firmiter adhaereant. [595])

In altero Brevi ad Vicarium Hüsgen uberius exponit Summus Pontifex ea, quae de minus recta administratione dioeceseos ad Sedem Apostolicam perlata sunt: signanter de amotis examinatoribus, quos Archiepiscopus Clericis ad curam animarum probandis deputavit; de restitutis magistris, qui ob suspectam doctrinam inde fuerant reiecti; de assumtis ad parochias viris hermesianis principiis addictis: super quibus itaque rationem reddendam Vicario iniungit, et simul praecipit: ut non solum omnimodam suam subiectionem iudicio Apostolico de Hermesii doctrina lato probet, verum etiam in mixtarum nuptiarum negotio a norma per Pium VIII. praescripta nullatenus discedat. [596])

In duplici hoc Brevi Apostolico contentam provisionem super administranda per Vicarium Hüsgen dioecesi idem ope literarum circularium de 30. Junii 1838. ad notitiam Cleri Curati pertulit. [597])

§. 175.

Episcopi Monasteriensis monitum ad Clerum curatum de stricte observando Brevi Pii VIII. in negotio mixtarum nuptiarum.

Vicarium Coloniensem Joannem Hüsgen, licet tam Allocutione, quam Brevi Summi Pontificis monitum, in negotio mixtarum nuptiarum praeter Circulares literas in sensu Edicti Ministerii Regii dd. 9. Mart. 1838. editas [598]), ni-

595) Mon. 232. pag. 340.
596) Mon. 233. pag. 343.
597) Mon. 234. pag. 345.
598) cf. §. 171.

hil amplius constituisse legimus. At Episcopus Monasteriensis ad strictas muneris sui Episcopalis partes merito pertinere censens, post reprobatam a Summo Pontifice famosam Conventionem anni 1834. Clerum suum Curatum ad exactam observantiam Brevis Pii VIII. de mixtis matrimoniis inviare, duplici litera Circulari de 25. et 29. Maii 1838. hoc ipsum praestitit, sequentia Parochis committendo: a) non esse quidem exigendam sponsionem a personis diversae religionis super nasciturae prolis educatione in Fide Catholica: ad officium tamen illorum pertinere, id curare, ut cautiones opportunae per Breve Apostolicum praescriptae matrimoniis mixtis praemittantur. b) Non praestitis cautionibus passivam assistentiam adhibendam esse. c) Quaevis Brevis Pontificii puncta, quae ad agenda, docenda, monenda referuntur, exacte observari, simul tamen omni cum prudentia et caritate procedi debere. d) Obligationes parochi concluso penes assistentiam passivam matrimonio respectu partis catholicae nequaquam exspirare, sed deinceps quoque perdurare, in eoque potissimum consistere, ut partem catholicam eo flectere conetur, quo super commisso reatu poeniteat, et ad Sacramenta Ecclesiae recipienda habilem et dispositam se efficiat. [599])

---

b) In Provinciis Borussiae Orientalibus.

α) in Archidioecesi Gnesnensi ac Posnaniensi.

§. 176.

Archiepiscopus Dunin duplici encyclica Constitutionem Benedicti XIV. clero in memoriam revocat, et matrimonia mixta haud aliter, quam praestitis cautionibus ab Ecclesia depostis ritu catholico benedici admittit.

Quae in Archidioecesi Gnesnensi ac Posnaniensi in merito mixtorum matrimoniorum, priore iam periodo coepta, praesentis epochae initio, et continuative evenerunt:

599) Mon. 235. et 236. pag. 346.

summi sunt momenti. Postquam nimirum Rex Borussiae erga Repraesentationem Archiepiscopi Martini Dunin dd. 26. Octobr. 1837. meritum mixtarum nuptiarum plene exhaurientem [600]), dd. 30. Dec. 1837. rescribendo nulli ex postulatis Archipraesulis detulisset, sed, Rescriptis Ministri sui conformiter, ad praxim mitiorem praetensive a longiori tempore in provincias Orientales inductam, et testimonio Ipsius Archiepiscopi, quum adhuc Vicarium Capitularem ageret, confirmatam provocavisset, talemque porro etiam in usu retineri iussisset, Praelatumque ab edenda quavis contraria dispositione Regia auctoritate inhibuisset: Archiepiscopus, nec a Ministro Regio, nec a Rege ipso optatam resolutionem abtinere se posse videns, tametsi paulo ante, videlicet dd. 10. Octobr, 1837. parochos suos ad patienter praestolandum favorabiliem, uti sperabat, passuum suorum successum adhortatus sit [601]), Allocutione tamen Visibilis Ecclesiae Capitis dd. 10. Dec. 1837. quamlibet praxim circa mixtas nuptias in Borussiae Regno illegitime inductam reprobante, praemonitus, minime iam cuntandum sibi existimavit, sed encyclicas literas duplicis ordinis ad universum suum Clerum dd. 30. Januar. et 27. Febr. 1838. in merito mixtorum matrimoniorum dimisit. In prioribus, originarie lingva polonica conceptis, a) occasionem earumdem ante omnia proponit ex multiplicibus quaestionibus, quas Clerus Curatus recentiori tempore circa nuptias mixtas formaverit; tum succinctam historiam texit passuum, quos unius anni integri decursu per plurimas literas partim ad Regium Cultus Ministrum, partim ad Regem ipsum directas in negotio tollendarum difformitatum, inter sanctiones canonicas et civiles quoad praeallatum mixtorum matrimoniorum meritum subversantium susceperit. b) Historice exponit ea, quae in Polonia, ac speciatim in ista Archidioecesi ad manutenendam Ecclesiae disciplinam circa mixtas nuptias velut semper illicitas et nonnisi sub certis cautionibus permissas inde ab antiquioribus temporibus per Synodalia et Episcopalia

600) cf. §. 151.
601) cf. §. 150.

decreta acta fuerunt. c) Statuit: constitutionem Benedicti XIV. ad Episcopos Poloniae a. 1748. editam adhucdum pleno in vigore persistere, animarumve curatores ex illa normam pro tractandis mixtis matrimoniis sumere debere, uno verbo leges, quasquas antiquior Ecclesia adversus matrimonia ista tulit, vim roburque hodie etiam retinere, nec ab illis sine turpi muneris pastoralis profanatione recedi posse: idque eo minus, quod leges illae recentissime per Breve Pii VIII. ad Episcopos Provinciarum Occidentalium clara in luce collocatae existant. d) Intimat: praxim in nonnullis locis in obversum SS. Canonum inductam, matrimonia mixta etiam absque cautione super catholica prolium utriusque sexus educatione, benedicendi, tamquam abusum ex ignorantia, aut oblivione legum enatum considerandum esse, qui doctrinae et disciplinae universalis Ecclesiae praeiudicare haud possit: praesertim nunc, dum apostolico ore Gregorii XVI. Papae quaevis praxis doctrinae Catholicae repugnans publice reprobata sit. Non dissimulat hic vigilantissimus Praesul, ab se, dum adhuc Vicarium Capitularem ageret, Attestatum super praxi praetensa mitiore erga provocationem Regiminis Civilis soncinnatum fuisse: ast ex Attestato hocce nullum praxi illi sive abusui robur accedere, imo errorem tunc commissum a se nunc retractari, apostolica humilitate confitetur. e) Praemissis conformiter adhortatur parochos, ut principia Ecclesiae semper prae oculis habendo, suam in negotio mixtarum nuptiarum agendi rationem illis conforment: unaque significat, firmum sibi fixumque esse, non obstante quacunque calamitate sibi nefors inferenda, doctrinam Ecclesiae ad exemplum Antecessorum suorum albo Sanctorum iam adscriptorum tueri. — In posterioribus vero encyclicis, lingva latina exaratis a) in memoriam revocat ea, quae Benedictus XIV. in praeallata Constitutione circa matrimonia mixta perpetuis temporibus servanda praecepit; item illa, quae recentissime Pius VIII. in Brevi a. 1830. ad Episcopos partis Regni Occidentalis disposuit: scilicet, nullum catholicum cum acatholica, aut vice versa nuptias mixtas inire volentem, ad benedictionem recipiendam admitti posse, nisi prius validam sponsionem de-

derint de universa sobole catholice educanda, et de parte catholica extra omne periculum perversionis ponenda, demum spes adsit partem acatholicam in sinum Matris Ecclesiae reducendi. b) Sacerdotes in contrarium agentes, qui nimirum contra mentem ac praeceptum Ecclesiae matrimonia mixta ritu catholico coniunxerint, aut iis quoquomodo assensum suum praebere praesumserint, ipso facto suspensionis ab ordine officio et beneficio poenam incurrere decernit, prout et illos, qui pro viribus non studuerint parochianis suis talia connubia velut illicita et ab Ecclesia severe vetita inculcare. [602])

Post dimissas ad Clerum Encyclicas, Archiepiscopus 10. Martii 1838. denuo ad Regem literas dedit, et non sine amplissima subiectionis ac obsequii in iis, quae civilis sunt ordinis, testificatione, eundem primo quidem datae solenniter fidei Regiae de Iuribus Ecclesiae Catholicae sartis tectisque servandis modeste admonuit, tum ingenue professus est; post palam annunciatum Sedis Apostolicae Oraculum nefas sibi esse inde ullatenus discedere, nisi turpi violatae ecclesiasticae unitatis crimine se maculare velit. [603])

§. 177.

Encyclica Archiepiscopi in tota Archidioecesi sed praeprimis a Capitulo Gnesnensi cum iubilo excepta.

Epistola encyclica Archiepiscopi Dunin in universa Archidioecesi summo cum iubilo a Clero excepta fuit: quod tam per literas, quam legationes Praelato de sancte custodito deposito fidei congratulantes palam testari idem Clerus satagebat, Praecipuam attentionem meretur legatio Capituli Gnesnensis, quod Archipraesuli, ob strenue propugnatam catholicam doctrinam ac disciplinam tragicam catastrophen subituro, ad casum tristis eventus media sustentandae vitae filiali pietate ac liberalitate praevie obtulit. Grata recoluit mente singularem hanc Capituli in se propen-

602) Mon. 237. et 238. pag. 349.
603) Mon. 239. pag. 364.

sionem Archiepiscopus, datis ad illud de 16. Mart. 1838. literis: quibus et pro oblatis vitae sustendae mediis gratias egit, et sinceram Capituli erga Ecclesiam Catholicam adhaesionem meritis celebravit laudibus, ex eo plurimum consolationis se adverso hoc tempore percepisse significans, quod Capitulum suum Capituli Coloniensis, Praelatum apud S. Sedem Apostolicam accusantis, scandalosum exemplum secutum non fuerit; in epilogo demum literarum suarum ad casum decernendae nefors captivitatis suae praevie eam mentem suam insinuat, ut omnes musici concentus et campanarum pulsus in signum luctus durante captivitate sua conticescant. [604])

§. 178.

Rex Archiepiscopum ob editas encyclicas ad clerum literas in Jus Vocari disponit: Archipraesulis insignis in tuenda cum sua tum rei catholicae libertate fortitudo ac constantia.

Quae Gubernium Regium in sequelam Encyclicarum literarum ab Archiepiscopo Dunin ad Clerum dimissarum, egit: multis ex capitibus probe notanda veniunt. Ante omnia opportunum iudicatum est Berolini, si ope *Regii Manifesti* Magni Principatus Posnaniensis incolis catholicis Regiae de tuenda ipsorum religionis ac conscientiae libertate voluntatis ederetur confirmatio: quod reipsa praestitum fuit ope Manifesti dd. 12. April. 1838. in quo Rex subditos suos catholicos Posnanienses alloquens, eosdem securos reddit de conservanda Religione Catholica, iam a. 1815. solenniter manuteneri promissa. Sed quis crederet, eadem die, qua Rex voluntatem suam Religioni Catholicae propitiam adeo conspicua ratione Posnaniensibus confirmavit, eundem Regem ope Rescripti ad Ministros et supremum Provinciae Posnaniensis Praesidem editi adversus Archiepiscopum tamquam talem, qui in obversum positivi mandati Regii epistolam encyclicam ad Clerum dimiserit, in eaque contra praxim circa mixtas nuptias a longo tempore usitatam legibusque

604) Mon. 240. pag. 366.

civilibus ex asse conformem consurrexerit, datamque occasione inaugurationis suae Regi solennem fidelitatis ac subiectionis professionem violaverit, graviter expostulavisse, illumve sine mora ad onus responsionis in omni iuris forma attrahi iussisse? Haec sane, quae Rex adversus Archiepiscopum decrevit cum solenni eiusdem sponsione super manutenenda Catholicorum conscientiae ac religionis libertate conciliare non valemus. [605])

Supremus Provinciae Posnaniensis Praeses a Flottwell, accepto Regio Mandato, ad Archiepiscopum se contulit, eumque ad retractandam encyclicam suam literam tamquam legibus Regni fundamentalibus et principiis Regiminis adversam nomine Regio provocare, casum autem in contrarium erectionem *processus criminalis* adversus Praelatum annunciare non dubitavit, una proponendo, a Regia voluntate quam longissime abesse, ut Clerus Catholicus ad benedictionem matrimoniorum mixtorum cogatur, taliterque conscientiae eius vis inferatur.

Archiepiscopus in declaratione sua ad praeviam Praesidis provinciae provocationem dd. 20. April. 1838. reddita suam equidem in iis, quae civilis sunt ordinis, subjectionem ac obedientiam identidem solennibus verbis confirmavit: at vicissim quoad illa, quae religionis sunt, se Deo duntaxat, et Visibili Ecclesiae Capiti onere responsionis teneri, nullum autem in casum encyclicas literas se revocare posse, in reliquo summo cum solatio se intellexisse significavit, a Regia mente procul abesse, ut Clerus ad impertiendam matr. mixtis benedictionem cogatur. In literis porro de 21. April. e. a. apud Capitulum Gnesnense disposuit, ut declaratio Regia de manutenenda Catholicorum religionis libertate populo solenniter annunciëtur, isque ad fidelitatem et obsequium in cunctis rebus civilibus Regi exhibendum commoneatur. In literis tandem de 24. April. ad Regem dimissis rursum plenam suam in rebus civilibus subiectionem

605) De Rescriptis Regiis, quibus Archiepiscopus in Jus evocari, processusque contra illum errigi disponitur, plures animadversiones positae occurrunt in Ephemeridibus: *Schweizerische Kirchenzeitung. 1838. p. 471.*

professus, simul irrestrictam in rebus religionis libertatem pro se vindicavit [606]). Et quum nec hae literae optatum Berolini producerent effectum, imo Archipraesul novitus ad inamoenas sequelas, ni Circulares suas vevocaret, reflecteretur: sub 5. Maii 1838. novas ad Regem expedivit literas, in quibus contra agendi modum Gubernii expostulat, ostenditque Parochos ad benedicendas sine discrimine mixtas nuptias auctoritate civili reapse stringi; dein paratum se declarat ad concessiones, quae salvis catholicis principiis fieri possunt, admittendas: nimirum ut instructio matrimonio praemitti solita ad partem solum catholicam restringatur, et in praesentia partis acatholicae suscipiatur, item ut denegatio benedictionis nuptialis ad casum positivae reluctantiae non parendi praeceptis Ecclesiae referatur. Verum nec haec Archiepiscopi declaratio, quantumvis e sincero pacis colendae studio profecta, quidquam Berolini adpendit: imo ex Mandato Regio idem semel adhuc et iam postremo 28. Maii 1838. provocatus exstitit, ut Circulares revocet, delictum a se in illarum publicatione admissum confiteatur, veniam a Rege exoret, Parochos ad stricte observandas leges civiles inviet, Vicarium tandem Gnesnensem, quod anno 1837. parochos per literas adversus leges civiles de mixtis nuptiis latas concitaverit [607]), munere Vicariali exuat. Erga cuiusmodi provocationem Archiepiscopus prioribus suis declarationibus conformiter, se, nisi Episcopus imo et Catholicus esse desinat, provocationi Gubernii deferre haud posse, Apostolica et invicta respondit constantia. [608])

606) Vel ex iis, quae de Archiepiscopo Dunin in sua ad Gubernium Regium relatione hactenus adlata sunt, satis patet: quam infundata ne dicam iniqua fuerint ea, quae de illius vacillante in merito mixtarum nuptiarum sententia ac consilio in vulgus spargebantur. Archipraesul sane fortissimus sibi semper constitit, et ne hilo quidem a proposito suo manutenendae doctrinae et disciplinae Catholicae recessit, quod Praepositus Capituli Posnaniensis in publicis Ephemeridibus dd. 27. Maii. 1838. solenniter quoque declaravit.

607) cf. §. 150.

608) Acta praes §. provocata habentur in opere: *Rechtliche und faktische Darstellung nebst authentischen Urkunden — über den Erzbischof von Posen. Regensburg. 1839. p. 33—52. 114—136.*

§. 179.

Decreta Regia ad confiscandas et omni vi exuendas Circulares Archiepiscopi literas: erectio processus criminalis adversus eundem.

Gubernium Regium comperto eo, quod omnes conatus sui ad expugnandum Archiepiscopi Dunin animum in irritum cadant: per Decreta Edictaque sub nomine Regio vulgata rem parte ex sua agendam constituit. Inter haec primum memoramus Edicta de 13. et 15. Martii 1838. item de 21. April. e. a. quibus et confiscatio epistolae pastoralis ab Archipraesule ad Clerum dimissae praecipitur, et Clero usus illius qualiscunque sub comminatione poenarum interdicitur. Huc referimus porro decretum Supremi Provinciae Posnaniensis Praesidis de 27. April 1838. quo executio Regii Edicti dd. 9. April. omnem cum Sede Romana eiusque legatis communicationem interdicentis urgetur, unaque annunciatur, simulatque de eiusmodi communicatione a quopiam fota constiterit, locum fore illius comprehensioni. Huc demum pertinet duplex Ministerii Regii de 25. Junii 1838. Rescriptum: quorum altero encyclica Archiepiscopi ad Clerum epistola, tamquam novitatem contra praxim in Archidioecesi receptam inducens, et legibus civilibus repugnans, *irrita* et nullius roboris declaratur, Presbyteris vero iuxta illam acturis poenae intentantur, iis autem, qui ob violatos encyclicae tenores apud Archiepiscopum reatum incurrerent, praesidium Gubernii Civilis spondetur; altero vero erectio *processus criminalis* adversus Archiepiscopum, velut legum civilium violatorem, decernitur. In sequelam Rescripti Ministerialis Praeses supremi Judicii Appellatorii a Frankenberg die 7. Julii 1838. reipsa Processui Criminali initium dedit, Archipraesulem officiose provocando, ut ea, quae sua ex parte agenda sunt, cum Officialibus iustitiae, agere non intermittat. Verum Archiepiscopus datis duplicis ordinis ad Regios Ministros 9. et 10. Jul. 1838. literis, tum contra competentiam Judicatus Civilis in re mere ecclesiastica solenniter excepit, seque tali iudicio stare haud pesse

candide declaravit, tum reflexe ad objectam in Edictis Ministerialibus mitiorem circa mixta matrimonia praxim, uberius demonstravit: praxim praetensam sua in archidioecesi nequaquam viguisse, sed duntaxat per aliquos Presbyteros sive ex ignorantia sive alio respectu humano per modum abusus inconditionatam benedictionem in nuptiis mixtis adhibitam fuisse, seque ipsum in attestato de praxi illa anno adhuc 1830. extradato errorem commisisse, cum acta illinc pertinentia haud satis accurate perlustraverit [609]); denique adiecit documenta plurima ad probandum, quod in sua dioecesi matr. mixta non aliter quam praevie promissa catholica omnium prolium educatione benedici consuevissent. [610])

§. 180.

Clerus Curatus adversus Rescripta Regiminis, quibus Circulares Archiepiscopi cassantur, protestatur.

Non modicam Archiepiscopo in adversis praebuit consolationem singularis Parochorum Archidioeceseos suae zelus, quo ipsi incitati, adversus Rescripta Regiminis Circularibus Archipraesulis infesta vocem suam levaverunt. Ex Rescriptis nimirum his cum admiratione et iustissima indignatione observantes, talia, non obstante iterata eaque solenni professione Regia de conservanda in suis iuribus Religione Catholica, per Gubernium decerni, quae libertati eiusdem Religionis et conscientiae Cleri maxime repugnant: solennes suas protestationes et respective contradictiones ad Praesidium Provinciae dimiserunt, idque diserte enuncia-

609) In Ephemeridibus: *Sion. Augsburg. 1839. p. 268.* narratur: anno circiter 1829. parochum quemdam in Archidioecesi Posnaniensi, non obstante indulto Vicariali ad benedicendum mixtum matrimonium, in quo educatio catholica prolium utriusque sexus securisata non fuit, per sponsum evangelicae confessioni addictum obtento, passivam connubio huic praestitisse assistentiam, et in libro Matriculari haec adnotasse: „erranto clave matrimonium hoc praestita nonnisi assistentia passiva absque ullis solennitatibus contractum est."

610) Conferri potest opus supra citatum (nota 608.) *pag. 52—55. 72. 137—143. 196. ss.*

runt: se in his quidem, quae ad auctoritatis civilis sphaeram spectant, huic promto animo obsequi cupere, at in ecclesiae ac religionis rebus Archipraesulis dispositioni constanter morem gerere, ac in specie ea, quae in Circularibus illiùs literis de mixtis matrimoniis constituta sunt, fideliter exequi velle. Ex protestationibus huiusmodi, a plerisque Decanatibus editis [611]), peculiariter nominamus eam, quam Vicariatus *Gnesnensis* Clerus concinnavit, ac insuper datis ad Archiepiscopum literis, se eiusdem prorsus cum illo sententiae esse confessus est, et ab eo oravit, ut sua apud Regiam Maiestatem interpositione, Rescriptorum Regiminis, quae Ecclesiae tantopere praejudicant, effectum impediri procuret. [612])

§. 181.

Sedes Apostolica adversus facta Gubernii iuribus et libertatibus Ecclesiae infesta identidem protestatur. Allocutio Summi Pontificis de 13. Sept. 1838. Archiepiscopum Posnaniensem debitis celebrans laudibus, et iura Ecclesiae per Gubernium Borussicum laesa reclamans.

Quamprimum Summus Pontifex passus et facta Gubernii Borussici adversus Archiepiscopum Posnaniensem, quod ope Encyclicarum literarum doctrinam Ecclesiae Catholicae circa matrimonia mixta exposuerit, et praxim ei contrariam pro munere suo interdixerit, directa intellexerat: mox ea, quae Apostolici muneris sui poscebat ratio, egit. Et primum quidem contra priora Gubernii decreta mense Aprili 1838. edita, quorum primo Circularium Archipraesulis literarum usus Clero graviter prohibebatur, altero communicatio cum Sede Apostolica sub interminatione incaptivationis interdicebatur, ope Notae Cardinalis Status Secretarii dd. 2. Jul. et 11. Jul. 1838. tamquam Edicta iuribus Ecclesiae

611) Protestationes Decanatuum: *Kozminensis* de 13. Jul. — *Posnaniensis* de 22. Jul. — *Krotoschin* de 3. Aug. — *Inowraclaw* de 14. Aug. 1838. exstant in: *Sion. Augsburg. 1838. p. 727. 751. 839.* et *Beil. zu N. 114.*

612) Mon. 241. pag. 367.

Cath. prorsus derogantia reclamavit. Cum autem paulo post Rescriptum Ministerii R. intuitu cassandae Encyclicae Archiepiscopi epistolae emanasset: ope Notae de 25. Jul. adversus novum hoc Regiminis Decretum aeque protestari idem Summus Pontifex festinavit, summum dolorem suum haud celando, quod huiusmodi facta Gubernii libertati Ecclesiae et Religionis summopere praeiudicent, et directe id intendant, ut fideles cum contemtu et neglectu sanctionum canonicarum leges duntaxat civiles in rebus religionis observent. [613])

Protestationibus his nullum effectum apud Reg. Gubernium obtinentibus, Summus Pontifex ope Allocutionis de 13. Sept. 1838. illatam denuo per Gubernium Borussicum tam Ecclesiae auctoritati et libertati, quam Primatui suo iniuriam ad notitiam Sacri Cardinalium Collegii et totius Orbis Catholici perferendam, voceque Apostolica adversus Gubernii Regii in causa Archiepiscopi Posnaniensis iniuriosa acta factaque expostulandum decrevit. Primo igitur ea perstringit, quae in Provinciis Occidentalibus post violenter abductum Archiepiscopum Coloniensem evenerunt, signanter prohibita decretorum Pontificiorum in Regnum illatio, et impedita cum Sede Apostolica communicatio. Dein ad ea, quae cum Archiepiscopo Posnaniensi Gubernium egit, conversus Pontifex, exposita succincta causae istius historia, collaudatoque Archipraesulis, doctrinam Ecclesiae et libertatem Catholicae Religionis invictissime propugnantis, zelo, quaevis Gubernii consilia et acta *summa cum Ecclesiae iniuria ac pernicie coepta perfectaque fuisse*, eoque graviora esse pronunciat, quod ad constitutionis ecclesiasticae divino iure nixae vim penitus evertendam, et ad regiones Borussicas a Catholicae unitatis centro separandas aperte referantur: facta itaque haec Gubernii detrimento Ecclesiae patrata gravissime expostulat, nec dubitare se profitetur, ceteros quoque Regni Borussici Episcpos memores suae dignitatis et iuramenti occasione inaugurationis suae de exequendis sanctionum canonicarum officiis praestiti, fidem Ar-

613) Vid. opus *nol. 608.* citatum pag. 78. ss. 198. ss.

compraesulum Coloniensis et Posnaniensis aemulaturos, et in doctrina disciplinaque Ecclesiae de mixtis connubiis asserenda invictum animi robur probaturos.[614])

§. 182.

Declaratio officiosa Gubernii dd. 31. Dec. 1838. in sequelam Allocutionis Pontificiae, relationem Gubernii ad sedem Apostolicam in causa Archiepiscopi Posnaniensis uberius describens et factum Regiminis legitimare adnitens.

Allocutione Pontificia in laudes Archiepiscopi Posnaniensis servata offensum Regimen Borussicum, instar responsi ad eandem singulare Memoriale et Declarationem officiosam de relatione sua ad Sedem Pontificiam et Episcopos in tota hac causa concinnari, et Ephemeridibus Status „Preussische Staatszeitung" dd. 31. Dec. 1838. inseri fecit sub titulo: Officielle Darstellung der katholisch-kirchlichen Verhältnisse gegenüber dem Päpstlichen Stuhle und einzelen Bischöfen des Preussischen Staats. In famosa hac Declaratione Gubernium Borussicum a) reflexe ad Allocutionem Pontificiam animadvertendo, talia in ea circa relationem Ecclesiae ad Statum Publicum praedicari principia, quae cum legibus Regni non modo Borussici, sed cuiuslibet alterius sint plane incompatibilia, quae proinde si Curia Romana in usum deducere vellet, omnes Status Christianos sibi resistere experiretur: sequentia principia iis opponit: Auctoritati Regiae proprium esse, ut ordinationes in rebus religionis, etiamsi iis, quas Potestas Ecclesiastica perfert, contrariae, eo cum effectu condantur, ut illis constitutiones ecclesiasticae postponi debeant; in conflictu porro utriusque Potestatis Episcopos et Clerum ad leges Status tenendas obligari; sine indultu Regiminis nec Episcopum nec Papam auctoritatem legislativam in Borussia exercere posse. Principiis his ceu totidem Regiae Maiestati inhaerentibus iuribus proclamatis, idem Gubernium protestatur adversus ea, quae

614) Mon. 242. pag. 371.

Allocutio Pontificia eidem vitio vertit, atque inprimis adversus id, quasi Regimen Borussicum perquam hostili in Ecclesiam Romanam ferretur animo; in memoriam igitur revocat beneficia subditis catholicis in Provinciis Regno Borussico neoadjectis collata, tum declarat, so quidem pacis esse studiosissimum, at una sic comparatum, ut nulli suorum iurium in Ecclesiam ex conceptu Civilis Maiestatis profluentium renunciet. b) Reflexe ad Archiepiscopum Posnaniensem Allocutioni Pontificiao vitio vertit, quod causam istam unilateraliter duntaxat enarret ac expendat, pecnliaris vero mansuetudinis, longanimitatis et patientiae ex parte Gubernii erga Archiepiscopum semel ac iterum testatae nullam faciat mentionem. Historiam dein rei gestae enarrando, primum provocat ad praxim in Provinciis Orientalibus antehac usitatam, matrimonia mixta etiam non praestita de prolibus omnibus catholice educandis cautione benedicendi, testimonio ipsius Archiepiscopi a. 1830. roboratam; tum repugnantiam literarum Circularium cum legibus civilibus persuadere conatur, publicaque contra Clerum Catholicum profert gravamina, quod is in conflictu legum civilium cum Ecclesiasticis, fideles ad harum tantummodo observantiam inviando, facem discordiarum ad ipsum altare ponat, potestatis civilis tranquillitatem turbet, subditos ad revolutionem incitet, hacque ratione ruinam ipsius Ecclesiae acceleret. Atque ex his iustissimum elici concludit fundamentum pro instruendo adversus Archiepiscopum Posnaniensem processu: quem insuper ita describit, velut hominem iam in extremis damnabilis superbiae limitibus fluctuantem, iam pusillanimitatis ac inconstantiae indicia praebentem: verba tanta tamque gravia fuisse Archipraesulis contra leges Status delicta confitetur, ut ea impunita nullatenus relinqui potuerint.[615])

615) Declaratio officiosa Regiminis exstat per extensum recusa in: *Sion. Augsburg. 1839. p. 55—64.*

β) in Dioecesibus: Varmiensi, Culmensi, Vratislaviensi.

§. 183.

Episcopi Varmiensis et Culmensis tum exemplo invictissimorum Archiepiscoporum, tum Allocutione Pontificia admoniti, literas pastorales de matr. mixtis haud aliter, quam praestitis cautionibus ab Ecclesia requisitis, benedicendis ad Clerum Curatum dederunt.

Archiepiscopornm Coloniensis et Posnaniensis fidem et constantiam in tuenda canonica circa mixtae religionis connubia Ecclesiae disciplina imitati Episcopi Varmiensis et Culmensis, anno 1838. ipsi quoque ope literarum pastoralium ad Clerum Curatum dimissarum ea, quae in merito praevio vi sanctionum canonicarum et constitutionum pontificiarum tenenda sunt, pro cynosura et stricta observantia praescripserunt. Episcopus Varmiensis iam dd. 19. April. 1838. suas édidit literas pastorales: in iisque doctrinam catholicam de mixtis nuptiis praeclare proponendo, benedictionem sacerdotalem personis tales nuptias inituris tunc solum impendi posse statuit, dum praevie conditionibus Ecclesiae ex parte sponsorum satisfit. In specie autem circa cautelam de educatione prolium utriusque sexus in Fide Catholica, siquidem pacta ac conventiones solennes catenus inter sponsos, prohibentibus legibus civilibus, iniri haud possent, Clerum suum eo inviavit, ut saltim *certitudinem moralem* ante matrimonium super eo consequi studeat, quod proles omnes catholice sint educandae: hanc certitudinem vero ita obtineri posse, si coniuges inter se ipsi eatenus conveniant, porro si character moralis sponsi acatholici ceteraque illius adjuncta sic comparata sint, ut nullum prudens dubium relinquant, eundem datae sponsioni conformiter permissurum, ut tota soboles sua in Fide Catholica instituatur, denique si et sponsae is fuerit character moralis, ut tuto confidere liceat, illam parte ex sua nil actu-

ram, quo sponsum suum ad revocandam promissionem de catholica prolium institutione permovere possit. [616]

Episcopus *Culmensis* non obstantibus equidem frequentissimis quaestionibus, quas mox inde a funesto casu Archiepiscopi Coloniensis, ac praesertim post Allocutionem Pontificiam de 10. Dec. 1837. circa praxim mixtorum matrimoniorum sine discrimine benedicendorum Parochi eidem ponebant, diu cunctabatur: an in sensu Allocutionis Pontificiae Clerum suum quoad meritum mixtarum nuptiarum instruere inviareque debeat? ideoque primum Regio Ministerio quamplurimis argumentis demonstrare nitebatur, praetensam mitiorem praxim circa matr. mixta indiscriminatim benedicenda in Borussia nequaquam viguisse, sed tantum alicubi et per aliquos a sanctionibus canonicis recessum fuisse; porro Parochis quaestiones formantibus eam dabat instructionem, ut usque ulteriorem provisionem legibus civilibus sese conforment, et a nubentibus ob non praestitam super catholica prolium educatione sponsionem benedictionis ritum non subtrahant. Verum cum et Parochi suum erga instructionem talismodi, cum Allocutionis Pontificiae tenoribus nullatenus concordantem, resensum plus simplici vice manifestarent, et Archiepiscopus Posnaniensis qua Metropolita datis ad Suffraganeum suum literis potenter urgeret [617]: hic tandem haud amplius cunctandum ratus, literas Circulares dd. 1. Sept. 1838. ad Clerum dimisit, et mixtis matrimoniis, in quibus cautio de non turbanda parte catholica, et de prolibus utriusque sexus catholice educandis haud praecessisset, benedictionem impendi prohibuit, declarando, denegationem benedictionis cum legibus civilibus minime pugnare, quippe quae parochos ad benedicenda mixta coniugia haudquaquam cogant. [618]

---

616) Mon. 243. pag. 375.

617) Vid. *Herold des Glaubens. Aschaffenburg. 1838. p. 646. 1001.*

618) Mon. 244. pag. 383.

§. 184.

Regimen Civile literas pastorales Episcoporum Varmiensis et Culmensis irritas declarat: sed Clerus Curatus protestationem eatenus interponit.

Quod in causa Archiepiscopi Posnaniensis Regium Gubernium egit, nimirum Circulares illius literas ad Clerum Curatum dimissas irritando et cassando [619]): id cum pastoralibus quoque epistolis Episcoporum Varmiensis ac Culmensis agendum decrevit: hosque ante omnia per supremum Provinciae Praesidem ad retractandas encyclicas suas literas provocari fecit; cum autem id alioquin secutum non fuisset, idem Praeses per ordines circulares ad omnes subalternas Jurisdictiones dd. 30. Octobr. 1838. dimissos Pastorales Episcoporum antelatorum literas fundamento eo, quod ipsae cum legibus civilibus collidant, irritas ac nullius roboris esse declaravit, eosve, qui illis porro quoque obsequium exhiberent, et sic contra leges Regni, Regiaque Edicta in materia mixtarum nuptiarum agere praesumerent, legali poenae subiiciendos annunciavit [620]). Ast in vanum reciderunt conatus Gubernii: nam Parochi bene gnari, cuinam Potestati in rebus religionis obsequium sit exhibendum, per memoratos Praesidis ordines cassatorios ab exhibendo literis Praesulum suorum obsequio abduci se nequaquam siverunt, verum potius solennes et energicas adversus cassationem Pastoralium literarum protestationes ad Praesidium Provincialis Regiminis ediderunt. Omnium loco nominamus protestatorias Cleri Decanatus M e w e n s i s in Dioecesi Culmensi literas de 18. Dec. 1838. in quibus parochi Districtus huius ecclesiastici, sacro fervore pro iuribus Ecclesiae inflammati, se, nisi sacri ministerii sui partibus deesse, Altarique infideles reddi velint, in conscientia obligatos esse profitentur ad obediendum decretis Praesulum suorum, alioquin nullam novitiam doctrinam, sed vetustam duntaxat Ec-

---

619) cf. §. 179.

620) Vid. *Sion. 1838. p. 1158.*

clesiae circa matr. mixta disciplinam in memoriam revocantibus. [621])

§. 185.

Ordinariatu Vratislaviensi de mixtis matrimoniis prorsus tacente: Clerus Curatus sanctionibus canonicis et Edictis Pontificiis potissimum sese conformabat, et ad Ordinariatum frequentissime energicas repraesentationes dimittebat.

Unicus fuit in Regno Borussiae Ordinariatus Vratislaviensis, qui post repetitas licet Summi Pontificis Allocutiones, in iisque damnatam quamlibet praxim circa mixtas nuptias Ecclesiae regulis contrariam, prorsus tacuit, nullamque ad Sacros Curiones dimisit instructionem. Cum solatio nihilominus referimus, Cleri Curati sensa Sedis Apostolicae enunciationibus fuisse conformia. Quamquam enim superiore adhuc Epocha in Dioecesi Vratislaviensi mitior praxis continuaretur, ita, ut vix reperire liceat parochum, qui quaestionem quoad matr. mixta non praestitis cautionibus ritu consueto benedicenda, nec ne Ordinariatui posuerit [622]): post casum tamen Archiepiscopi Coloniensis Clerus quoque Vratislaviensis, tametsi in facto Ordinariatus sui non parum scandalisatus, in custodienda orthodoxa Ecclesiae disciplina aliarum dioecesium exemplo institit, et plus quam simplici vice Ordinariatui energice repraesentavit, se in conscientia urgeri ad stricte observandas Ecclesiae regulas pro casibus matr. mixtorum non cum cautelis requisitis initorum praescriptas. Ex repraesentationibus his sequentes praecipue notandae occurrunt:

1. Repraesentatio triginta parochorum Decanatus Frankensteinensis initio Junii 1838. ad Episcopum missa: in qua praeclare deducitur, quam ardua sit in Silesia Borussica inde ab anno 1740. Ecclesiae Catholicae situatio, ex immodica Gubernii Civilis in res sacras sese miscendi consuetudine, ita, ut e iure circa sacra iam fere ius in sa-

621) Mon. 245. pag. 388. — cf. *Sion. 1839. Beil. zu No. 28. p. 265.*
622) cf. §. 152.

cra enatum sit; porro ostenditur, quam iniuriosae sint in Ecclesiae sanctiones eae Gubernii Politici ordinationes, quae matrimonia mixta respiciunt; tum reflexe ad eventum Coloniensem id evolvitur, quod Clerus etiam Silesiacus, hactenus quasi longo sopore correptus, exemplo vicinarum dioecesium provocetur, ut tandem evigilet ad custodiam legum ecclesiasticarum; demum Episcopus provocatur, ut sua, qua apud Regimen valet, auctoritate opportunas legum civilium circa mixta connubia modificationes ocyus exoperetur. [623])

2. In Conventu Parochorum alterius Decanatus mensibus aestivis anni 1838. celebrato quaestio de matrimoniis mixtis uberius discussa et praeprimis haec duo in consultationem assumta sunt: an pars catholica ad matrimonium mixtum convolans, et nullam circa educationem catholicam futurarum prolium provisionem faciens, in S. Tribunali absolvi; et cum solennitate copulari benedicique possit? Post longiorem institutam deliberationem ad utrumque negative responsum fuit: ad primum ideo, quod peccator impoenitens, imo peccare volens, qualis est pars catholica in proposito casu, valide absolvi haud valeat; ad alterum autem, quod actum menti Ecclesiae difformiter imo contra positivam eiusdem intentionem peractum benedicere non conveniat. In eodem Parochorum conventu opinio illorum iusta censura perstricta exstitit, qui censebant, nullis proprie legibus interdici benedictionem in matr. mixtis, sed tantum ordinationibus pontificiis, quae pro tota Ecclesia minime obligent, et per usum contrarium abolitae iam sint. Postremo haec Parochorum sensa Ordinariatui quoque cum eo perscripta fuere, ut instructionem opportunam ocyus dare velit, cum parochi praxi sacrilegae ultro insistere sine piaculo non possint. [624])

3. Prioribus magis energica erat repraesentatio, quam 82. Parochi 1. Octobr. 1838. ad Ordinarium dimiserunt: eam cumprimis assertionem impugnans, quasi solum Pontificiis Edictis, et non universae Ecclesiae legibus niteretur mixta-

623) Mon. 246. pag. 390. — *Sion. 1838. Beil. zu No. 124. p. 993.*
642) Mon. 247. pag. 395. — *Herold des Glaubens. 1838. p. 956.*

rum nuptiarum prohibitio; unde etiam ostendit, Summos Pontifices per recentiores constitutiones nil novi hac in materia sanxisse, sed id, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum fuit, in memoriam revocavisse; tum affirmat eadem repraesentatio, absque periculo Schismatis praxim in Dioecesi Vratislaviensi ab aliquo tempore invectam continuari nequire. [625])

4. Peculiariter commemoranda venit repraesentatio Cleri Curati Commissariatus T e s c h i n e n s i s in Silesia Austriaca siti, et octo Archibresbyteratus sive Decanatus numerantis, iurisdictioni spirituali Episcopi Vratislaviensis subjecti. Clerus nimirum hic, copulationem in mixtis matrimoniis per Edictum Tolerantiale indiscriminatim peragi decretam cum sanctionibus canonicis componi, et nunc praesertim post tot solennes Sedis Romanae enunciationes ultro continuari haud posse intelligens, primo ad Gubernium Caesareum in Moravia ac Silesia se convertit: verum abhinc eo accepto responso, quod Gubernium in praesente causa decisionem edere non possit, rem vero altiori loco promovere nolit, ad Vicariatum Generalem *Fridekini* residentem literas dedit, insignis zeli pro tuenda doctrina et disciplina catholica testes: in quibus Vicariatus interpositionem apud Thronum Caesareum exoravit, ut decretum de prolibus e matr. mixtis patre protestantico genitis iuxta sexum parentum in religione educandis, matrimoniisque talibus ritu consueto per Sacerdotem Catholicum benedicendis mitiget, sicque Clerum ex conflictu inter duas leges, civilem quippe ac ecclesiasticam eximat. [626])

Ad repraesentationes has Cleri Curati nullum prorsus ab Ordinariatu Vratislaviensi responsum datum fuisse legimus: maluitque Episcopus *Comes Sedlnitzky* muneri suo renunciare, quam praxim mitiorem circa matr. mixta invectam corrigere.

---

625) *Allgemeiner Religionsfreund. Würzburg. 1839. p. 465. ff.*

626) M o n. 248. pag. 398. — Vid. *Allgem. Religionsfreund. 1839. p. 641.*

§. 186.

Protestantes in Synodo Confluentina a. 1838. contra sponsos in mixtis matr. proles catholice educari sinentes decretum edunt.

Pro coronide eventuum anni 1838. in Borussia, commemoramus decretum Synodi Protestanticae Confluentinae mensibus Augusto et Septembri a. 1838. celebratae in *novo Ordine disciplinari* contentum, in quo dicitur: Virum evangelicum, qui ante coniugium cum persona catholica initum omnes proles suas in fide Rom. Catholica educari permissurum se declarat, aut post matrimonium proles reipsa in Ecclesia Catholica baptisari sinit, gravis sceleris, nimirum contemtus ecclesiae evangelicae reum fieri: et pro huius gravitate primum quidem coram Ministro et duobus testibus, dein coram universo Presbyterio monendum, ad casum renitentiae autem poena privationis iuris eligendi et ministerium quodcunque obeundi plectendum esse [627])

---

2. Historia mixtorum matr. in aliis Regnis.

§. 187.

Consectaria eventus Coloniensis in Gallia, Anglia, Belgio.

Violenta Archiepiscopi Coloniensis extra fines dioeceseos abductio in exteris Regnis summam attentionem excitavit: Allocutio vero Summi Pontificis in sequelam eventus huius die 10. Dec. 1837. Romae ad Sacrum Coetum Patrum Purpuratorum habita non in Borussia solum, sed et alibi gentium laetos pro Ecclesia Catholica produxit effectus. Primum Gallia occurrit: cuius Metropoleos Archiepiscopus C. Hiacynthus de Quelen Clerum suum mox post Allocutionem memoratam, quippe dd. 29. Dec. 1837. ad eandem velut novum ac praeclarum sapientiae et

627 Mon. 249. pag. 402. — *Deutsche Blätter für Protestanten und Katholiken. II. Heft. Heidelberg. 1841. p. 15. ff.*

sollicitudinis Pontificiae documentum, attentum reddidit, sententiamque Sedis Apostolicae in Allocutione expressam a Clero et populo summa veneratione accipi iussit [628]. Plures etiam Viri doctrina et virtute praestantes in publicis Ephemeridibus in Allocutionem Pontificiam eximios concinnarunt commentarios, e quibus praeprimis duos commemoramus, a celebri Lacórdaire Canonico Parisiensi ad honores, et a Com. Montalembert editos, qui insuper distinctis quoque operibus de eventu Coloniensi inclaruerunt. [629]

In Anglia celebris O' Connell pro Ecclesia Catholica, per tragicam scenam Coloniensem pressa, vocem suam elevavit in paginis publicis *Morning Chronicle*, haec duo cumprimis uberius expendens; *primo*, sic dictum *proselytismum*, a Protestantibus Ecclesiae Catholicae continuo objectum, non tantum nil mali in se continere, verum potius aliquid Ecclesiae Catholicae valde naturale praeseferre, siquidem ipsa non optare non possit, ut omnes homines ad sinum Ecclesiae huius reversi, salvi fiant; *secundo*, Regimen Protestanticum nequaquam gaudere jure, Praelatum Catholicum munere suo privandi. [630]

In Belgio Episcopus *Leodiensis* Van Bommel per pastorale suum Monitum occasione Jeiunii Quadragesimalis a. 1838. editum Archiepiscopi Coloniensis agendi rationem tamquam legibus Ecclesiae ex asse conformem peculiaribus extollebat laudibus, ac simul rumores de nexu Archiepiscopi cum Clero Belgico deque moliminibus utriusque antimonarchicis percrebescentes „insulsos atque falsissimos, nilque veritati magis absonum esse affirmabat, quam á Clero Leodiensi perturbationes in vicino Regno foveri." [631]

---

628) *Wöchentlicher Anzeiger für die kathol. Geistlichkeit. Bamberg. 1838. p. 24.*

629) *Sion. 1838. No. 8. 32.*

630) *Sion. 1837. p. 1237.*

631) Ministerium Borussicum initio Archiepiscopum Coloniensem in secreto nexu cum Clero Belgico fuisse dictitabat: sed tardius cognita infundata suspicione, ab ea recessit.

§. 188.

In M. Ducatu Badensi, Hasso — Darmstadtensi, et Hasso-Cassellano.

Archiepiscopus Friburgensis in M. Ducatu Badensi, Provinciae Superioris Rhenanae Metropolita, exemplum Episcoporum aliorum sequutus, paulo post Allocutionem Pontificiam suum ad normas quoad mixta connubia per Breve Pii VIII. de an. 1830. praescriptas accessum Regimini declaravit: a quo id obtinuit responsi, nullas quidem Archiepiscopo in praxi difficultates positum iri, illos attamen de Clero Curato, qui leges civiles porro quoque incunctanter observarent, ex parte Gubernii protectionem nacturos [632]. Ne autem protectioni huiusmodi praebeatur occasio, Ordinariatus frequentibus monitis, Sacros Curiones ad rite observandas Ecclesiae cautiones exhortabatur. [633]

Moguntinae dioeceseos Episcopum in M. Principatu Hasso-Darmstadtensi nullam quidem instructionem ad Parochos dimisisse, hos nihilominus proprio motu illam mox post eventum Coloniensem adoptavisse praxim legimus, ut mixta matrimonia haud aliter, quam praestitis cautionibus, quas Ecclesia deposcit, benedicerent. [634]

In Electoratu Hasso-Cassellano Episcopus *Fuldensis* per literas Clero suo Curato prohibuit benedici mixta connubia, in quibus de educatione prolium in Religione Catholica nulla praevie data foret sponsio. Dum autem per Regimen Electorale ad retractandas has literas provocaretur: rescripsit, se id nusquam facturum [635]. Id quod verosimiliter ansam praebuit Ministerio Electorali, ope Rescripti de 20. Octobr. 1838. disponendi, ut ad casum re-

632) *Schweizerische Kirchenzeitung. Luzern. 1839. p. 6.*

633) Instar exempli unum ex Rescriptis huiusmodi Vicarialibus producimus Mon. 250. pag. 403. — cf. *Badisches Kirchenblatt. 1839. p. 37.*

634) *Katholik, eine religiöse Zeitschrift. 70. Band. 1838. Novemb. Beil. p. 80.*

635) *Sion. Augsburg. 1838. p. 776.*

nitentiae Cleri Catholici quoad copulationem personarum mixtae religionis, talem ministri protestantici instituant. [636])

§. 189.

In R. Hannoverano Würtembergico, Bavarico.

In Regno Hannoverano, Clerus Curatus Vicariatus *Osnabrugensis* de mixtae religionis conjugiis quaestionem formandi occasionem sumsit e punctis illis, quae Vicariatus pro discussione in Synodis ruralibus seu Congregationibus proposuit. Cum enim inter puncta haec et illud fuerit: „an peccatoribus publicis et scandalosis, nisi prius publice satisfaciant et scandalum tollant, absolutio deneganda sit?" Parochi in responsis Vicariatui redditis ultro eam movebant quaestionem: „an haec lex valeat etiam de patribus catholicis in matrimonio mixto viventibus, qui liberos suos in religione haeretica curant educari et moniti ac de officio suo iugiter edocti de hac sua impia et scandalosa agendi ratione desistere nolunt?" Sententiam Parochorum ad quaestionem hanc voto unanimi in eum sensum respondentium: quod eiusmodi personis absolutio sacramentalis omnino deneganda veniat, Vicarius in resolutione sua de 2. Junii 1838. non tantum probavit, sed et disposuit: ut catholici parentes, quorum proles ipsis consentientibus in religione acatholica educantur, peccatoribus publicis et scandalosis accenseantur, ipsisque obsolutio et eucharistia eousque denegetur, donec vere poenitentes de culpa doluerint. [637])

In Regno Würtembergico Episcopum *Rottenburgensem* eandem in negotio mixtorum matrimoniorum agendi rationem tenuisse deprehendimus, quam Episcopus *Vratislaviensis* in Regno Borussiae observavit [638]). Nam quemadmodum hic, unicus e Regni Borussici Episcopis, non obstantibus repetitis iisque solennibus Sedis Apostolicae adversus praxin sic dictam mitiorem, de benedicendis nuptiis

---

636) Mon. 251. pag. 404.

637) Mon. 252. pag. 404. — cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. No. 26.*

638) cf. §. 185.

mixtis enunciationibus, ei porro quoque firmiter insistebat, malebatque munere Episcopali se abdicare, quam exemplum ceterorum Praesulum in damnanda praxi Sacris Canonibus adversa sequi: ita Episcopus Rottenburgensis non modo nullam ex se in merito praxeos istius corrigendae parochis invitationem praebuit, verum potius illos ad Ordinariatum recurrentes ad suscipiendam omni in casu benedictionem mixtorum coniugiorum, prout leges civiles deposcunt, exhortari non dubitavit: cumque nonnulli de Clero Curato, apud Ordinarium suum repulsam passi, ad Metropolitam Friburgensem se convertissent, huius provocationem prorsus non attentam, sed ad Gubernium Civile missam, ab hoc autem ad Metropolitam reinviari iussam fuisse, narratur [639]. Imo decretum quoque ex parte Regiminis paratum iam fuisse legitur, cuius ope parochi mixta matrimonia ritu solito copulare ac benedicere recusantes per sequestrationem bonorum temporalium ad peragendas sacras has functiones stringi procurarentur. [640]

In Bavaria notari meretur Rescriptum Ministerii R. de 31. Maii 1838. parentibus mixtae confessionis irrestrictum ius, conventiones et pacta circa educationem religionariam prolium tam ante quam post conclusum matrimonium ineundi, confirmans. [641]

In Dioecesi *Limburgensi* ad ditionem Principis *Nassoviensis* pertinente Parochi Decanatus *Rheingaviensis* ad Episcopum suum a. 1838. Memoriale in eo dederunt: ut ad abolendam legem de prolibus e matr. mixtis semper in confessione patris educandis, apud Regimen Civile suam interponat auctoritatem. [642]

---

639) *Chronik der neuesten kirchlichen Ereignisse. Erster Band. Leipzig. 1841. pag. 51.*

640) *Allgemeine Kirchenzeitung für Deutsland und die Schweiz. 1838. p. 410.*

641) Mon. 253. pag. 406.

642) Sion. 1838. p. 991.

II. Eventus annorum 1839. et 1840.

1. In Regno Borussiae

§. 190.

Archiepiscopus Posnaniensis adversus Declarationem officiosam Gubernii 31. Dec. 1838. editam reflexiones suas in publicis Ephemeridibus communicat.

Declaratio officiosa in causa *Archiepiscopi Posnaniensis* a Gubernio Regio die 31. Dec. 1838. edita [643]), tum ipsius Archiepiscopi, tum et praeprimis Sedis Romanae attentionem excitavit. Archiepiscopus quidem e contextu Declarationis advertens, ea, quae Gubernium Regium in sua cum illo causa palam vulganda censuit, non in omnibus veritati conformia, insuper characteri suo iniuriosa, et seriem rei gestae inadaequatam esse, e re fore iudicavit: Declarationi Gubernii aliam opponere, in qua genuina totius eventus historia exhiberetur. Praestitit id doctissimus Antistes memorabili Articulo dd. 5. Januarii 1839. concinnato, et primo Ephemeridibus politicis Monacensibus: *Münchener politische Zeitung* de 1. Febr. e. a. inserto, dein in aliis quoque paginis publicis vulgato [644]). In eo postquam praemisisset, se nolle in funesto hoc cum Gubernio Regio conflictu iudicem agere, sed duntaxat eventus quospiam, a Gubernio silentio pressos, ad cognoscendam tamen genuinam rei faciem necessarios, in medium adferre, a) quoad obiectam sibi inconstantiae labem reflectit: se inde ab exordio controversiae istius eadem semper semita progressum fuisse, et id, quod Ecclesiae Catholicae in mixtorum coniugiorum re doctrinam esse designavit, sine intermissione tenuisse, formamque tantummodo colendae pacis gratia, alioquin a suo unice arbitrio pendentem, tantisper leniorem reddere vo-

643) cf. §. 182.

644) Ex gr. *Sion. Augsburg.* 1839. *Beil. zu No. 18. et 19.*

luisse [645]). b) De praxi mitiore praetensive in Provinciis Orientalibus usitata, perque Gubernium R. allegata observat: praxim benedicendi matrimonia mixta absque praevia sponsione de prolibus catholice educandis in Provincia Posnaniensi nequaquam obtinuisse, sed e regestis Ecclesiarum a se collectis recte contrarium elici, idque a se iam prius datis ad Ministrum Cultus literis plene demonstratum esse. c) Reflexe ad principia, quae Gubernium in sua declaratione circa relationem Status ad Ecclesiam proponenda duxit, intrepidus enunciat: pacem inter duas Potestates in Borussia non prius stabiliri posse, quam ubi Status Publicus Ministros Ecclesiae Catholicae a servitute exemtos convictioni suae et principiis Religionis Cath. conformiter agere siverit, nullamque ad opprimendam veram fidem violentiam adhibuerit. [646])

§. 191.

Sedes Apostolica Scriptum officiosum documentis quamplurimis munitum in causa Archiepiscopi Posnaniensis edit dd. 11. April. 1839.

Declaratio officiosa Gubernii Borussici in causa Archiepiscopi Posnaniensis edita, reique gestae seriem minus complete et duntaxat unilateraliter, prout ipse Archiepiscopus demonstravit, sistens Sedi Apostolicae necessitatem imposuit, pari ratione, ac in causa *Archiepiscopi Coloniensis* factum fuerat [647]), Acta quaevis in causa Archiepiscopi Gnesnensis ac Posnaniensis quoad meritum mixtorum matrimoniorum interventa, genuine et plene in lucem publicam emittendi, ac una principiis de relatione Status ad Ecclesiam in memorata Gubernii Declaratione propositis alia, quae nempe verus Potestatis Ecclesiasticae conceptus, et limpi-

645) Intelligit Archiepiscopus concessiones illas, quas salvis principiis catholicis fieri posse, in literis dd. 5. Maii 1838. Regi significavit. cf. §. 178.

646) Crisis Declarationis Gubernii, quam scriptum periodicum: *Historisch-politische Blätter für das kathol. Deutschland. III. B. 1839. p. 117—124. 164—172.* continet, meretur legi.

647) cf. §. 172.

dissima Divinae Revelationis oracula suppeditant, opponendi. Praestitit utrumque Sedes Apostolica scripto officioso 11. Aprilis 1839. edito sub titulo: Esposizione di diretto e di fatto con autentici documenti in risposta alla dichiarazione e memoria del Governo Prussiano, pubblicato nella Gazzeta di Stato di Berlino il 31. Decembre 1838.[648]) In opere hoc Sedes Apostolica a) relate ad principia, quae Regimen Borussicum in sua Declaratione circa iura Status in rebus ad Religionem pertinentibus proposuit, animadvertit: quaevis iura hoc sub obtutu Regiae Auctoritati attributa ex erroneo fundamento profluxisse perfectae dependentiae Potestatis Ecclesiasticae a Statu Civili: item e nisu et tendentia Gubernii, ut catholicus Monarchiae Borussicae populus a Centro Unitatis Ecclesiae avellatur, taleque centrum in Regno ipso constituatur, eius nimirum Principe, et ita in Ecclesia nova quaepiam, ac illi, quam Divinus Fundator scripsit, contraria forma regiminis introducatur, verbo nova Ecclesia formetur, quae tamen longe alia sit quam catholica. Principiis his ac intentione Gubernii Borussici in apricum deductis, non potuisse non Sedem Apostolicam in Allocutione diei 13. Sept. 1838. sanctissima Ecclesiae eiusque Capitis iura reclamare. Tum ostendit Sedes Apostolica, existere in Ecclesia Catholica veri nominis potestatem, longe diversam ab ea, quae in rebus civilibus exercetur, potestatem essentialiter independentem a qualibet terrena Auctoritate, omniaque iura in se continentem, quae ad finem institutionis eiusdem sunt necessaria; existere quoque in Ecclesia Caput, Centrum, ac Supremum Magistrum, Romanum Pontificem, cui iurisdictio in universam Ecclesiam competat, qui proin instar *extraneae* cuiusdam Potestatis haberi nullo modo possit. b) Docet Sedes Apostolica, non se extendendae suae cum praeiudicio Status Publici potestatis studiosam esse,

648) Prodivit Scriptum hoc mox in lingvam germanicam conversum sub titulo: *Rechtliche und faktische Darstellung nebst authentischen Urkunden in Beantwortung der durch die Berliner Staatszeitung vom 31. Dec. 1838. bekannt gemachten Darstellung und Denkschrift. Regensburg. 1839.*

sed potius Gubernium Borussicum sibi arrogare iura, quae immutabili Ecclesiae constitutioni non minus, quam pactorum fideli custodiae adversantur. c) Observat: quaestionem de mixtis matrimoniis in Regno Borussiae suscitatam reduci ad caput cooperationis ac assistentiae Cleri, proprieque id solum quaeri: an in defectu conditionum per Ecclesiam pro omni tempore praescriptarum Clerus ritum sacrum administrare, taliterque ad actum immutabilibus Catholicismi principiis difformem, cooperari possit? huius autem quaestionis decisionem alioquin non Regimini Protestantico, sed Ecclesiae Catholicae competere; nec Ecclesiam Catholicam, quae principii loco habet et palam etiam annunciat obligationem subditorum obediendi legibus Civilis Potestatis, pacis publicae turbatricem dici posse, sed potius de Regimine Borussico, quod leges civiles cum ecclesiasticis confligentes inter graves comminationes a Clero observari praecipit, dicendum venire, quod conscientiae vim inferat, libertatem laedat, et existimet, quasi proposita per se principia de fidelitate subditorum ius simul tribuerent inobedientiam ac renitentiam erga leges Ecclesiae demonstrandi. d) Denique, ut perspiciatur, qualisnam fuerit Sedis Apostolicae et ipsius Archiepiscopi Gnesnensis ac Posnaniensis agendi ratio in tota hac causa observata, sexaginta duo documenta profert Sedes Apostolica, partim ad plenam adaequatamque causae istius cognitionem, quam Memoriale sive Declaratio Gubernii neutiquam suppeditat, procurandam, partim ad refellendam eam Declarationis enunciationem, quasi Allocutio Pontificia de 13. Sept. 1838. in causa Archipraesulis Posnaniensis habita maxima parte non exactae factorum expositioni innixa sit. Quamobrem documentis antedictis ostenditur, ea, quae in Allocutione breviter attacta fuere, omnino veris factis ac eventibus superstructa, illa contra, quae in Declaratione Gubernii continentur, in pluribus locis erronea esse. [649])

---

649) Errata deteguntur *pag.* ***20. 21. 26. 27. 30. 32. 33. 38. 39. 40. 45.***

§. 192.

In processu criminali adversus Archiepiscopum Posnaniensem anno 1838. erecto sententia fertur, Archiepiscopusque paulo post extra fines Dioeceseos abducitur.

Interea Judices Seculares, quibus processus criminalis adversus Archiepiscopum Posnaniensem erigendus, decidendusque anno adhuc 1838. committebatur[650]), sententiam pronunciarunt, Archipraesuli per regias literas Berolinum accersito denunciatam: vigore cuius e tribus criminibus, quorum postulabatur, nimirum laesae majestatis, concitati ad seditionem populi, et violatarum legum civilium de mixtis connubiis, a duobus primis liber declaratus, at tertii reipsa convictus, et in poenam ad solvendas processus expensas, detentionem sex mensium in munito quopiam castro, amissionem omnium dignitatum, nefando sane ausu condemnatus, ad munia in Regno gerenda inhabilis pronunciatus, demum a munere Archiepiscopali depositus exstitit [651]). Sententiae huius executio diu suspensa fuit: sperabat enim Gubernium Regium, Archiepiscopum Berolinum evocatum per frequentiores cum Regni Administris conferentias aliam circa mixta matrimonia sententiam amplexurum. Verum cum Praelatus in tuenda doctrina disciplinaque canonica constans permansisset, et per iusto longiorem e dioecesi sua absentiam administrationi Dioecesanae haud bene consuli intelligens conscientia muneris sui impulsus non exspectata negotii controversi decisione Berolino ad gremium dioeceseos suae remeasset: Regio iussu e Dioecesi abductus, et ad arcem munitam *Colberg* deductus fuit. Atque ita alter iam Regni Borussici Archiepiscopus ob constanter defensam catholicam doctrinam procul a dioecesi exulare coactus!

---

650) cf. §. 179.

651) *Sion. Augsburg. 1839. p. 571. f.*

§. 193.

Summus Pontifex contra sententiam Iudicii secularis in causa Archiepiscopi Posnaniensis latam in Allocutione de 8. Julii 1839. protestatur.

Quamprimum Summus Pontifex sententiam contra Archiepiscopum Gnesnensem ac Posnaniensem per Seculares Magistratus latam intellexit: adversus novum hunc Gubernii Borussici, libertatem ecclesiasticam opprimentis, actum vi Apostolici sui muneris vocem suam attollere necessarium duxit: id quod celebri Allocutione ad S. Cardinalium Collegium die 8. Julii 1839. habita praestitit. In ea primo nefandum illum ausum, quod sacram Archiepiscopi personam laici magistratus iudiciali sententia condemnare veriti non sint, perstringit; tum gravem in hoc processu divini Ecclesiae iuris invasionem et ex causa, ob quam Archipraesul iudicatus, et ex poena, quae illi irrogata est, demonstrat; primum quidem ideo, quod violatio legum civilium de matr. mixtis, cuius Archiepiscopus postulabatur, nullatenus ad civiles nuptiarum effectus spectaverit, hosque ille ne attigerit quidem, verum unice gravissimis pastoralis muneris obligationibus satisfacturus Clerum suum de sanctitate matrimonii, deque officiis catholicorum coniugum commonuerit; alterum vero inde, quod sacra Episcoporum potestas, a Spiritu S. accepta, Secularis Magistratus auctoritate auferri nequeat. His expositis concludit Beatissimus Pater: si Catholico Antistiti in Borussia sanctitatem matrimonii tueri, et sacerdotes de officio suo, sacrilegum facinus catholicorum nuptiis illicitis sese illigantium paternis monitis instructionibusque impediendi, admonere liberum non sit, actum fore in Regno Borussiae de Religione Catholica, quam tamen se conservaturum Rex pluribus occasionibus solenniter promisit. Post haec Summus Pontifex contra sententiam laicorum iudicum et generatim contra omnia in negotio Archiepiscopi Posnaniensis in illius et Ecclesiae Catholicae detrimentem gesta expostulando, declarat: Martinum Dunin esse adhuc verum unicumque Eccle-

siarum Gnesnensis ac Posnaniensis Archiepiscopum, exque sententia illa canonico ac divino iure irrita nullum ius amisisse. Demum profitetur: se nulla alia ratione, nisi causa Religionis et muneris sui implendi necessitate ad hanc expostulationem et reclamationem adductum, non aliud in proposito habuisse, quam Religionis Ecclesiaeque iura tueri, non autem de rebus mere civilibus, quae regii iuris sunt, quidquam attingere: hinc etiam cunctos Regni Borussici Catholicos apostolica monet auctoritate, ut in iis quidem, quae de matrimonii sanctitate et coniugum obligationibus dicta sunt, et universim in iis quae ad fidem moresque pertinent, S. Matri Ecclesiae obedientes adhaereant, nulliusve temporalis emolumenti spe aut detrimenti metu ab eius communione ac obsequio abduci se sinant: in aliis tamen vicissim rebus, quae civilis sunt ordinis, iussis regiis fideliter obtemperent. [652])

2. In aliis Regnis.

§. 194.

In R. Hannoverano Vicarius Osnabrugensis doctrinam catholicam egregie tuetur.

Non levis adversus *Vicarium Osnabrugensem* movebatur tempestas propter resolutionem ad quaesita Parochorum intuitu coniugum catholicorum in mixtis matrimoniis viventium die 2. Junii 1838. datam [653]). Verbum enim *haereseos* in quaesitis parochorum et resolutione Vicariali adhibitum vehementer displicuit Protestantibus, quod existimarent, voce illa quasi studio iis, qui a Catholica diversam religionem profitentur, notam publicae contumeliae ac infamiae inuri; cumque opera malevolorum res haec per publica diaria ac ephemerides vulgaretur, malitiaque nonnullorum ad excitandam inter diversarum religionum cives discordiam materia exinde sumeretur: Vicarius ac Suffraganeus Osna-

652) Mon. 254. pag. 408.
653) cf. §. 189.

brugensis necessarium duxit, nova declaratione de 25. Mart. 1839. mentem suam uberius aperire. In ea parochis ad praecidendam omnem ansam criminationi et malignae interpraetationi, vocem *haereticus* de Protestantibus adhiberi prohibuit, ac per superius laudatam resolutionem suam de laedendo Acatholicorum honore ac fama ne cogitatum quidem, sed id solum in proposito fuisse ostendit, ut lex Ecclesiae Catholicae in memoriam revocetur, a parochis observanda; porro coniuges catholicos, de quibus a Sacramentorum participatione arcendis illic sermo est, non cum infamibus comparatos, sed tantum hoc praescriptum fuisse, ut tales, qui officium suum religiosum in re gravissima violantes publicum praebent scandalum, taleque nec post monitionem tollere volunt, velut indigni et depravato animo ad sanctissima religionis mysteria cum ceteris catholicis accedere praesumentes, iustisque sacrorum ministrorum monitis obsequium detrectantes, a S. Mensa arceantur. [654])

§. 195.

In Gallia praxim canonicis sanctionibus conformem constanter adhibitam fuisse, Ritualis Parisiensis anno 1839. recusi exemplo docetur.

Ad probandum, in Ecclesia Gallicana praxim quoad concilianda mixta matrimonia spiritui SS. Canonum conformem, et prioribus Epochis descriptam, praesente quoque Periodo constanter manutentam fuisse, provocamus ad *Rituale* pro Archidioecesi *Parisiensi* anno 1839. recusum, cuius ductu praevio in merito sequens observatur disciplina: a) pro quolibet casu matrimonii mixti dispensatio in impedimento disparitatis cultus a Sede Apostolica petenda est, nisi Ordinarius specialem dispensandi haberet indultum: dispensatio porro nonnisi ea conditione conceditur, si pars non-catholica prona sit ad se sub iurata fide obligandam, quod conditiones in simili circumstantia exigi solitas adimpletura sit. b) benedictio numquam datur, nec Missa cele-

654) Mon. 255. pag. 413. — cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. p. 1166.*

bratur tamquam pars solennitatis nuptialis, sed ad summum in favorem partis catholicae absque ullo adparatu ad solennitatem matrimonii spectante, totaque Parochi assistentia matrimonio tali praestanda in eo consistit, quod accitis duobus testibus a S. Synodo Tridentina requisitis sola veste talari indutus, sine superpelliceo et stola, mutuum consensum utriusque contrahentis extra Ecclesiam seu in sacristia, sive in alio decenti loco excipiat. 655)

§. 196.

In M. Ducatu Badensi Decanatus nonnulli Synodum Dioecesanam ad componenda dissidia circa mixta connubia enata celebrari petunt.

Singulare est, Capitula nonnulla sive Decanatus in Magno Ducatu Badensi, a reformatorio spiritu iam dudum famam consequutos, anno 1840. Archiepiscopum Friburgensem literis convenisse, ut *Synodum Dioecesanam* celebraret, in eaque cum alia objecta, tum quaestionem de mixtis connubiis in deliberationem discussionemque sumi procuraret. In literis his praetendunt: se in statum calamitosum rerum ecclesiasticarum cum in genere tum huius dioecesis in specie studio inquisivisse, et comperisse: „vix esse iam, qui pio et sincero erga christianam religionem sensu vel maxime salutaria Ecclesiae praecepta sequatur; multos autem esse, qui ea spernant, traducant, et nihili pendant; iura non pauca, quae Ecclesia olim sua putavit, exercuitque, his temporibus a politicis mundi moderatoribus sibi competentia vocari, postulari, et exerceri, eoque rem iam devenisse, ut religio et ecclesia ex politioris mundi lubitu ad summum tolerata et ex politica sapientia haud delenda putetur, Episcopos autem ligatis manibus incedere etc." Inter reliqua vero, in quibus se anxios haerere profitentur, numerant mixta etiam connubia, et praesertim dissidia ob religionariam prolium educationem enata, indeque non tantum inter Episcopos et Principes Protestanticos pacem turbatam esse, verum etiam inter cives diversae reli-

655) Mon. 256. pag. 415.

gionis, imo inter ipsos animarum pastores de tractandis his matrimoniis diversitatem sententiarum praevalescere. Ita descripto deplorabili Ecclesiae statu, non aliud ad tollenda mala, pacemque revehendam medium proponi posse censent, quam Synodorum celebrationem, magno Ecclesiae damno a longiori iam tempore intermissam: quamobrem rogant Archiepiscopum, ut primo quo fieri potest tempore Synodum Dioecesanam iuxta sacros canones celebret, ad eamque Sacros Curiones tamquam suos in vinea Domini cooperatores, vocet, et de negotiis summi momenti cum illis consilia conferat: huiusmodi enim Synodo celebrata et Archidioecesi pacem ac tranquillitatem restitutum, et fidelium animarnm salutem promotum, et pastorali SS. Curionum sollicitudini subventum iri aiunt. — Ad hanc Decanatuum sive Capitulorum nonnullorum literam Archiepiscopus dd. 21. Febr. 1840. rescribens, laudat quidem zelum eorumdem, quo inflammati animarum salutem pro viribus promovere cupiunt, nec Conciliorum antiquitatem, auctoritatem et salubritatem diffitetur: sed quoad celebrandam nunc Synodum Dioecesanam, oppositam sequitur sententiam, cum quaestiones, ob quas Synodus celebrari petitur, non Badenses solum, sed Germanicae sint, et ideo non in dioecesana, sed Nationali Synodo pertractandae ac discutiendae. Tum monet recurrentes, ut vulnera Ecclesiae, de quibus queruntur, ipsi etiam sanare studeant, habentes quippe singuli Scripturae S. praecepta, Conciliorum decreta et canones, quos non tantum populo inculcare, sed per quemvis sacrum Curionem explere oporteat, nec posse horum effectum optatum alias sperari, quam si quivis pastorum motu proprio in grege suo fideli eo quo par est fervore suum ministerium adimplere contenderit. [656])

---

656) Mon. 257. et 258. pag. 417. s. — *Katholische Blätter aus Süddeutschland. 1840. Beil. No. XIII.* — *Katholik. 1840. Juli. Beil. p. 43.*

§. 197.

In Polonia Russica Episcopus Augustowensis mixta connubia benedici prohibet.

In Polonia Russica Episcopus *Augustowensis*, exemplum praeclarum Episcopi *Podlachiensis*, iam antea disciplinam Ecclesiae Catholicae circa mixta connubia adversus Gubernii Russici molimina egregie defendentis [657], sequutus, anno 1839. pastorales ad Clerum suum dedit literas, in iisque fundamento illo, quod lex civilis omnes proles e matrimonio mixto parte una Russica susceptas in confessione Russica educari disponat, et non tantum sponsionem ullam in contrarium a nubentibus elici prohibeat, verum etiam, si talis data foret, irritet, benedictionem mixtis matrimoniis nullo in casu tribui indulsit. [658])

§. 198.

Americae Septemtrionalis Episcopi e Concilio suo literas ad Archiepiscopos in Regno Borussiae dimittunt, mixtaque matrimonia prohibent.

Memorabile in historia recentissima mixtorum matrimoniorum documentum praebet celebris Epistola, quam Americae septemtrionalis Praesules e Synodo sua Provinciali *Baltimorensi* mense Maio anni 1840. ad celeberrimos doctrinae Catholicae in Borussia pugiles, Coloniensem quippe et Posnaniensem Archiepiscopos, dederunt: in qua quemadmodum iustam admirationem suam de persecutione Ecclesiae sub regimine Principis Religionem Christianam profitentis recrudescente exprimunt, ita singulare gaudium super praeclaro defensae orthodoxae fidei exemplo per laudatos Praesules, procul a Sedibus suis hostili manu Gubernii Borussici abductos dato significant [659]). Dederunt iidem Americani Episcopi ex eodem Concilio ad Clerum

---

657) cf. §. 127. et 158.

658) *Allgemeine Kirchenzeitung. 1839. p. 1328. — Herold des Glaubens. Aschaffenburg. 1840. p. 346.*

659. Mon. 259. pag. 419.

quoque fidelemve populum pastorales literas super conclusis ac decretis Concilii, ac una regulas opportunas circa connubia mixta, universim prohibita, praescripserunt, instaque severitate Gubernii Borussici agendi rationem, artificiaque ad dilatationem Protestantismi adhibita perstrinxerunt; in literis tandem ad Summum Pontificem exaratis inconcussam suam erga Sedem Apostolicam et Summum Ecclesiae Pontificem tamquam centrum Unitatis catholicae adhaesionem professi sunt. [660])

§. 199.

In Helvetia Canton Schwyz mixta coniugia prohibet: sed in Würtembergia Ordinariatus Rottenburgensis Parochos ad benedicenda mixta connubia stringit.

Sine exemplo est, quod de *Cantone Helveto* Schwyz retulere publicae Ephemerides: in eo nimirum per decretum 3. Maii 1840. matrimonia mixta simpliciter prohibita fuisse [661]). At in Regno Würtembergico Ordinariatus *Rottenburgensis*, prout antea, ita annis quoque postremis non tantum nullam in sensu constitutionum declarationumque Pontificiarum fecit quoad mixta matrimonia enunciationem, verum etiam Parochos, connubia talia promiscua benedictione munire recusantes ad onus responsionis trahere, punireque haud dubitavit. Duo tantum adferimus exempla: alterum de Parocho Henle, de Professore Tubingensi Mack alterum. Illum, quod mirere, ipse Episcopus personaliter accedere, et ad benedicendum ritu Ecclesiae consueto mixtum matrimonium, quod cum praevia sponsione educationis protestanticae omnium prolium initum erat, permovere non erubuit: quod quum Parochus se nullo modo facere posse responderet, a munere suo primum suspensus, tum e parochia ad capellaniam detrusus fuit [662]). Mackium

660) Müglich, *Gotteskästlein. Eine Zeitschrift. 1840. p. 1153.*

661) *Schweizerische Kirchenzeitung. 1840. p. 305.*

662) Rem gestam enarrat: *Katholik. 76. Band. 1840. p. 168. ff. et 79. Band. 1841. p. 53. ff.*

autem ob libellum adversus benedictionem mixtorum matrimoniorum editum [663]) per Regimen quidem sed influente, et, ut nonnulli volunt, agente ipso Ordinariatu, munere docendi privatum fuisse, constat. [664])

III. Restitutio Archiepiscopi Posnaniensis in Sedem suam, et finalis decisio negotii Archiepiscopi Coloniensis.

§. 200.

Archiepiscopus Posnaniensis Sedi suae restituitur, et ope Circularium literarum Clero significat: matr. mixtis omnem etiam denegari posse assistentiam, si conditiones Ecclesiae haud impleantur.

Postquam tam Ministrum Cultus *Altenstein*, quam ipsum Regem *Fridericum Guilelmum III.* mors rapuisset, sub novo Rege *Friderico Guilelmo IV.* mutata est rerum facies: hic enim pacem in Ecclesia Catholica per violentam duorum Regni Archiepiscoporum e Sedibus suis expulsionem et procul a finibus earum abductionem, turbatam quo prius revehere cupiens, nil non egit, quo id reipsa in effectum deducatur. Decreto itaque diei 29. Julii 1840. *Archiepiscopo Posnaniensi* in castro Colberg detento reditum ad suam sedem indulsit. Quid decreto huic proprie occasionem dederit, ex tenore eiusdem duntaxat subobscure colligitur: nam in eo solum memorat Rex, declarationes ac promissiones Archiepiscopi ad Thronum Regium perlatas eo Regem determinasse, ut Archipraesulem e captivitate liberum dimitteret, et ad Sedem suam remeare concederet. Quidquid sit: Archiepiscopus cum inexsplicabili iubilo ac tri-

---

663) De hoc libello in *Literatura* agetur.

664) Seriem totius rei secum gestae enarrat Mack in opere: *Catholica. Mittheilungen aus der Geschichte der kathol. Kirche in Würtemberg. I. Augsburg. 1841.*

umpho in gremium Archidioeceseos suae reversus, mox post suum reditum, die quippe 27. Augusti 1840. ad universum Clerum suum Circulares dedit literas: in quibus praemissa brevi de suo ad dioecesim reditu historia, Clerum et fideles ad concordiam pacemque cum aliter credentibus fovendam adhortatur, de mixtis vero matrimoniis ita statuit: ut, cum lege civili prohibitum sit, a sponsis mixtae religionis promissiones de catholica omnium prolium educatione exigere, talesque promissiones, etiamsi a sponsis dentur, nullam vim habere eadem lex civilis declaret, ad evitandas difficultates et molestias ac una ad consulendum legi praxique Ecclesiae Catholicae, nihil agant Curati, quo connubia mixta ex parte Ecclesiae adprobare videantur, sed integrum iisdem esse, omnem eiusmodi matrimoniis denegare asistentiam, omnemve actum religiosum, nec fas propterea fore, ipsos a quoquam ad reddendam super denegata assistentia rationem provocari. Demum declarat, se proximius totum hoc negotium Sedi Apostolicae relaturum. [665])

§. 201.

Archiepiscopus Coloniensis decreto Regio a cunctis ipsi objectis accusationibus liber declaratur, decreto vero Pontificio Coadiutorem obtinet.

Quemadmodum per revocatum ad Metropolitanam Sedem Posnaniensem Archiepiscopum Martinum Dunin in Provinciis Orientalibus pacem Ecclesiae Catholicae Rex Fridericus Guilelmus restituit: ita in componendo atque finaliter decidendo negotio Archiepiscopi Coloniensis Clementis Augusti a Droste singularis eiusdem Regis emicuit sollicitudo: cui post institutas mutuas cum Sede Apostolica consultationes tandem successit gravissimum isthoc meritum ultimis anni 1841. mensibus ad optatum finem perducere. Consultationum harum is erat effectus: quod Summus quidem Pontifex edito Brevi, Archiepiscopo Coloniensi, quem maximis virtutibus clarum, deque ecclesia et religione catholica opti-

665) Mon. 260. pag. 420.

me meritum celebrat, ob adversae valetudinis incommoda, habito eiusdem consensu, Episcopum Spirensem Joannem Geissel *Goadjutorem cum futura successione* dederit; Rex autem eundem Archiepiscopum ab omnibus accusationibus, eidem antea impactis, liberum pronunciaverit, ipsique reditum in suam Dioecesim indulserit.

IV. Literatura ex Epocha VIII.

1. Literatura ex anno 1837.

§. 202.

Monitum praeliminare.

Non est in recentiori Literatura obiectum, quod tot tantisque Eruditorum lucubrationibus illustratum discussumve foret, ac quaestio de mixtis matrimoniis inter Catholicos et Protestantes post eventus Colonienses ac Posnanienses. Scriptorum, quae ex incidente isto cum pro, tum contra in lucem edita sunt, valde magnus est numerus: nec minor pertractati in iisdem argumenti diversitas; Eruditi enim ex diversis obtutibus ac considerationibus egressi iam quaestionem de mixtis connubiis strictius pertractabant, iam principia Juris Publici de relatione Status ad Ecclesiam proponebant, et juxta illa tum factum Archiepiscoporum, tum acta Gubernii Regii expendebant. Nos completam de hoc merito literaturam recensere cupientes, eam in recensione hac tenebimus methodum, ut non tantum Catholicorum sed etiam Protestantium auctorum opera, et quidem tam illa, quae pro defensione Archipraesulum, doctrinaeque et disciplinae catholicae quoad mixta coniugia, quam quae contra eandem et pro tnendis juribus Gubernii Borussici per Archiepiscopos praetensive laesis edita sunt, enumeremus.

§. 203.

Auctores Catholici ex anno 1837.

149. *Antwortschreiben und Vorstellung des Metropolitankapitels zu Köln an den kön. Preuss. Herrn Staatsminister von Altenstein, über die Vertreibung des Herrn Erzbischofes von Köln. Friedberg. 1837.* In forma epistolae responsoriae ad literas Regii Cultus Ministri post abductum Archiepiscopum Coloniensem dd. 15. Nov. 1837. Capitulo Coloniensi missas[666]) inducit anonymus Auctor Capitulum sequentibus Regio Ministro respondere: dolere se summopere ob violenter abductum a Sede sua Archipraesulem, sicque prostratas res Ecclesiae Catholicae; ea, quae Archiepiscopo obiiciuntur, esse res mere ecclesiasticas, de quibus iudicare non ad Civitatem sed ad Ecclesiam pertineat; Archipraesulem nonnisi e studio conservandae doctrinae orthodoxae, et observandi Brevis Apostolici circa mixta connubia a. 1830. editi egisse; promissum illius de servanda Instructione per Antecessorem a. 1834. elaborata duntaxat ea sub conditione valere potuisse, si Brevi Apostolico conformis foret Instructio; se quidem ea, quae pro casu necessitatis et tristi statu Archidioeceseos e praescripto SS. Canonum agenda sunt, suscepturum, verum a se Archipraesulem tamquam legitima Juris Canonici forma nequaquam convictum ac depositum porro quoque uti verum unicumque Archiepiscopum considerandum, fideique ac obedientiae erga eundem vincula ultro etiam perseveratura esse.[667])

150. *Clemens August Erzbischof von Köln den 20. Nov. 1837. nach nicht ganz zweijähriger Amtsverwaltung verhaftet und abgeführt auf die Festung Minden. Darstellung des Ereignisses und Prüfung der Beschuldigungen. Augsburg. 1837.* Acta Gubernii Borussici severo subiicit examini; quoad mixtas nuptias vero, ex confessione ipsorum Prote-

666) cf. §. 148.

667) Utinam Capitulum Coloniense ita egisset, prout in libello hoc exponitur! Apparet, libellum hunc instar satyrae adversus agendi rationem, quam Capitulum tenuit, considerari posse.

stantium, cumprimis *Eichhornii* 668), evolvit, quantopere illa dissuadenda sint; ostendit demum, Gubernium Borussicum in suis postulatis vel ab illis limitibus recessisse, quos eidem ipsa doctrina Evangelicorum et civilis legislatio ponit: siquidem neutra harum desideret, ut parochus catholicus ad praestandam matrimonio mixto quolibet in casu activam assistentiam cogatur. 669)

151. *Stimme aus Bayern an die Berliner Protestanten. Die neuesten Vorfälle bezüglich der Behandlung an dem Herrn Erzbischof von Köln, aus dem Standpuncte des Kirchen- und Staatsrechts betrachtet. Von einem Zuhörer des verstorbenen Hermes aber keinem Anhänger seiner Lehre. Regensburg. 1837.* principia genuina de relatione Ecclesiae ad Statum Civilem proponit, eademque ad casum Archiepiscopi Coloniensis adplicando, illum per Summum nefas sede sua deturbatum fuisse demonstrat. 670)

152. (Moritz Lieber,) *Die Gefangennehmung des Erzbischofs von Köln, und ihre Motive rechtlich erörtert von einem praktischen Juristen. Frankfurt a. M. 1837.* magno eruditionis iuridicae adparatu ad discutiendum eventum Coloniensem accedit, ostenditque, formam procedendi a Regimine observatam tam respectu Archiepiscopi qua talis, quam qua subditi iniquam fuisse; primum ideo, quia Archiepiscopi iudex non civile forum, sed Summus Pontifex esse debuerit; alterum vero ideo, quod norma ipsis legibus Borussicis praefinita neglecta fuerit. Addit insuper: obtutum, ex quo quaestio de matr. mixtis considerari debeat, nonnisi hunc esse posse, quod Ecclesia Catholica iudicio de salute cuiuslibet in individuo soli Deo relicto constanter crediderit credatque, se solam esse in possessione integrae revelatae Jesu doctrinae et mediorum salutis, ac propterea matrimonia mixta ob conti-

668) *Grundsätze des Kirchenrechts. 2. Band. Göttingen. 1833. p. 500.*

669) Recensiones: Rheinwald, *allgemeines Repertorium für die theologische Literatur. XXII. B. Berlin. 1838. p. 232.* — Pflanz, *freimüthige Blätter über Theologie und Kirchenthum 1838. 2. Heft. p. 149. 182.*

670) Recensio: Rheinwald, *Repertorium. XXII. B. p. 233.*

nuo impendens periculum salutis et coniugi et prolibus, detestatam fuisse actuque detestari.[671])

153. Franz Th. II. Goszler, *Promemoria oder theologisches Gutachten über den Rechtszustand des erzbischöflichen Stuhles zu Köln seit dem 21. Nov. 1837. Geschichtlich-kirchenrechtliche Abhandlung. Eine bescheidene und parteilose Darlegung der kanonischen Vertheidigungsgründe des Erzbischofs von Köln. Augsburg. 1837.* ita, ut prior, iuridice duntaxat quaestionem hanc disquirendo, a) tam ex tenore Bullae Pii VII. „De salute animarum" coordinationem rei catholicae in Regno Borussiae pro obiecto habentis, quam e Jure Civili Regni huius ostendit, Archiepiscopum per Capitulum Coloniense canonice electum, prout quemvis alium Regni Episcopum non posse spectari tamquam Officialem Status a Regia Maiestate constitutum, ac proin nec potuisse illum de Sede sua deturbari. b) Docet, Capituli Coloniensis, regimen Dioeceseos procurantis, actum non posse fundari in *Cap. 3. de suppl. negl. Prael. in VI.* cum desint conditiones, quae iuxta hoc capitulum ad pronunciandam sedem Praelati *impeditam* requiruntur, unicumque medium in arduo hoc Archidioeceseos Coloniensis statu id superesse, ut Vicarius Archiepiscopi porre quoque huius nomine dioecesim gubernet[672]). Auctor igitur iste de eventu Coloniensi ita iudicavit, prout subseque per Sedem Apostolicam constitutum fuisse in historia narravimus.[673])

154. *Commonitorium ad Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Clementem Augustum Archiepiscopum Coloniensem. Lyon chez Jules Charlier. 1837.* est Epistola prae-

---

671) Recensiones: *Allgemeine Kirchenzeitung. 1838. No. 96.* — *Allgemeine Literaturzeitung. Halle. 1838. No. 29. 30. p 225. 230.* — Gersdorf, *Repertorium der gesammten deutschen Literatur. XVII. B. Leipzig. 1838. p. 424.* — Rheinwald, *Repertorium, XXII. B. p. 232.*

672) Recensiones: Gersdorf, *Repertorium. XVI. B. p. 27.* — Rheinwald, *Repertorium, XXII. B. p. 232.* — *Freimüthige Blätter, 1838. 2. Heft. p. 149. 183.* — *Theologisches Literaturblatt zur allgemeinen Kirchenzeitung. 1839. No. 24.*

673) cf. §. 174.

tensive Lugduni in Gallia edita, reipsa autem Aquisgrano plurium Catholicorum nomine ad Archiepiscopum dimissa, in qua huic exprobratur, quod omni cognitione dioeceseos destituatur, et tamen illam proprio arbitrio, absque aliorum peritorum consilio regere velit; porro quod sua agendi ratione animos Dioecesanorum a se abalienaverit.

§. 204.

Auctores Protestantici ex eodem anno.

In genere notamus: opera, quae ex incidente eventus Coniensis in lucem publicam a Protestantibus edita fuere, paucissimis demtis, omnia in eo esse, ut proceduram Regiminis non modo e legibus civilibus, sed plane ex Sacris Canonibus particularium Germaniae provinciarum, legitimam efficiant, et Archiepiscopum Coloniensem tamquam legum transgressorem, subditorum catholicorum adversus Regimen concitatorem, verbo uti talem depingant, qui principia hierarchica aevi medii resuscitare, perfectamque ministerii sui a Civili Jurisdictione independentiam vindicare adnisus fuerit.

155. Ante alios Auctores commemoramus Scriptum officiosum ex parte Gubernii, auctore, ut passim tenetur, Ministro **Bunsen**, editum sub titulo: *Darlegung des Verfahrens der Preussischen Regierung gegen den Erzbischof von Köln. Berlin. 1837.* cuius scopum et argumentum iam in historia matr. mixtorum exposuimus [674]); hoc loco autem respectu literario de eo adnotamus: id mox in alias lingvas conversum [675]), et a Protestantibus in publicis Ephemeridibus ac operibus periodicis summis laudibus celebratum [676]), ast ab aliis severo examini subjectum, multisve mendis sca-

674) cf. §. 164.

675) *Gallice* prodivit *Bruxellis* sub titulo: *Exposé de la conduite Du Gouvernement Prussien envers l'Archeveque de Cologne. Bruxelles. 1838.*

676) *Allgemeine Literaturzeitung. Halle. 1838. No. 29. p. 225. — Literarische Zeitung. Berlin. 1838. No. 8. — Göttingische gelehrte Anzeigen. 1838. p. 601—636.*

tere detectum [677]), singularibusque libellis, ut inferius dicetur, refutatum exstitisse.

156. *Der Erzbischof von Köln, seine Principien, und Opposition. Nach und mit authentischen Aktenstücken und schriftlichen Belegen dargestellt. Leipzig. 1837.* auctore eodem Ministro Bunsen [678]), editum opusculum isthoc primum describit characterem Archiepiscopi, dum adhuc in urbe Monasteriensi Vicarium Episcopalem ageret, ex libello cumprimis ab ipso anno 1817. sub titulo: „Über die Religionsfreiheit der Katholiken" edito [679]) relucentem, Guberniоque Civili oppositum; dein puncta accusationum velut realia, taliaque proponit, quae Gubernio necessitatem imposuerint, severissime contra eundem Archiepiscopum procedendi. [680])

157. *Zuschrift an das Preussische Rheinland-Westphalen, und wenn es seyn darf, an das gesammte deutsche Vaterland über die Vorgänge in Köln. Von einem Preussen. Preussen. 1837.* Provinciarum Rhenano-Westphalicarum incolis

---

677) *Allgemeiner Religionsfreund. Würzburg. 1839. p. 618.*

678) Probant hoc interni cumprimis characteres, si liber hic cum aliis scriptis a Bunsenio vulgatis conferatur, prout demonstrat auctor operis: *Clementina. Beiträge zur Beleuchtung der kölnischen Kirchenangelegenheit. Frankfurt. 1838. p. 24.*

679) In hoc libello AEpiscopus Droste a) libertatem ac independentiam Ecclesiae a Statu civili, b) communicationem cum Capite Ecclesiae liberrimam, c) bonorum ad sustentationem Ministrorum Ecclesiae necessitatem, d) ius supremae inspectionis ecclesiasticae quoad doctrinam in Institutis literariis tradi solitam, propugnavit.

680) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur Allg. Kirch. Zeit. 1838. p. 875. — Literarische Zeitung. Berlin. 1838. No. 8. — Kirchenfreund für das nördliche Deutschland. Osnabrück. 1838. III. B. p. 38.* — Rheinwald *Repert. XXIV. B. 1839. p. 37.* — De Auctore libelli huius notari adhuc potest: illum pag. 69. * peculiare opus de matrimoniis mixtis sub titulo: „Der Erzbischof von Köln, und die gemischten Ehen in Preussen, mit Rücksicht auf die Preussische Gesetzgebung von den ältesten Zeiten bis zur Gegenwart" se editurum promisisse, sed promissum in praesentem diem haud explevisse.

persuadere conatur singularia merita, quae de Ecclesia Catholica Rex Borussiae sibi comparaverit. [681])

158. *Erwägungen eines Rheinischen Juristen über die Gesetzlichkeit der Verhaftung und Wegführung des Erzbischofs von Köln. Mit Berücksichtigung der geschichtlich-kirchenrechtlichen Abhandlung des P. Goszler. Frankfurt. 1837.* contra Auctorem in titulo laudatum sua dirigens adserta, censet: frustra ad leges Juris Canonici provocari, cum in Provinciis Rhenanis Jus hoc omnem vim obligandi perdiderit, eique legislatio Gallicana successerit: unde plurimas profert leges e Codice Gallicano, ut ius Gubernii Civilis in res religionis probare possit; ast in numero legum harum tales quoque continentur, quae in partibus Rhenanis numquam publicatae erant. [682])

---

2. Literatura anni 1838.

§. 205.

Auctores Protestantici pro defensione Gubernii Borussici, et contra Archiepiscopos scribentes.

159. *Rhapsodische Bemerkungen über die Begebenheiten mit dem Erzbischof zu Köln. Altona. 1838.* valde perfunctorie rem suam agendo, et diversissima a scopo opusculi prorsus aliena commiscendo, proprie nihil ad rem protulit, uniceque matrimonia mixta velut medium ad uniendos Christianos opportunum commendavit. [683])

160. Sack, *Prof. zu Bonn, die katholische Kirche innerhalb des Protestantismus, und ihr Recht vorzüglich in den*

681) Opusculum hoc exigui momenti esse nec Protestantes diffitentur e. g. *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. No. 110:* „Der Verf. hätte wohlgethan, seine Stimme zurückbehalten zu haben. Die Schrift ist eine der unwichtigsten, die in dieser Angelegenheit erschienen sind." cf. etiam *allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 72.*

682) Recensio: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. p. 900.*

683) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. No. 154.* Gersdorf *Repertorium der gesammten deutschen Literatur. XVII. B. p. 119.* — Rheinwald *Repertorium der theol. Lit. XXIV. B. p. 39.*

gemischten Ehen. Köln. 1838. principia, quae occasione eventus Coloniensis per Ecclesiam Romano-Tridentinam, uti vocat, quoad relationem Ecclesiae Catholicae ad Protestantes evoluta sunt, ad trutinam S. Scripturae et historiae revocare studet, et sequentia statuit: a) Ecclesiam Christianam esse universalem, omnia membra Christi sinu suo complectentem — b) notioni huic non obstare diversitatem inter Confessiones religiosas, quamprimum hae in substantialibus conveniunt — c) Protestantes maiori iure, quam Catholicos conceptum ecclesiae catholicae pro se vindicare, cum doctrinam de justificatione et Ecclesiae regimine ab erroribus repurgaverint, et ad biblicas ideas reduxerint — d) supremum ad diiudicandam rem matr. mixtorum principium e mutuo respectu ac aestimio sponsorum repetendum esse, valdeque errare Ecclesiam Romanam, quod partem catholicam plane obliget, ut alteram partem in sinum Ecclesiae Romanae pertrahat, prolesve omnes in fide catholica educet — e) mutuum sponsorum aestimium sic tantum realisari posse, si educatio prolium vel juxta sexum parentum, vel omnium in confessione patris instituenda determinetur. [684])

161. *Hirtenbrief an alle Christen ohne Beinamen bei Veranlassung der gegenwärtigen Zeitereignisse. Von einem würtembergischen Kirchenvorsteher. Aalen. 1838.* iudicium suum de eventu Coloniensi sine partium studio pronunciaturus, Christianos universim alloquitur, et primum naevos Ecclesiae Romanae in dominatu Cleri, in sanctificatione operum, in studio sectae repositos describit, tum Archiepiscopum Coloniensem condemnat, eiusque agendi rationem fanaticam ac despoticam nominat; tandem provocat Christianos, ut iugum auctoritatis Papalis excutiant, et persuasioni de Ecclesia Catholica tamquam sola salvifica renuncient, proinde adversus mixta coniugia non consurgant. [685])

684) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 431.* — *Kirchenfreund für das nördliche Deutsland. 1838. p. 269.* — *Theol. Literaturblatt zur Allg. K. Z. 1839. No. 22. 94. p. 756.* — Rheinwald *Repertorium. XXIX. B. p. 225.*

685) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1839. No. 22.* — *Katholische Blätter. Zürich. 1839. XXII. Lief. p. 215.*

162. **Wedanus Eremita**, *über die Amts-Suspension des Erzbischofs von Köln. Vom Standpuncte des Christenthums und des deutschen Staatsrechts. Neuwied. 1838.* quaestionem hanc non e Jure Canonico, sed Civili Borussico, item e relatione Praelati qua subditi metiendam censens, praeprimis circa praetensam sponsionem de observanda Instructione anni 1834. se diffundit, et normam in mixtis matrimoniis ab AEppo Droste adhibitam spiritui evangelii, ac disciplinae primaevae Ecclesiae, matrimonia cum infidelibus tolerantis, repugnare asserit. [686])

163. **Irenaeus**, *über die Cölnische Angelegenheit. Darstellungen, Betrachtungen und Vorschläge. Leipzig. 1838.* praemisso: se a viginti et amplius annis solerter intendisse, quidnam Regimen Borussicum in Provinciis Rhenano-Westphalicis in commodum Ecclesiae Catholicae egerit, asserit se propria experientia testimonium super eo perhibere posse, nil ex parte Regiminis admissum esse, e quo Catholici seu querulandi, sive religioni suae metuendi iustam ansam haberent; illa etiam, quae circa matr. mixta constituta sunt, cum e natura rei, tum e praxi aliorum Regnorum commendat. Ad relationes dein AEppi Droste cum Regimine descendens, characteri illius opponit Antecessoris Com. Spiegel sapientem cum Gubernio agendi rationem, ope cuius salutaria in re matr. mixtorum consilia Gubernio suggesserit. Principia Bar. Droste, quae is partim qua Vicarius Monasteriensis in effectum deduxerit, partim in libello suo a. 1817. edito vulgaverit, talia esse adstruit, quae a nullo Civili Gubernio adoptari valeant. Uno verbo AEppum Droste penitus condemnat. Ad tollendas vero in futurum collisiones ceu medium optimum projectat: ea, quae ad promovendum commune bonum Status pertinere dignoscuntur, motu proprio sine ulla negotiatione cum Aula Romana decernendi, in

686) Recensiones: **Gersdorf** *Repertorium. XVII. B. p. 119:* „durchaus nur das allergewöhnlichste, ohne allen Anspruch auf wissenschaftliche Begründung" — *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1839. p. 171.* — *Literarische Zeitung. Berlin. 1839. No. 12.* — **Rheinwald** *Repertorium. XXV. B. p. 148.*

specie autem quoad matr. mixta normam, iuxta quam omnes proles in confessione patris educandae sunt, his cum modificationibus adoptandi: ut patri ius sit etiam aliter de prolibus suis disponere, promissio tamen praevie non exigatur, et proles prima semper a ministro religionis, cui pater addictus est, baptisetur. [687]

164. Bessel, *Landgerichtspraesident in Saarbrücken, die Rechtsgrundsätze in der erzbischöflichen Streitsache. 1838.* contra opus Auctoris sub No. 153. laudati suum dirigit libellum: et innumera decreta, potissimum e Codice Gallicano, profert, ut supremam Civilis Gubernii auctoritatem in rebus religionis probet: tum concludit, AEppum Coloniensem activitatis suae limites transiliisse, violatarumque legum reum se fecisse. [688]

165. *Die katholische Kirche in der preussischen Rheinprovinz, und der Erzbischof Clemens August von Köln. Ein Beitrag zur Cultur- und Sittengeschichte des XIX. Jahrhunderts. Von einem Sammler historischer Urkunden. Frankfurt. 1838.* exigui momenti: adversus Auctorem celebris operis a. 1835. de persecutionibus Ecclesiae Catholicae in Regno Borussico editi [689], demonstrare studet, Regiminis Borussici intentionem numquam fuisse Ecclesiae Catholicae adversam. [690]

166. *Entweder — oder: wem ist zu trauen, der Krone, oder der Bischofsmütze? Beleuchtung der politischen und religiösen Principien der Partei des Kölner Erzbischofs. Von*

687) Recensiones: *Göttingische gelehrte Anzeigen. 1838. p. 1409.* — Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 417.* — *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1839. p. 172.* — Rheinwald *Repertorium. XXV. B. p. 143.* — *katholische Blätter. Zürich. 1839. IV. Lief. p. 97.*

688) Recensiones: *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. No. 109.* — *Literarische Zeitung. Berlin. 1839. No. 11.* — Rheinwald *Repertorium. XXXI. B. p. 137.*

689) cf. §. 162. No. 137.

690) Recensiones: *Theol. Literaturblat zur allg. K. Z. 1838. p. 900.* — *Heidelberger Jahrbücher der Literatur. 1838. p. 387.* — Gersdorf, *Repertorium. XVI. B. p. 23.* — *Allgemeine Literatur-Zeitung. 1838. No. 91.* — Pflanz, *freimüthige Blätter. 1838. 2. Hft. p. 196. 205.* — Rheinwald, *Repertorium. XXV. B. p. 143.*

einem Geistlichen, der ausgeschlafen. Stuttgart. 1838. Libellus hic, qui in publicis Ephemeridibus nunc *Paulusio* Heidelbergensi, nunc *Joanni Pflanz* Presbytero in Würtembergia, iam *Ernesto Münch* Bibliothecario Regis Würtembergici, iam *Carolo Alex. Reichlin-Meldegg*, iam denique *Alexandro Müller* adscribebatur [691]) meras continet expostulationes, veramque satyram contra acta factaque AEppi Coloniensis. [692])

167. Julius Homan, *das Streben nach Wiedererlangung des hierarchischen Absolutismus, in Verbindung mit den Handlungen des Erzbischofs von Köln. Hanau. 1838.* nullius prorsus pretii, contra sententiam Summi Pontificis in causa AEppi Coloniensis depromtam scripsit.

168. *Ein Wort über das Verhältniss zwischen Staat und Kirche. Veranlasst durch das neueste kirchliche Ereigniss zu Köln. Keine Streitschrift. Von einem evangelischen Laien. Erfurt. 1838.* plenam perfectamque suprematiam tribuit Civitati in Ecclesiam, Principemque Civilem omnium Ecclesiarum in suo territorio caput facit, Ecclesiam nonnisi in qualitate opinionis considerando, cuius placita Civitas examini subiicere valeat. AEppo Coloniensi intentionem tribuit, non modo suam sed et reliquas dioeceses illimitatae dominationi Curiae Romanae subiiciendi. [693])

---

691) Primi quatuor in Ephemeridibus protestati sunt contra originem libelli ipsis adscriptam.

692) Recensiones: Pflanz, *freimüthige Blätter. 1838. 2. Heft. p. 151. 191.* — Gersdorf *Repertorium. XVI. B. p. 19.* — Rheinwald, *Repertorium. XXIV. B. p. 38. 43.* — *Allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 72.*

693) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. p. 878.* — Pflanz, *freimüthige Blätter. 1838. 2. Heft. p. 247. 288:* „Der Verf. hat die Religion und die Kirche dem Staate in einer Weise untergeordnet, wodurch nicht nur diese zu einer blossen Staatsanstalt herabsinkt, sondern jene zu einem Werkzeuge in der Hand der Regierungen werden, womit sie schelten und walten können, wie sie wollen. Eine solche Theorie kann die protestantische Kirche so wenig zugeben, als die katholische, wenn nicht beide sich selbst aufgehen sollen." — Rheinwald *Repertorium. XXVII. B. p. 217. 226.*

169. *Die gemischten Ehen. Ein Versuch, die in Rheinpreussen erhobene Streitfrage in ihrer wahren Bedeutung darzustellen. Stuttgart. 1838.* benedictionem matrimoniis mixtis propterea, quod educatio catholica omnium prolium praevie promissa non sit, denegari aegre ferens, uberius de ea disserit, propugnatque sequentia: a) Romanae Ecclesiae potestatem eousque minime extendi, ut, quod antea leges ecclesiasticae diserte indulserunt, certis conditionibus subiiciat, praesertim in Germania, ubi Catholici Protestantibus intermixti iisdem reguntur legibus. b) Denegationem benedictionis in Germania periculosas sequelas post se trahere posse. c) Alia Ecclesiae suppetere media, partem catholicam obligationis suae admonendi, puta adhortationes opportunas etc. d) Status Publici interesse, ut videat, qualemnam Episcopi ac Presbyteri in cives exserant influxum, benedictionemque nuptialem non esse ritum mere religiosum. e) Regimen Borussicum iure declaravisse, se haud toleraturum, ut matr. mixta pure ob non promissam educationem catholicam prolium benedictione destituantur. [694])

170. Kahldorf, *Berlin und Rom. Unpartheiische Betrachtungen über den Conflikt der preussischen Staatsregierung mit dem römischen Stuhl. Leipzig. 1838.* Romani Pontificis auctoritatem hodie prorsus superfluam, resque Ecclesiarum particularium absque omni influxu Curiae Romanae per Gubernia Civilia coordinandas esse propugnat, miraturque Regiminis Borussici patientiam, quod AEppum Coloniensem principiis Curiae Romanae conformiter agere permiserit. [695])

694) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 432:* „Die Behauptung, dass die Kirche zur Einsegnung gezwungen werden könne, verräth eine Anmassung, welche gerügt werden muss, um so mehr, da ausser einigen seichten, zum Theil nicht einmal passenden Beispielen Nichts zur Begründung beigebracht ist." — *Theologisches Literaturblatt zur allgemeinen Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. No. 121. p. 979.* — Rheinwald, *Repertorium für die theologische Literatur und kirchliche Statistik. XXIX. B. 1840. p. 225. 242.*

695) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 117.* — Rheinwald, *Repertorium. XXVII. B. p. 217. 230.*

171. *Der Erzbischof von Köln, und seine Angelegenheit. Zum ersten Mahle vollständig, gründlich, wahrhaft, und unpartheiisch dargestellt, und beleuchtet, von einem Rheinpreussen. Nordhausen. 1838.* Archiepiscopum iam vel ideo condemnat, quod unus ac solus ex Borussiae Episcopis leges civiles circa matr. mixta hostiliter adgredi praesumserit.[696])

172. Walter, *das Privat- und öffentliche Leben des Erzbischofs von Köln. Nach den besten Quellen geschildert. Hanau. 1838.* vitam sive biographiam AEppi Droste describit, et circumstantiam illam, quod is verbum suum de observanda Instructione anni 1834. Ministro R. datum fregerit, et singularibus de Religione, et Ecclesia ideis, ex summo erga aliter credentes odio, ex personali contra suum Antecessorem inimicitia explicat.[697])

173. *Auflehnung und Umtriebe des Erzbischofs von Köln gegen König und Staat. Nebst Beleuchtung des Benehmens der römischen Curie in dieser Angelegenheit. Quedlinburg und Leipzig. 1838.* atrocissimas adversus Hierarchiam Ecclesiae Catholicae invectivas continet: in AEppo Droste exemplar sistere cupit perpetui studii ad pristina ignorantiae et ruditatis tempora redeundi: propugnat quoque supremam Regis in sacra potestatem.[698])

174. Wilhelm Schröter, *die Amtsentsetzung des Erzbischofs von Köln durch die kön. preuss. Regierung nach dem Grundsatze einer ächt christlichen Politik gewürdigt. Leipzig. 1838.* fere eodem, ac prior libellus, modo, styloque valde vehementi in AEppum et Summum Pontificem invehitur.[699])

---

696) Recensiones: Gersdorf *loc. cit. p. 118.* — Rheinwald *Repertorium. XXV. B. p. 142.* — *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1839. p. 758.*

697) Recensiones: Gersdorf *loc. cit. p. 122.* — Rheinwald *Repertorium. XXIV. B. p. 38.* — *Theol. Liter. zur allg. K. Z. 1840. No. 34. p. 272.*

698) Recensio: Gersdorf *Repertorium. XVI. B. p. 20.*

699) Recensiones: Gersdorf *loc. cit. p. 21.* — Rheinwald *Repertorium. XXV. B. p. 142.*

175. *Kurze und unpartheiische Beschreibung der Bischofsangelegenheiten in Cöln. Von einem Sachsen aus gemischter Ehe. Leipzig. 1838.* est compendium ex scripto Regiminis officioso [700]) deductum, et quoslibet Gubernii passus probans. [701])

176. *Die Tiare und die Krone, oder der Kampf zwischen Rom und Berlin, mit allen Aktenstücken, welche sich auf die Kölner Sache beziehen, urkundlich, unpartheiisch, umfassend dargestellt. Stuttgart. 1838.* post longiorem de Potestatis Ecclesiasticae vicissitudinibus historicam inductionem, legislationem Borussicam circa nuptias mixtas exponit, eandemque instar medii considerat, quo Curiae Romanae nisus ad evertendum protestantismum directus reprimi possit. De AEppo Droste affirmat, illum influxu Jesuitarum potenter adiutum fuisse. [702])

177. Bergmann, *Stimme der Zeit über das römische Papstthum, hervorgerufen durch die neuesten Ereignisse zu Köln. Weimar. 1838.* contra Romanum Pontificem detonat, qui in casu Coloniensi se nimis exosum reddiderit. Libellum hunc nullius pretii esse, ipsi Protestantici censores animadverterunt. [703])

178. *Über den Kampf des Papstthums gegen die Staatsgewalt, und den wahrscheinlichen Ausgang desselben. Halle.*

---

700) cf. §. 164. et 204. No. 155.

701) Recensio: Gersdorf *Repertorium. XVI. B. p. 22.*

702) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 116:* „Der Verf. hält den Conflikt der Ideen, welcher seit langen Jahrhunderten die christliche Welt bewegt hat, für einen Kampf zwischen Rom und Berlin, und beurkundet eben dadurch seine Unfähigkeit zur Stimmgebung auf das Deutlichste. An groben Schnitzen fehlt es eben so wenig als an Verläumdungen." — Rheinwald *Repertorium. XXV. Band. p. 143.*

703) Recensiones: Gersdorf *loc. cit p. 117:* „Eine jämmerliche Production, deren Verfasser mit einer aus Löscher's Historie des römischen Hurenregiments und einer Menge alter verstaubter schriftgeschöpften Gelehrsamkeit dem Papste so gräulich mitspielt, dass es selbst einem rechtgläubigen Protestanten weich zu Muthe werden könnte." — *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. p. 907. 1213.* — Rheinwald *Repertorium. XXIV. B. p. 39.*

1838. Apostolicae Sedi interitum minatur, nisi alia media ad sui conservationem arripuerit; Regimina vero provocat, ut legibus suis de mixtis nuptiis porro quoque firmiter, eoque firmius insistant, quo certius est, praxi Romana in usum deducta Protestantismum emoriturum. [704])

179. *Der Sturm auf dem Rhein. Vier Unterhaltungen mit Schiffern über die Frage: welche sind die wahren Freunde und Feinde der kath. Kirche? Leipzig. 1838.* populari stylo proponit historiam controversiae Coloniensis, doctrinam catholicam de una salvifica traducit, et Cleri mixta matrimonia benedicere recusantis factum castigat. [705])

180. *Die Grundsätze des preussischen Rechts über das Verhältniss von Staat und Kirche. Königsberg. 1838.* doctrinam Juris Civilis Borussici de relatione inter Ecclesiam et Civitatem exponit, regique supremam in res ecclesiasticas tribuit potestatem: quoad mixta connubia defendit normam illam, vi cuius proles usque annum aetatis 14. in confessione patris educandae sunt. [706])

181. *Aktenstücke über die Behandlung der gemischten Ehen in Preussen. Friedberg. 1838.* recenset documenta ad Conventionem Berolinensem anni 1834. spectantia.

182. *Sammlung einiger Landesgesetze über gemischte Ehen. Berlin. 1838.* profert 56. leges in variis Regnis circa mixtorum coniugiorum copulationem et prolium religionariam educationem tam antiquiori quam recentiori tempore perlatas: tum subiicit nonnullas animadversiones circa quaestionem istam de matr. mixtis; in illis nimirum a) principia legislationis civilis ita proponit, ut appareat, leges esse tantum subsidiarias dispositiones pro eo casu deservientes, dum parentes de religione a prolibus tenenda non conveniunt; b) sensum ac mentem Ecclesiae Catholicae sic exponit, ut existentiam legis matr. mixta stricte prohibentis, aut omnium prolium catholicam educationem iubentis neget;

---

704) Recensiones: *Allgemeine Liter. Zeit. 1838. No. 91.* — Rheinwald *Repertorium. XXV. B. p. 143.*

705) Recensio: *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1839. No. 93.*

706) Recensio: *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1840. No. 89. p. 722.*

c) principium hoc in Germania semper obtinuisse persuadere nititur. [707])

183. Buddeus, *über die gemischten Ehen. Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste von Ersch und Gruber. I. Section. 31. Theil. Leipzig. 1838. p. 345—352.* multa profert contra desiderium Cleri Catholici, ut ante copulationem mixtorum matr. educatio omnium prolium catholica promittatur; decisa Romana tantum particularia esse, et non pro tota Ecclesia obligantia memorat.[708])

184. Heinrich G. E. Paulus, *der wieder lautgewordene Principienkampf zwischen römischer Hierarchie, und deutscher Staatsrechtlichkeit. Nebst unpartheiischen Gedanken, wie der Streit aus der Wurzel geheilt werden könnte. Heidelberg und Leipzig. 1838.* pro suprema regia in causis civilibus aeque ac religiosis potestate pugnat; Conventionem vero Berolinensem anni 1834. summis effert laudibus, affirmare non dubitans: Archiepiscopum C. Spiegel illam ineundo non aliud fecisse, quam quod Benedictus XIV. pro Hollandia a. 1741. concessit, ea duntaxat cum differentia, quod prior principiis tolerantiae a temporibus Papae Benedicti uberius evolutis suas concessiones accomodaverit. Ex conflictu non alium elabendi modum superesse tenet, quam si Systema Episcopale in vitam revocatum, et Episcopis ius de gravioribus fidei quaestionibus in communi sententiam pronunciandi restitutum fuerit, item si Status Publicus non attento Sedis Romanae dictatu propria sua auctoritate id constituerit, quod publica salus deposcit, inprimis autem impediverit, ne dogma de una salvifica tradatur. [709])

185. (Delbrück) *noch ein Wort über gemischte Ehen in Bezug auf die Kölner Frage. Von einem Protestanten. Halle. 1838.* praxim circa matr. mixta in R. Borussiae vigentem

707) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII, B. p. 429. — Katholische Kirchenzeitung. Frankfurt. 1838. b. 767.*

708) Doctrinam de matr. mixtis pro parte Catholicorum juxta *Ferdin. Walter*, pro parte autem Protestantium secundum *Eichhornii* Jus Canonicum proponit.

709) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. No. 92. 93. — Allgemeine Literatur-Zeitung. 1839. No. 153.*

laudat ea sui parte, qua sponsionem de educatione religionaria prolium a nubentibus exigi prohibet; Clerum Catholicum vero nullo iure gaudere benedictionem nuptialem negandi inde concludit, quod talis denegatio partem catholicam in perplexitates et angores coniiciat, porro dogma de una salvifica in Germania omnem vim amiserit, ipsaque Romana Sedes in materia hac saepius notabiles concessiones fecerit. [710])

186. *Die richtigste Auffassung des jüngsten Ereignisses mit dem Erzbischof zu Köln vom kirchenhistorischen Standpuncte zur versöhnenden Beherzigung für alle deutschen Patrioten beider Konfessionen. Hildburghausen und Meiningen. 1838.* eventum Coloniensem velut nationalem, totam Germaniam concernentem describit, per illumque antiquum bellum Germanorum cum Aula Romana instaurari ait: proiectatque, ut Borussia omnem cum Sede Romana nexum abrumpat, Episcoposve ad regendas iuxta canones priscae Ecclesiae dioeceses suas inviet. [711])

187. *Rationaler und historischer Standpunct zur Beurtheilung des Verhältnisses zwischen Staatsregierungen und dem Römischen Stuhle in Beziehung auf gemischte Ehen; mit einem Rückblicke auf die Kölner Angelegenheit. Von einem Katholiken. Köln. 1838.* Auctoris huius operis, qui se catholicum dicit, reipsa autem protestans est [712]), sequentia adserta prae ceteris notanda sunt: a) soli Statui Civili competere potestatem legislativam in re mixtorum matr. b) Episcopos propio motu in hoc negotio procedere debere. c) Matr. mixta posse quidem per naturalem consequentiam e dogmate de una salvifica tamquam absolute illicita deduci, at in Germania id minime subsistere, cum ipsi plane Ponti-

---

710) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. 432.* — Rheinwald *Repertorium. XXIX. B. p. 225. 244.* — *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1840. No. 89. p. 722.*

711) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt loc. cit. No. 36.* — Gersdorf, *Repertorium. XXI. B. p. 114.*

712) Idem censetur esse cum auctore operis: *Über die Ehen zwishen Katholiken und Protestanten. Köln. 1830.* de quo in Epocha V. sermo fuit.

fices Romani illa in casibus quibusdam uti meritoria et salutaria crediderint. d) Statum Civilem quoad conditiones illas, ut coniux catholicus imperturbate suam religionem exerceat, et pars altera ad sinum Ecclesiae reducatur, indifferentem quidem esse posse: ast non etiam quoad conditionem de educandis in fide Catholica liberis, hancque tum ideo, quod ante Benedictum XIV. in usum deducta haud fuerit, tum quod Pius VIII. in suo Brevi de an. 1830. nil positivi de illa statuerit, tolerandam non esse. [713])

188. *Die Kölner Frage geprüft nach Rheinischen Gesetzen von einem Rheinländer. Glossen zu der Schrift „eines praktischen Juristen." Frankfurt. 1838.* refellere adnititur auctorem opusculi No 152. laudati: sed multa ad rem nequaquam facientia in medium adfert, totusque est in laudibus cumulando Regimine Borussico ob faveres Catholicis praetensive collatos. [714])

189. (Fetzer) *welche Folgen dürfte die Fehde haben, die der Erzbischof von Köln veranlasste? Erwogen von dem Verfasser des Buches: „Teutschland und Rom." Reutlingen. 1838.* extractum continet ex opere, quod Auctor occasione solennitatis iubilaris Reformationis anno 1830. adversus Ecclesiam Romano Catholicam edidit [715]); et provocat Gubernia Politica, ut omnem cum Romano Pontifice nexum abrumpant. [716])

---

713) Recensiones: *Theol. Liter. blatt zur allg. K. Z. 1839. No. 121.* — Gersdorf *loc. cit. p. 124.* — Rheinwald *loc. cit. p. 225. 248.*

714) Recensiones: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. p. 899.* — Rheinwald *Repert. XXII. B. p. 234.* — *Literarische Zeitung. Berlin. 1839. No. 11.*

715 Auctoris huius sententias contra Primatum RR. PP. directas in opere: *De Primatu R. P. eiusque iuribus. Agriae 1841.* saepius pro merito castigavimus.

716) Recensiones: *Herold des Glaubens. Aschaffenburg. 1838. p. 540. 556.* — Gersdorf *Repertorium. XVI. B. p. 18*: „überaus flache Flugschrift! wie gründlich der Verf. den Ereignissen gefolgt sey, geht daraus hervor, dass er von einem Wiederrufe des Gr. Spigel erzählen, den Bischof von Trier mit diesem letztern verwechseln kann!"

190. (Fetzer) *Der Hirtenbrief des Erzbischofs von Gnesen. Geschichtlich, staats- und kirchenrechtlich, und weltbürgerlich-christlich zergliedert vom Verfasser: „Deutschland und Rom." Reutlingen. 1838.* commentarium vulgat in epistolam pastoralem AEppi Posnaniensis ac Gnesnensis de mixtis matrimoniis initio anni 1838. editam. Magno cum furore in eam invehitur, Bullam Benedictinam de an. 1748. pro Polonia datam in Borussia non amplius obligare, imo principia in illa contenta aliis Benedicti XIV. sententiis contraria esse, asserere non erubescit. [717])

191. Krug, *Konflikt zwischen geistlicher und weltlicher Macht in Sachen des Erzbischofs von Köln. Versuch einer Entscheidung aus dem Standpuncte des Kirchen- und Staatsrechts, allen deutschen Rechtscollegien gewidmet. Leipzig 1838.* offensus adserto celebris *O'Connellii* de Casu Coloniensi pronunciato [718]), defendit: proselytismum a labe hypocrisis item fraudis ac violentiae vix unquam immunem esse, probarique non posse; ius vero Regiminis Protestantici Episcopos Catholicos deponendi inde probat, quod nil obstet, quominus Regimen Protestanticum tamquam supremum quoad res ecclesiae tribunal pari modo ac Gubernia pure Catholica, ius illud exerceat, idque eo magis, quia sanctiones Juris Canonici Principes Protestanticos non obligent, et in casu Coloniensi de re pure disciplinari agatur, nimirum de eo, ut proselytismo Catholicorum omnes proles e matr. mixtis in fide catholica educari volentium modus ponatur. [719])

192. Heinrich Fr. Jacobson, *über die gemischten Ehen in Deutschland, und insbesondere in Preussen. Leipzig. 1838.* ceteris magis seria mente ad pertractandam quaestionem hanc accessit, et sequentia propugnavit: a) Protestan-

---

717) Recensio: *Theolog. Literaturblatt zur allgem. Kirch. Zeit. 1839. p. 981.*

718) cf. §. 187.

719) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. No. 108. — Literarische Zeitung. Berlin. 1838. No. 8. p. 147:* „die gutgemeinte Schrift des alten Krug enthält nichts, als vage Allgemeinheiten." — Rheinwald *Repertorium der theol. Liter. XXIV. B. p. 39.*

tes post Pacem Westphalicam et Congressum Viennensem pro haereticis ne ecclesiastico quidem respectu haberi posse, cum dogma de una salvifica in Germania frustra tradatur. b) Nec a Romanis Pontificibus principia veteris Ecclesiae de matr. mixtis, Protestantium cum Catholicis connubiis applicari, sed solum id agi, ne Protestantes Catholicis pares fiant, et hinc mediam viam in dispensatione a praetenso impedimento cultus disparis inventam esse. c) Disciplinam Ecclesiae Catholicae admodum variasse, et fixo alicui principio innixam non fuisse, nec generale quodpiam Breve Pontificium pro Germania emanasse. d) Episcopos proprio motu quaestionem hanc controversam decidere posse, idque a Germaniae Praesulibus nominatim in eo ostensum esse, quod impedimentum cultus disparis nequaquam adoptaverint. e) In benedictione sacerdotali parum reponi posse, cum ex sententia ipsorum catholicorum sacramentum matrimonii non presbyter, sed contrahentes administrent. [720])

193. Freyherr von Gagern, *Ansprache an die deutsche Nation über den Vorgang zu Cöln. Zur Besänftigung und Verständigung. Frankfurt. 1838.* proprio exemplo docere vult, mixta matrimonia felicia esse posse, cum ipse quoque in mixto vivat matrimonio, in quo iuxta praeviam conventionem proles secundum sexum parentum in religione eorumdem educantur pacifice. Non negat Ecclesiae interesse, ut principia, e quibus matr. mixta dissuadet, constanter retineat; sed illa per conditiones Protestantibus iniuriosas impediri non debere asserit; benedictionem vero denegari aegre fert, quod sola civilis copulatio indifferentismum religiosum nutriat. Peculiarem quoque allocutionem dirigit ad AEppum Droste, vitio illi vertens, quod Curiae Romanae serviliter obsequi potius, quam Antecessoris sui vestigia sequi in animum suum induxerit. Ad componenda tandem dissidia proiectat: a) mutuam conventionem inter imperium et Sacerdotium ad normam illius Berolinensis de an. 1834. ut permittatur fieri quod mutari nequit; b) Concordatum, c) Conci-

720) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XXI. B. p. 126.* — Rheinwald *Repertorium. XXIX. B. p. 224. 238.*

lium, cui R. Pontifex subsit, d) reformationem Cardinalium, ita, ut proportio inter Nationes servetur. [721])

194. *Die römisch-hierarchische Propaganda, ihre Partei, Umtriebe, und Fortschritte in Deutschland. Mit Rückblicken auf die Opposition des Erzbischofs von Köln nach unumstösslichen Thatsachen geschildert vom Verf. der Schrift: Der Erzbischof von Köln, seine Principien und Opposition. Leipzig. 1838.* Auctor libelli huius idem, qui priori §. Nro. 156. iam nominatus fuit, praeter invectivas in Sedem Romanam, quasi haec tam diplomaticis quam occultis viis medii aevi dominium restaurare velit, nihil continet. [722])

195. *Die römische Curie im Kampf um ihren Einfluss in Deutschland, veranlasst durch die Opposition des Erzbischofs von Köln gegen Preussen unter Mitwissenschaft Rom's und das Verdammungsbreve des Hermes'schen Lehrsystems. Vom Verf. der Schrift: Der Erzbischof von Köln, seine Principien und Opposition. Leipzig. 1838.* idem Auctor, ac prioris libelli, non minus in isto, quam superiori detonat adversus Romanam Sedem, quod in Germania absolutam monarchiam excitare satagat, proiectat scissionem ab Ecclesia Romana, erectionemque Ecclesiae ab ea indepedentis. [723])

196. *Polemische Blätter. Vom Verf. der Schrift: Der Erzbischof von Köln, seine Principien und Opposition. Leipzip. 1838.* nullius momenti, fereque tantum versionem continens libelli a nobis iam superius §. 203. Nro 154. commemorati. [724])

197. *Sendschreiben an den Erzbischof vòn Gnesen und Posen Martin Dunin. Eine Antwort auf dessen Rundschreiben vom 30. Jan. 1838. Von einem evangelischen Geistli-*

---

721) Recensiones: *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. No. 109.* — *Allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 70.* — Rheinwald *Repertor. XXVII. B. p. 216.*

722) Recensiones: *Allgemeiner Religionsfreund. 1838. p. 809.* — *Literarische Zeitung. Berlin. 1838. No. 8.* — Rheinwald *Repertorium. XXIV. B. p. 37.*

723) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. No. 107.* — Gersdorf *Repertorium. XV. B. p. 422.*

724) Recensio: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 121.*

chen. Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1838. Nro. 123—125. contra literas pastorales AEppi Posnaniensis, praeprimis vero contra sponsionem de catholica omnium prolium educatione calamum strinxit.

§. 206.

Auctores Catholici pro defensione mixtorum matrim.

198. 199. Carové, *Papismus und Humanität. I. Heft: Deutschland, und Rom. II. Heft: Preussen und der Katholicismus. Mit Bezug auf die Kölnischen Irrungen. Leipzig. 1838.* item: *Worte des Friedens. Mit Bezug auf die Kölnischen Irrungen. Leipzig. 1838.* praeter recensionem criticam de nonnullis operibus Eruditorum ex incidente eventus Coloniensis editis, nil nisi consuetas adversus Ecclesiam Romanam detonationes et invectiones continet. [725])

200. (Wedel) *katholische Rufe aus den Rheinlanden an alle Christen. Von einem rheinpreussischen Katholiken. Altenburg. 1838.* sensa Catholicorum provinciae Rhenanae circa eventum Coloniensem proponere se velle ait, ast demtis paucis valde superficialiter hanc in rem adductis, totum se diffundit circa ea, quae recentissimo tempore in Dioecesi Trevirensi in objecto projectatae reformationis Cleri, lithurgiaeque acta sunt. [726])

201. Pflanz, *der römische Stuhl und die Kölner Angelegenheit. Erörterungen von Katholiken, welche festhalten an dem Grundsatze des h. Augustinus: „in necessariis uni-*

725) Recensiones: *Theolog. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. Nro. 111. — Katholische Kirchenzeitung. Frankfurt. 1838. p. 198. — Hallische Jahrbücher für deutsche Wissenschaft und Kunst. 1838. p. 332.* — Gersdorf *Repertorium. XVI. B. p. 20. XVII. p. 123.* — Rheinwald *Repertorium. XXIV. B. p. 39. XXVII. B. p. 217. 230. — Freimüthige Blätter über Theol. XVII. B. p. 120.*

726) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 121:* „ein schwacher Nachhall der verunglückten Reformationsversuche aus der Diöcese Trier! gut gemeint, aber gar nicht mehr katholisch!" — Rheinwald *Repertorium. XXVII. B. p. 216. — Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1839. p. 174.*

tas, in dubiis libertas, in omnibus caritas." *Stuttgart. 1838.* conflictus inter sacram et civilem Potestatem causam in incerta et non sat clare definita relatione Ecclesiae Germanicae ad Statum Publicum ac Hierarchiam ponens, ad illam debite cognoscendam statuit principia, quae Josephus II. Caesar proposuit, item quae in scripto officioso super eventu Coloniensi per Regimen Borussicum edito continentur. De mixtis matrimoniis tradit: partem catholicam, quae mixtum init matrimonium, non peccare, cum nulla sit lex tale connubium prohibens; imo nec tunc illam peccare, si iuxta leges Borussicas mixtum matr. contrahat, cum conditio de educandis catholice liberis recentioris sit originis et in Rescriptis tantum Pontificiis fundata, proinde nec universali vi obligativa pollens, nec inter se satis cohaerens. Post haec principia Regimini Borussico laudes tribuit, ab eoque, dum Episcopis Romam recurrendi fecit libertatem, plus praestitum fuisse asserit, quam desiderari potuisset.[727])

202. *Rom gegenüber dem Protestantismus. Anrede eines deutschen Praelaten an Seine Päpstliche Heiligkeit in Höchstihrem geheimen Consistorium über den Vorgang zu Köln. Aarau. 1838.* in forma allocutionis ad Summum Pontificem inducit Praelatum Germaniae de eventu Coloniensi sequentia proponentem: a) merito deplorandum casum Coloniensem, eumque intermissae celebrationi Synodorum adscribendum esse. b) in eo erratum fuisse, quod AEppus Coloniensis tum Hermesianismi, tum matr. mixtorum negotium ex se ad Synodalem pertractationem spectans, proprio motu non audito Capitulo tractaverit. c) Ecclesiae Catholicae nullum per id inferri praeiudicium, si matr. mixta per parochos indiscriminatim benedicantur, cum benedictio sit tantum formalitas, cuius ope officia christianorum coniugum solenniter inculcantur; et insignis foret contradictio: non

---

727) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 114.* — Rheinwald, *Repertorium. XXV. B. p. 148. 155.* — *Hallische Jahrbücher. 1838. p. 1209.* plures errores et contradictiones Auctoris detegit.

benedicere mixtas nuptias, et tamen iis adsistere. d) Leges Borussicas non repugnare legibus universalis Ecclesiae. [728])

203. *Krone und Tiare. Friedensstimme aus Münster. Von einem Katholiken. In Bezug auf die Kölner und Posener Angelegenheit. Münster. 1838.* duplici ex obtutu expendit eventum Coloniensem: a) practico, asserens, ex ignorantia nonnisi et odio erga Regimen proficisci potuisse tantum conflictum duarum potestatum, cum in iis, ob quae AEppo Coloniensi tam funesta illuxit dies, non Ecclesiae sed Regiminis Civilis sit sententiam dicere; b) theoretico: Statui Civili ius tribuens, contra principia de matr. mixtis in Brevi Pii VIII. de a. 1830. proposita subditos suos protegendi. [729])

204. *Worte eines katholischen Geistlichen über die Kölnischen Irrungen. Landgespräche und Betrachtungen für Gebildete. Berlin und Köln. 1838.* in forma dialogi popularis inter pastorem et docentem scholae multa profert in laudes Gubernii Borussici, quasi id Ecclesiam Catholicam peculiariter foveat ac protegat. Tum sub titulo: „Tieferes Eingehen in das Thema über die Angelegenheit der gemischten Ehen" de matr. mixtis nonnullas reflexiones subiungit; signanter de promisso AEppi super observanda Instructione ac Conventione anni 1834. quo AEppum Droste reipsa obligatum, consultiusque facturum fuisse statuit, si perspecta diversitate inter Breve et Instructionem, perplexum situm suum Regio Ministerio aperuisset et pro re nata Sedi quoque Apostolicae exposuisset.

205. *Eine Stimme aus Belgien über den päpstlichen Stuhl und seine Diener hinsichtlich der hermesianischen Lehre, der Cölner Angelegenheit und der Freimaurer. Aus dem*

---

728) Recensiones: *Allgemeine Kirchenzeitung für Deutschland und die Schweiz. 1838. p. 412. 419.* — Gersdorf *Repertorium. XXI. B. p. 119.* — Rheinwald *Repertorium. XXVII. B. p. 216. 225.* — Dr. Fridolinus Huber, *freimüthige Blätter über Theologie. XVI. B. p. 368.* uberius evolvit allocutionem Praelati istius in sensu Sedi Romanae et AEppo Coloniensi minime favente.

729) Recensiones: *Literarische Zeitung. Berlin. 1839. Nr. 14.* — Rheinwald *Rep. XXVII. B. p. 216. 220.*

Französischen. Leipzig. 1838. in forma epistolae ad Episcopum Leodiensem *Van Bommel* directae, quae is in Monito suo pastorali a. 1838. in defensionem AEppi Coloniensis in medium attulit, enervare et traducere conatur. [730]

206. Carl von Rotteck, *die Cölnische Sache, betrachtet vom Standpunct des allgemeinen Rechts. Speier 1838.* meritum Coloniense secundum Juris Universalis principia expendit. Occasionem scribendi ipse proponit inde acceptam, quod in Camera Deputatorum M. Duc. Badensis propositae per se super gravissimo Coloniensi merito reflexiones illic in discussionem assumtae haud fuerint. Tam Regimini Borussico, quam AEppo Droste nonnulla vitio vertit: *illi* quidem, quod ultra limites activitatis suae progressum, quempiam dominatum in rebus religionis exercere, et licet Confessioni a Catholica alienae addictum sit, per mandata dictatusque negotia Ecclesiae Cath. regere contenderit, item quod in materia mixtorum matr. diplomaticae rationi componendi cotroversiam prae synodali proedriam tribuerit; *huic* autem, puod huius aevi indigentias non perpendens, medii aevi tempora resuscitare, illimitatamque Hierarchiae auctoritatem revehere, totam quoque inspectionem circa doctrinam et educationem Cleri sibi soli adserere, et omnem liberalioris doctrinae audiendae occasionem alumnis praecidere tentaverit; quoad mixta demum matrimonia iusto severior exstiterit. Media ad tollendam controversiam proponit: libertatem preli, potestatis Papalis reductionem ad primitivam normam, potestatis Episcopalis ampliationem, item si mutuo Repraesentantium Nationis Germanicae consensu lex quaepiam circa prolium educationem religionariam conderetur. Quoad factum denique Gubernii AEppum Coloniensem Sede sua exturbantis censet: AEppo iniuriam illatam fuisse, quod sine legitima iuris via libertate privatus et in captivitatem sit abductus; excusat tamen Gubernium, rationemque huius inde sumit, quod id iura sua circa sacra cum iuribus stricte religiosis eidem respectu Confessionis Evan-

730) cf. §. 187.

gelicae competentibus confuderit, sicque iusto longius processerit. [731])

207. (Alexander Müller) *Der Erzbischof von Köln in Opposition mit dem Preussischen Staatsoberhaupte, oder neuestes Beispiel der offenen Auflehnung und starren Reaction wider die Kirchenhoheit der Staatsregierung. Von dem Herausgeber des kanonischen Wächters. Karlsruhe. 1838.* prout in quibusvis aliis suis operibus, ita in hoc quoque declamationibus rhetoricis adversus Romanos Pontifices totum absolvit, nil solidi, nil docti proferens, et ideo a Protestanticis etiam Censoribus merito castigatus. [732])

208. *Eine Stimme aus der katholischen Kirche Preussens in Sachen des Herrn Erzbischofs von Köln, enthaltend freimüthige aber unpartheiische Beantwortung der gegen den Erzbischof öffentlich erhobenen Anklagen. Posen. 1838.* ostendere nititur, AEppum Droste datum de servanda Conventione anni 1834. verbum fregisse, fiduciaeque per Regem in eo locatae pessime respondisse, iustissime igitur Sede sua eiectum esse. [733])

---

731) Recensiones: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. Nr. 93. p. 755.* — *Hallische Jahrbücher. 1838. p. 1553:* „Rotteck bekämpft bald das allgemeine Recht vom Standpuncte des römischen Katholicismus, bald diesen vom Standpuncte des Josephinismus, bald wieder diesen vom Standpuncte des Protestantismus: eine Confusion, die nur sich selbst vernichtet!" — Gersdorf *Repertor. XVII. B. p. 422.* — Pflanz *freim. Blätter. XV. B. p. 368.* — Rheinwald *Repertor. XXXI. B. p. 137. 142.*

732) Recensiones: Gersdorf *Repertor. XVI. B. p. 17:* „was wir hier gefunden, besteht in einer heftigen Declamation gegen den Romanismus, in einer höchst planlosen, verworrenen Deduction, in welcher des Verfassers eigene Schriften förmlich expilirt sind; tiefere Prüfung und Würdigung der Grundsätze findet sich nirgends." — *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. p. 894.* — *Heidelberger Jahrbücher der Literatur. 1838. p. 961.* — *Allgemeine Literatur-Zeitung. 1838. Nr. 92.* — Rheinwald *Repertor. XXIV. B. p. 38.*

733) Recensiones: Gersdorf *Repert. XVII. B. p. 124.* — Rheinwald *Repertor. XXV. B. p. 142.* — *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1840. No. 35.*

209. *Stimme der Wahrheit in der Streitsache zwischen der königlichen Regierung, und dem Erzbischof von Cöln, ausgesprochen von einem römisch-katholischen Pfarrer. Potsdam. 1838.* ius maiestaticum Imperii Civilis circa sacra in maxima extensione tuetur; legem Borussicam anni 1825. de mixtis matr. tamquam impartialem celebrat, et propugnat: ecclesiam evangelicam maiori iure quam catholicam poscere posse omnium prolium in protestantica confessione institutionem; ex ipsis Apostoli I. Cor. VII. 13—16. verbis matr. mixta uti licita defendit: sicque profecto ostendit, se Catholicum esse desiisse, licet in titulo talem se profiteatur. [734])

210. *Gemischte Ehen. Staats-Lexicon oder Encyclopädie der Staatswissenchaften. VI. B. Altona und Leipzig. 1838. p. 475—482.* miratur opinionem de reprobandis matr. mixtis primum Seculo IV. natam, dein medio aevo amplius propagatam hodie ad matrimonia Catholicorum cum Protestantibus applicari, cum nulla exstet lex haec coniugia vetans, nec, si etiam exstaret, obligare posset, nisi simul Civilis Imperii sanctione muniretur, quam tamen numquam sit obtentura. [735])

211. *C. Matzerath, Meditationen eines rheinischen Katholiken über die sociale und nationale Seite der Kölner Frage. Eine Flugschrift. Köln. 1838.* ex obtutu politico expendens quaestionem controversam, censet: e principio aequalitatis inter Confessiones Christianas ad partes Status Publici spectare, ut mixta matr. iis donentur praerogativis et effectibus, quibus alia in Civitate connubia gaudent. De

---

734) Recensiones: Gersdorf *Rep. XVI. B. p. 22.* — Rheinwald *Repert. XXV. B. p. 142.*

735) Adsertis his contrarias opposuit animadversiones *Carolus Rotteck* ibidem subnexas: a) parocho catholico vitio verti non posse, si benedictionem mixtis deneget nuptiis, cum Statui Civili nullum in conscientias ius competat; b) nimium esse, Civitati ius tribuere disponendi ea, quae ad administrationem Sacramenti Matrimonii pertinent; c) doctrinae et disciplinae universalis Ecclesiae vim non pendere a civili sanctione; d) iuribus Protestantium per id satis consuli, si matrimonia non benedicta pro ratis validisque habeantur.

AEppo Coloniensi statuit: illum errasse, quod a Conventione Berolinensi tamquam unico medio conciliandi principia Ecclesiae et Reipublicae recesserit. [736])

212. *Über die gemischten Ehen. Freimüthige Blätter über Theologie, und Kirchenthum. XIV. B. Stuttgart. 1838. p. 14—30.* contra conditionem de promittenda praevie a sponsis mixtae religionis educatione catholica prolium expostulans, illam e Politica Hierarchiae profectam fuisse asserit, et ut talem damnat.

213. E. Münch, *Römische Zustände, und katholische Kirchenfragen der neuesten Zeit, beleuchtet. Stuttgart. 1838.* continet elaborata diversis temporibus deducta de Curia Romana, de decretis Tridentinis circa matrimonium, de Episcopo Leodiensi, de Ecclesia Ultrajectina; haecque ex incidente eventus Coloniensis in unum librum collecta exhibet: sed quia principia catholica neglexit, in haereticas et schismaticas assertiones lapsus est auctor. [737])

214. *Der Erzbischof von Köln und die Preussische Staatsregierung. Von einem Katholiken. Rudolstadt. 1838.* Gubernio Borussico testimonium praebet strenue defensae rei catholicae per suspensionem AEppi Coloniensis a suo munere, quod nempe ita Clerum et populum adversus arbitraria AEppi molimina defenderit; inde quoque probat agendi rationem Regiminis, quod hac ostenderit, Episcopos Catholicos iurisdictioni Gubernii Protestantici reipsa subesse. [738])

215. *Beurtheilung der Broehüre: Stimme aus Baiern an die Berliner Protestanten. Eine kurzgefasste Darstellung der Angelegenheiten des Erzbisehofs v. Köln, zu Ehren der Wahrheit verfasst von einem Kölner Katholiken. Magdeburg*

---

736) Recensiones: Rheinwald *Repertorium. XXVII. B. p. 217.* — *Katholische Blätter. Zürich. 1839. p. 107.*

737) Recensiones: Gersdorf *Repertor. XVII. B. p. 125.* — *Schweizerische Kirchenzeitung. 1838. p. 297.* — *Theolog. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. p. 901.* — *Hallische Jahrbücher. 1838. p. 1235.* — Rheinwald *Repert. XXV. B. p. 143.*

738) Recensiones: *Theol. Liter. blatt zur allg. K. Z. 1838. No. 27.* — Rheinwald *Repert. loc. cit. p. 142.*

1838. contra Auctorem libelli in titulo memorati [739]) scribere voluit, sed nil praeter vagas calumnias continet. [740])

216. Ellendorf, *die Brochüre: „Gefangennehmung des Erzbischofs von Köln, und ihre Motive rechtlich erörtert von einem praktischen Juristen" beleuchtet. Minden. 1838.* pro iuribus Status circa sacra dimicat, Auctoremve, cui librum suum opponit [741]), duce potissimum Van Espenio refellere studet. Praeprimis autem contra doctrinam de una salvifica tonat, et Conventionem Spiegelianam anni 1834. velut e disciplina mitiori in Brevi Pii VIII. contenta egressam multis nominibus commendat. [742])

§. 207.

Auctores Catholici pro doctrina et disciplina catholica, et contra passus Gubernii Borussici scribentes.

Auctoribus pro defensione Regiminis Borussici in negotio mixtorum matrimoniorum scribentibus subiicimus illos, qui contrarium, mimirum doctrinam ac disciplinam Ecclesiae Catholicae propugnarunt, et quemadmodum facta Archiepiscoporum Coloniensis et Posnaniensis probaverunt, ita Gubernii Civilis agendi rationem condemnarunt. Ex his primum nominamus eos, qui *Scriptum officiosum Gubernii* [743]) refutandum susceperunt:

217. Praeter scriptum officiosum ex parte *Aulae Romanae* editum et illi Gubernii Civilis oppositum, de quo in historia plura diximus [744]), commemoramus Auctorem libri: *Die Darlegung des Verfahrens der preussischen Regierung gegen den Erzbischof von Köln, beleuchtet aus dem Stand-*

739) cf. §. 203. No. 151.

740) Recensiones: *Thol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. p. 917.* — Gersdorf *Repertor. XVII. B. p. 127.* — Rheinwald *Repertor. XXII. B. p. 234.*

741) cf. §. 203. No. 152.

742) Recensio: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1839. p. 971.*

743) cf. §. 164.

744) cf. §. 172.

puncte der Geschichte, des Rechtes, und der Politik. Augsburg. 1838. qui opus Regiminis presso pede insequutus, ostendit, intentionem Regiminis eam fuisse, ut Religionem Catholicam e Regno sensim eliminet; in historia quoque mixtorum connubiorum per Regimen in opere illo proposita plura demonstrat errata, et subdole reticita, usumque praxis mitioris ab antiquo vigentem frustra obtendi. [745])

218. *Das Breve des Papstes Pius VIII. über die gemischten Ehen, und die Rechtfertigungsschrift der preussischen Regierung über ihr Verfahren gegen den Erzbischof von Köln. Athanasia, eine Zeitschrift für praktische Theologie. Neue Folge. VII. B. Würzburg. 1838. p. 365—382.* ostendit: a) admodum unilateraliter et partialiter statum controversiae in Scripto Borussico proponi; b) plures in agendi ratione Gubernii incohaerentias et contradictiones latere; c) frustra praetendi, quod per Breve Pii VIII. disciplina circa matr. mixta mitigata, et ab exigenda cautione quoad catholicam educationem prolium recessum sit: cum cautiones in Brevi memoratae idem sint cum promissionibus ac sponsionibus; d) Ecclesiam Catholicam numquam non desiderasse, ut sponsi ante matrimonium examen subeant.

---

219. Franz Th. H. Goszler, *die Advokatie der Kirche. Appendix I. II. III. IV. zu dem Promemoria oder Theol. Gutachten über den Rechtszustand des erzbischöflichen Stuhles zu Köln. Erstes bis viertes Heft. Augsburg. 1838.* ea, quae in priori suo libello [746]) proposuit, uberius evolvit: et in *primo* quidem fasciculo relationem AEppi Coloniensis ad Facultatem Theologicam Bonnensem, eiusque in causa Hermesiana agendi rationem; in *secundo* quaestionem de Placeto Regio; in *tertio* de sic dicto recursu ad Principem ab abusu potestatis ecclesiasticae; in *quarto* demum mixta matrimonia expendit. Maxime notanda censemus haec adserta Auctoris: a) quoad praetensum promissum

745) Recensio: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 131.*
746) cf. §. 203. No. 153.

AEppi ante suam electionem de observanda Instructione Comitis Spiegel datum, has duas ponit quaestiones: an leges ecclesiasticae per solam conventionem Episcopi cum Imperio Civili mutari aut plane abrogari possint? et: an conventio huiusmodi illiusque violatio electionem Episcopi cassam reddere, illiusque suspensionem aut depositionem importare valeat? Utramque quaestionem productis quamplurimis cum ex Jure Civili tum Canonico decretis negative resolvit. b) Pro affuturo Concilio Generali haec puncta scopo ferendae decisionis proponit: Ecclesiae Capiti Romano Pontifici qua universali Ecclesiae Doctori in rebus fidei ac morum infallibile decidendi ius competere; Sacramenti Matrimonii Ministrum esse Sacerdotem; cultus disparitatem in genere impedire contrahendum matrimonium et contractum dirimere.

220. **Anton Jos. Binterim**, *der katholische Bruder- und Schwesterbund zu einer rein katholischen Ehe. Sittard. 1838.* scripsit ex incidenti singularis illius foederis, quod post eventum Coloniensem a virginibus catholicis de non ineundo mixtae religionis matrimonio initum fuisse, in historia eventus Coloniensis retulimus [747]). Libelli huius, qui celeberrimo Auctori captivitatem plane causavit, argumentum unice ex opere: *Personen und Zustände aus den kirchlich-politischen Wirren in Preussen. Leipzig. 1840.* scimus, in quo pag. 93. f. dicitur: libellum illum constare ex prologo, sectione principali, statutis sosietatis, et oratione; in prologo ostendi, legum Borussicarum de connubiis mixtis scopum valde verosimiliter eum fuisse, ut Religio Catholica sensim intereat; item ea, quae adversus AEppum Coloniensem Droste per Gubernium Regium decretá fuere, illegalia esse. [748])

221. (**Moritz Lieber**) *die Gefangennehmung des Erzbischofs von Köln und ihre Motive, rechtlich erörtert von einem praktischen Juristen. 2. und 3. Abtheilung. Frank-*

747) cf. §. 168.

748) Librum Binterimii, adhibito licet omni studio, obtinere non potuimus.

furt. 1838. quae in prima parte operis sui proposuit [749]), uberius hic evolvit, et reflexe ad ea, quae inde ab edito primo fasciculo opusculi in Borussia evenere, pertractat quaestionem de captivitate AEppi Coloniensis: porro doctrinam de una salvifica, et genuinam notionem ac indolem benedictionis sacerdotalis nuptiis impendendae enucleat, demum discordiam inter Breve Pii VIII. et famosam Conventionem Berolinensem commonstrat.

222. *Affaires de Cologne, suivies de vingt-sept Pièces Justificatives. Louvain. 1838.* historiam texit corum, quae in Borussia circa matr. mixta inde ab an. 1825. acta sunt, et in numero documentorum, quae producit, pleraque summi momenti et talia recenset, e quibus callida Gubernii cum Episcopis agendi ratio elucescit.

223. *Die Kölner Sache in ihren unbesiegten Beweisthümern und Documenten. Erster Artikel. Athanasia, Zeitschrift für die gesammte Pastoraltheologie. VII. B. Würzburg. 1838. p. 73—201.* in enarranda historia eventus Coloniensis potissimum Ephemerides Herbipolitanas: *Neue Würzburger Zeitung*, adhibet instar fontis: in reliquo tota fere disquisitio magis est iuridica quam historica, ex illoque principio egreditur, quod Archiepiscopus Droste non aliud egerit, quam quod qua Episcopus agere debuit, culpaque omnis in eos recidat, qui ipsum ad aliud agendum impellere non verebantur.

224. *Clemens August Erzbischof von Köln. Ein Sendschreiben an den Freih. von Gagern, zur friedlichen Rechtfertigung des hochwürdigen Praelaten. Frankfurt. 1838.* auctorem, cui suum opponit libellum [750]), presso pede insequendo, quaevis eius asserta refutat, cumprimis vero strictissimam partis coniugum catholicae obligationem educandi proles suas in Fide Catholica demonstrat, ostenditque: vitam ex vera fide praecipuam esse Revelationis destinationem, hanc vero nonnisi medio infallibilis Ecclesiae Magisterii in Religione Romano-Catholica existentis necessaria certitudine

749) cf. §. 203. No. 152.
750) cf. §. 205. No. 193.

rescìri, ac proinde unionem inter diversas Ecclesias ne cogitari quidem posse prius, quam aliae Confessiones religiosae ad catholicam redierint unitatem. Contra mixtas nuptias multa profert argumenta, ex iisve concludit, fere impossibile esse, ut inter coniuges religione dispares perfecta quoad substantiam matrimonii christiani intercedat consensio. Ecclesiae ius competere evincit, benedictionem nuptialem denegandi, si pars catholica se illa indignam exhibeat: hinc et AEppum Droste immutabilia Ecclesiae principia sequutum benedictionem illam denegasse in adiunctis, in quibus conditionibus Ecclesiae satisfactum non erat. Ad media tollendi conflictus per auctorem, contra quem scribit, projectata reflectit: mutuam conventionem ad exemplum Spiegeliano-Bunsenianae in effectum deduci haud posse, quia nec sperare licet, ut Ecclesia Catholica sic dictam mitiorem praxim fundamentalibus Catholicismi principiis adversam amplectatur; Concilii Generalis celebrationi plurima per Principes seculares positum iri impedimenta; Ecclesiam demum Catholicam decursu 18. Seculorum etiam penes modernum statum Cardinalitiae dignitatis sub Pontificatu piissimorum virorum divino adjutorio suffultam immotam stetisse, actuque consistere. [751])

225. Graf Carl von Montalembert, *über die katholische Angelegenheit des Erzbischofs von Köln. Aus dem Franz. übersetzt. Hanau 1838.* Allocutionem Pontificiam de 10. Dec. 1837. [752]) tamquam eventum prorsus singularem ac extraordinarium considerat, in quo dignitas majestasque Pontificatus maxime eluceat, dum scilicet pro iuribus Ecclesiae vocem suam tanta cum gravitate et apostolica libertate attollit; evolvit dein praecipua eventus Coloniensis consectaria, nimirum quod tota poene Europa Catholica evigilaverit, Centroque unitatis catholicae arctius constringi con-

---

751) Secensiones: *Theol. Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. p. 1044. — Hallische Jahrbücher. 1838. p. 1825. —* Gersdorf *Repert. XVII. B. p. 134. — Katholische Kirchenzeitung. Frankfurt. 1838. p. 424. 740. —* Rheinwald *Rep. XXVII. B. p. 216. 220.*
752) cf. §. 166. et 187.

tenderit; demum peculiarem Ecclesiae indulgentiam praedicat in eo, quod maternam caritatem etiam erga illos, qui ab unitate recessere, testatura, Presbyterum matr. mixtis assistere permittat, cum id denegare quoque posset.

226. *Die Stellung katholischer Regierungen in Bezug auf die neuesten Vorfälle in Rheinpreussen und Westphalen, aus historischem Standpuncte betrachtet. Von einem Süddeutschen. Regensburg. 1838.* exemplo Borussiae, cuius Principes pro dilatatione Protestantismi non solum domi sed et foris inde a pervetustis temporibus multum egerint, provocat Regimina Catholica Austriae et Bavariae, ut nil intermittant, quod pro defensione rei Catholicae in R. Borussiae pressae agere possunt. [753]

227. *Der heilige Stuhl. Eine zeitgemässe, historisch-philosophische Betrachtung. Aus dem Französischen des Abbé* L a c o r d a i r e. *Mit einem Vorworte von Guido Görres. Regensburg. 1838.* Opus anno adhuc 1836. concinnatum, sed occasione eventus Coloniensis in lucem publicam editum insignem continet Potestatis Primatialis RR. PP. defensionem: una contra opinionem illorum in arenam descendit, qui dicunt, Sedem Romanam cum patronis Absolutismi Statuum Civilium foedus pangendo omni libertati in genere bellum indixisse. [754]

228. *Beleuchtung der Brochüre: die römisch-hierarchische Propaganda, ihre Partei, Umtriebe und Fortschritte in Deutschland. Würzburg. 1838.* principia et conclusiones opusculi in titulo nominati [755] in examen revocat, iuraque Ecclesiae Catholicae defendit. [756]

229. 230. Venimus ad Auctorem, qui magnum ab insigniter propugnata causa catholica in orbe literario nomen

753) Recensiones: *Allgemeiner Religionsfreund. Würzburg. 1838. p. 1217.* — Gersdorf *Repertor. XVII. B. p. 132.* — R h e i n w a l d *Repert. XXII. B. p. 233.*

754) Recensiones: *Allg. Relig. freund. loc. cit. p. 1217. 1219.* — R h e i n w a l d *Repert. l. cit. p. 233.*

755) cf. §. 205. No. 194.

756) Recensio: *Theologisches Literaturblatt zur allg. K. Z. 1838. p. 883.*

sibi peperit, sed ideo non parvum adversarium mox nactus est: cuius utriusque argumentandi rationem nonnihil uberius proponere intendimus. A) Joh. Jos. Ign. Döllinger, *Prof. zu München, über gemischte Ehen. Eine Stimme zum Frieden. Regensburg. 1838.* In libello hoc, qui intra paucos menses quinquies editus exstitit, Auctor celeberrimus ad omnem possibilem claritatem perducere cupiens controversam quaestionem, sequentia praemittit principia, ab omnibus ut talia recipienda: a) discrimen, quod inter Religionem Catholicam et Confessionem Protestanticam intercedit, non accidentalia, sed vere essentialia fidei capita respicere, ipsam animae salutem proximius contingentia; b) parentes respectu educationis prolium suarum religionariae eandem habere obligationem, quam respectu curandae propriae salutis habent: hinc de illis parentibus, qui in religione ab ipsis tamquam erronea habita et agnita proles suas educari sinunt, pronunciandum esse, quod liberis suis viam salutis aggravent, sicque contra propria officia delinquant; c) Catholicum Sacerdotem, dum in matr. mixtis partem coniugum catholicam ad educationem prolium catholicam praevie in tuto collocandam monet, obligationi suae facere satis, et id, quod ipse coniugi catholico in memoriam revocat, huic propria quoque dictari conscientia; d) Clerum Catholicum in Germania nuspiam privilegium aliquod in hoc puncto pro se quaerere, aut ius exigere, quod ministris protestanticis quoque tribui nollet. His praemissis, statum controversae quaestionis in Borussia ita figit: a Statu Civili desiderari, ut Sacerdos Catholicus mixtas nuptias cum ea conditione initas, quod proles in confessione a Catholica aliena educandae sint, benedicat. Cuiusmodi desiderium postulatumve Regiminis in nulla lege civili fundari ostendit, et observat: non ideo desiderari benedictionem, quasi ipsa ad valorem matrimonii seu ecclesiastico sive civili respectu necessaria foret, cum nec Synodus Tridentina id docuerit, et Sedes Apostolica in Brevi ad Episcopos Rhenanos matrimonium tametsi coram ministro haeretico initum, verum ratumque declaraverit, quare hinc id quoque sequi, quod denegatio benedictionis tamquam impedimentum matrimonii mixti con-

siderari haud possit, imo nequidem instar censurae aut poenae haberi, sed sit solummodo actus, quo Ecclesia suam detestationem super inito mixto coniugio externe manifestat; frustra porro dici, benedictionem ad tranquillandas conscientias necessariam esse, cum ab Ecclesia desiderari nequeat, ut, quod ex se detestatur, sua benedictione ratificet, sicque novum laqueum conscientiis paret, existimaturis, per solam Ecclesiae benedictionem sine conversione peccatoris tolli peccatum. Plures dein incohaerentias memorat ex eo promanantes, quod Status Civilis benedictionem auctoritate legis extorquere satagat; ad obiectam vero sacerdotibus benedicere recusantibus labem inobedientiae reponit: non sacerdotes esse primos, qui a sponsis promissionem de catholica prolium educatione exigunt, sed sponsos esse, qui primo benedictionem petunt, sacerdotes autem tantummodo conditionem *sine qua non* benedictionis actui apponere, et hoc quidem e stricta obligatione nomine Ecclesiae eos facere. Pro coronide adserta in Scripto officioso Regiminis contenta refellit: quasi scilicet in Germania initio mitior praxis circa mixta connubia viguerit, aut Statui Civili ius competat exigendi, ut parochi nuptias mixtas benedicant, aut sponsiones praeviae de catholica prolium educatione potestati patriae repugnent [757]. — B) Adversus librum Döllingeri in arenam descendit anonymus Auctor Articuli Ephemeridibus universalibus Augustanis inserti: *Über die europäisch-publicistische Seite der kölnischen Frage. Erster Artikel. Allgemeine Zeitung. dd. 8—11. Februar. 1838.* Opposuit autem Döllingero: stante praxi catholica ab illo defensa actum fore de ecclesia protestantica; neque hic principaliter de eo quaeri, an matr. mixta coram ministro evangelico sint valida? sed an sint sacramenta? administrationem vero sacramentorum esse quid ad disciplinam Ecclesiae mutabilem spectans; in Austria quoque vigere praxim benedicendi matr. talia absque omni discrimine, nec aliud de hoc argu-

757) Recensiones: *Allgemeiner Religionsfreund. 1838. p. 1217.* — *Katholische Kirchenzeitung. 1838. p. 102.* — Gersdorf *Repertor. XVII. B. p. 428.* — Rheinwald *Repertorium. XXII. B. p. 232.*

mento in Jure Canonico Borussico, aliud in Austriaco tradi, sed principia, quae Jus Borussicum statuit, per Jus Austriacum confirmari. — C) Adversario suo respondit Döllinger libri sui pag. 23—43: *Die Grundsätze der katholischen Kirche über die gemischten Ehen*, haec cumprimis proponens: experientia ipsa testatum reddi, quam parum Protestantes a praxi Ecclesiae Catholicae in matr. mixtis usitata metuendum habeant; nec solum prolium educationem in considerationem sumi debere, sed et id, quod Ecclesia universim mixta matr. reprobet; quaestionem de ministro Sacramenti Matr. a se praetermissam esse velut ab Ecclesia nondum definitam; denegationem benedictionis ideo esse aequisimam, quod pars catholica proles in alia religione educari permittens, religiosum momentum ac finem matrimonii pervertat, indignaque sit ad benedictionem Presbyteri recipiendam; conditiones porro, quas Ecclesia in Sacramentorum administratione requirit, in ipsa natura horum fundatas et immutabiles esse; in Austria denique Summum Pontificem aeque ac Episcopos adversus principia Josephina in rebus religionis protestatos, Jus Canonicum vero Rechbergeri principia illa continens e Lyceis et Academiis decreto Caesareo iam proscriptum esse. — D) Auctor memoratus in altero Articulo: *Über die europäisch-publicistische Seite der kölnischen Frage. Zweiter Artikel. Allgemeine Zeitung. dd. 9—15. Martii 1838.* denuo ursit necessitatem benedictionis inconditionatae, tunc solum denegandae, si pars coniugum catholica praevie ipsa sese determinaret ad educationem acatholicam prolium suarum; adstruxit quoque totam hanc quaestionem esse pure disciplinarem, et Protestantes perinde gaudere iure postulandi, ut proles in matr. mixtis protestanticam educationem nanciscantur. — E) Sed Döllinger ad haec reposuit: *Weitere Erläuterungen der katholischen Grundsätze über die gemischten Ehen. pag. 43—71.* ab Ecclesia Catholica nullatenus desiderari posse, ut matr. mixta inconditionate benedicantur, cum reipsa desit obiectum benedictionis, tale quippe nec in contractu matrimoniali ab Ecclesia per se reprobato, nec in sponsis adsit, quorum alter catholicus benedictione indignus, alter protestans eius-

dem incapax est; quaestionem porro de impertienda benedictione disciplinarem quidem esse sed in nexu indivulso cum doctrina positam, illam autem de educatione prolium esse vere dogmaticam; Protestantes tandem iure desiderare non posse educationem prolium protestanticam, cum nec auctoritatem ecclesiasticam proprie possideant, nec convictionem de protestantismo qua unico salutis medio. — F) Non obstantibus Döllingeri reflexionibus, semel adhuc et iam tertio adversarius eiusdem in tertio articulo disquisitionis suae: *Allgemeine Zeitung. dd. 17—21. Maii 1838.* calamum contra illum acuit, atque nunc iam pure theologicis argumentis se dimicare velle proposuit. Adstruxit autem: benedictionem nubentium ex sensu ipsius Ecclesiae ad valorem matrimonii requiri; matr. mixta ipso iure naturali ac divino prohibita nulla dispensatione licita reddi posse; matrimonia Catholicorum cum Protestantibus iuxta principium universalis Ecclesiae, ad quam etiam Protestantes spectent, diiudicari debere; demum benedictiónem vel ideo impertiendam esse, quod cum tria sint coniugii bona: proles, fides ac sacramentum, quoad duo postrema protestanticus quoque coniux particeps reddi possit. Verum nec his argumentis deterritus Döllinger, tertio quoque articulo adversarii sui animadversiones opposuit sub titulo: G) *Über das Recht der Kirche in der Frage von den gemischten Ehen. pag. 72—88.* In his sequentia cumprimis proponit: ex Concilio Tridentino, et glossis notisque illi adiectis satis patere, benedictionem ad valorem matrimonii non requiri; omne matrimonium typice repraesentare unionem Christi cùm Ecclesia, cum ex institutione Christi quodvis coniugium debeat esse individua et indissolubilis coniunctio maris et foeminae; matr. mixta pro illicitis quidem haberi, sed per dispensationem licita reddi; inter Catholicos et Protestantes essentiale esse respectu doctrinae discrimen; denique in matrimonio bonum prolis esse principale, et ideo partem utramque coniugum benedictione fore indignam, nisi prius bonum prolis in tuto locetur.

231. *Pontius Pilatus. Zur Beleuchtung der Kölner Angelegenheiten. Regensburg. 1838.* princeps scopus opusculi

est: ostendere, quam insincere et callide Regius Minister *Bunsen* in negotio controverso se gesserit; tum evolvit, nil esse pro Statu Publico infructuosius, quam de religioso principio matr. mixtorum leges condere, id enim Ecclesiae ius proprium, et Statui Civili nil amplius hoc in merito relictum esse, quam vel approbare leges Ecclesiae, vel illis contradicere: primum superfluum, alterum sine scopo futurum. [758])

232. *Pontius Pilatus II. Ein Nachtrag zu seinem Vorgänger. Gleichfalls zur Beleuchtung der Kölner Angelegenheiten. Regensburg. 1838.* instar supplementi ad priorem libellum refutat Auctor illa, quae pro defensione Ministri Bunsen Ephemerides Lipsienses: *Leipziger allgemeine Zeitung. dd. 10. Mai 1838.* in medium attulerunt.

233—235. **Wilhelmus Schütz** tribus in lucem editis opusculis meritum utriusque controversiae tam Coloniensis quam Posnaniensis ad regulas Juris exigendo indagavit: a) *Urtheilsberichtigung in der Kölnischen Angelegenheit. Athanasia, Zeitschrift für die Pastoraltheol. Neue Folge. VII. B. 1838. p. 273—335.* contra obiectionem adversariorum, quasi AEppus Coloniensis sua agendi ratione claros tenores Juris Borussici violaverit, plura praeclare monet de genuina relatione Ecclesiae ad Civitatem, proprie vero et principaliter reflexe ad libellum: „Die Wahrheit in der Hermesischen Sache zwischen der katholisch-theologischen Fakultät zu Bonn und dem Herrn Erzbischof von Köln." de controversia Hermesianismi tractat. b) *Rechtsgutachten in der Angelegenheit des Erzbischofs von Gnesen und Posen. Regensburg. 1838.* [759]) cum ex natura rei, tum ex iure civili et criminali Borussico ostendit iniustitiam procedurae per Regimen Civile contra AEppum Posnaniensem observatae. *Ex natura rei*: quia in collisione duorum officiorum id, quod spirituale ac nobilius est, alteri praeferri, ac proin AEppus in

---

758) Recensiones: *Allgemeiner Religionsfreund. 1838. p. 1217. 1230.* — Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 182.*

759) Dissertatio haec primum vulgata fuit in scripto periodico *Ratisbonensi*: Chrysostomus.

re pure ecclesiastica praecepto Ecclesiae praeferenter obsequi debuerit. *Ex Jure Borussico* vero: quia actus instar criminum AEppo objecti non sint eius qualitatis, ut sub ictum legum civilium caderent. De constitutione Benedicti XIV. anni 1748. praetensive Placeto Regio haud provisa ait: Placetum hoc eidem dudum additum fuisse, siquidem sub Regimine Republicano tam Episcoporum quam Gubernii Civilis auctoritate in effectum deducta, et nec a Friderico II. nec Friderico III. Regibus Borussiae abrogata sit. [760]) — c) *Betrachtungen zur Römischen Staatsschrift über die Religionszerwürfnisse am Rhein. Athanasia. Neue Folge. VII. B. 1838. p. 198—263.* scripta officiosa Regiminis Borussici et Aulae Romanae in causa AEppi Coloniensis edita inter se comparando, discrepantiam eorum ab invicem pluribus demonstrat, et Scripto quidem Romano simplicitatem, constansque studium nonnisi id, quod reapse evenit, et ita, prout gestum est, referendi tribuit; scripto autem Regiminis obscuritatem, studiumve contra Aulam Romanam proponendi obiicit. Maxima vero attentione digna est ea disquisitio: quod lex Borussica de prolium in confessione patris educatione conscientiae Catholicorum vim inferat, et tam sponsum quam sponsam ad peccatum inducat: *hanc* per se, cum incat coniugium, in quo scit proles in protestantismo educandas fore; *illum* autem, quod sciens sponsam catholicam iuxta principia Religionis suae prolium educationem acatholicam admittere non posse, eandem tamen sub hac conditione ducat, et hoc ipso peccans ipse, illam quoque peccare faciat.

236. 237. (Joel Jacoby) *Die Frevel der Revolution. Eine Flugschrift, herausgegeben bei Gelegenheit der Ereignisse in Köln. Berlin. 1838.* Auctor prius Judaeus, dein Christianus, proprie quidem de casu Coloniensi se nec in unam nec in aliam partem in libello isto scribere, sed solum universalia principia proponere velle monet: in decursu tamen nonnulla in refutationem eorum profert, quae in Epheme-

---

760) Recensio: Rheinwald *Repertorium der theol. Liter. XXXI. B. p. 137. 149.*

ridibus Lipsiensibus et opusculis Lipsiae procusis contra AEppum Coloniensem vulgabantur [761]). Plus momenti inest alteri Auctoris libro, quem sub hoc titulo edidit: *Stimme aus Berlin an die Rheinländer und Westphalen. Berlin. 1838.* in eo nimirum Provinciarum Rhenano-Westphalicarum incolas energice alloquitur, et ad fidelem doctrinae Ecclesiae Catholicae adhaesionem, observantiam, simulque ad fidelitatem erga Terrae Principem adhortatur. [762])

238. *Clementina. Beiträge zur Beleuchtung der Kölnischen Kirchenangelegenheit. I. Heft. Ein Bedenken gegen „die Frevel der Revolution" gegründet auf Schriften der Preussischen Staatsbeamten Bunsen und v. Rehfues. Frankfurt. 1838.* nonnullas reflexiones adversus opusculum Auctoris superius memorati continet: proprie tamen scopus libri est: ostendere, omnium fere operum ex parte Gubernii Borussici in negotio Coloniensi editorum, prout et libellorum in officina Lipsiensi Brockhausiana typis excusorum auctorem esse *Bunsen*, cuius assertis plures opponit in contrarium observationes.

239. *Über gemischte Ehen. Mit Bezug auf die in Betreff derselben in den westlichen Provinzen der Preuss. Monarchie in den neuesten Zeiten zur Sprache gekommenen Conflikte kirchlicher und bürgerlicher Gesetzgebung. Versuch einer Verständigung. Frankfurt. 1838.* ex conflictu duarum Potestatum exeundi hunc tantum superesse modum existimat, si Status Civilis Ecclesiam in prosecutione finis sui nequaquam impediverit, et suas circa matr. mixta constitutiones ad im-

---

761) Recensiones: *Zeitschrift für Theologie. Freiburg. 1841. VI. B. p. 146. — Theol. Liter. blatt zur allg. K. Z. 1838. No. 110.*

762) Recensiones: *Zeitsch. f. Theol. Freiburg. loc. cit. — Schweizerische Kirchenzeitung. Luzern. 1839. No. 6. — Historisch-politische Blätter für das kath. Deutschland. III. B. München. 1839. p. 73:* „Dieses Büchlein enthält in den Principien, die es aufstellt, eine Kritik des Verfahrens alles dessen, was im Namen der Preuss. Regierung geschrieben, und gethan worden ist, die wir ihrer zermalmenden Schärfe und beissenden Ironie wegen in solcher Form und Fassung in diese Blätter aufzunehmen Bedenken getragen haben würden."

mutabilium Ecclesiae sanctionum normam accomodaverit; praeprimis vero si in illa, quae Episcopis in sensu Brevis Pii VIII. et Instructionis Sedis Apostolicae de anno 1830. agenda incumbunt, se haud miscuerit, munusque Sacerdotis Catholici nuptias mixtas benedicendi per leges de prolium educatione in confessione patris, de pactorum inter coninges hoc obtutu ineundorum invaliditate etc. impossibile non reddiderit. [763])

240. *Die gemischten Ehen. Allgemeiner Religionsfreund. Würzburg. 1838. p. 1425—1435.* liberales de mixtis nuptiis conclusiones a spiritu Religionis Catholicae absonas ex erronea opinione de matrimonio velut contractu civili ceteris contractibus analogo profluxisse statuit; gubernio autem Borussico maiorem in modum commendat, ut Instructionem Sedis Apostolicae pro Regno *Bavariae* anno 1834. datam recipiat. [764])

241. *Clemens August, der grosse Bekenner und Martyrer unserer Zeit. Ein Wort des Trostes, gegründet auf die Geschichte wie auf die Verheissungen Christi und gerichtet an alle durch die Ereignisse in Köln bekümmerten Seelen. Augsburg. 1838.* vehementissimo stylo describit tendentiam Regiminis Borussici Ecclesiae Catholicae inimicam, item prorsus indignam cumAEpiscopo Coloniensi agendi rationem. [765])

242. Joh. Bapt. Kastner, *der grosse Streit über gemischte Ehen. Regensburg. 1838.* statu quaestionis rite exposito, haec duo disquirit: quid ad controversiam pacifice componendam suscipi possit? et: quid ad praecavendos pro futuro violentos passus disponendum sit? Ad *primum*: propositis principiis, secundum quae Potestas Ecclesiastica aeque ac Regia in negotio matr. mixtorum procedere debeat, ad casum matr. mixti sponso protestante sequentia statuit observanda: a) benedictionem nuptialem velut rem mere ecclesiasticam ad dispositionem Jurisdictionis Civilis

---

763) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 429. — Theol. Lit. blatt. zur. allg. K. Z. 1839. No. 121.*

764) cf. §. 153.

765) Recensio: Gersdorf *Repert. loc. cit. p. 134.*

non pertinere, Protestantesve in eo insigniter sibi contradicere, quod matrimonio dignitatem Sacramenti detrahant, et tamen in benedictione Sacerdotis Catholici tam multum reponant, ut hanc potenter urserint; b) Sponsam catholicam viro acatholico sine praestita cautione de religione catholica prolium nubentem peccare, matrimoniumve tale esse immorale; c) bonum fidei coniugalis multum pati per mixtas nuptias, cum nec sperare liceat, talem inter coniuges religione dispares communionem animorum coalituram, qualem sublimiores matrimonii fines exposcunt, nec possit ibi vera intercedere dilectio ac fides, ubi coniuges ab invicem religiosa dividunt principia. — Ad *secundum*: instar mediorum occurrendi collisionibus pro futuro proponit: Sponso catholico existente, copulationem a Sacerdote Catholico, secus a ministro protestantico peragendam; assistentiam autem passivam parochi catholici nullo in casu negandam; nisi matrimonium e sensu canonum esset invalidum. Hac assumta cynosura Regimen Borussicum absque eo, ut Edictum R. anni 1825. mutare vel abrogare necessum sit, controversiae facile obviare posse, asserit. [766])

243. *Glossen zu den Erwägungen eines rheinischen Juristen, und den Rechtsgrundsätzen eines rheinischen Landgerichtspräsidenten in der Erzbischöflichen Sache. Nebst einem Anhange über die Schrift: die kath. Kirche in der preussischen Rheinprovinz, und der Erzbischof von Köln. Von einem Rheinländer. Augsburg. 1838.* suspensionem AEppi Coloniensis a suo munere, auctoritate duntaxat Ministerii Regii extrajudiciaria factam, nec iustam nec legitimam, sed potius violentam iuris alieni usurpationem fuisse ex Canonistis Protestantibus Grotio, Leysero, Puffendorfio etc. probat. Contra adserta vero Auctorum, quos iuxta titulum operis refellendos suscepit [767]), demonstrat: Jus Canonicum in

---

766) Recensiones: Gersdorf *Repertorium für die gesammte deutsche Literatur. XVII. B. Leipzig. 1838. p. 431. — Allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 1649. — Katholik. 78. B. Speyer: 1840. p. 195.*

767) cf. §. 204. No. 158. — §. 205. 164. et 165.

sinistra Rheni ripa, inducto licet illuc Codice legum Gallicano, minime exolevisse, ea autem, quae AEppus Coloniensis praetensive adversus leges civiles egit, ad sphaeram activitatis illius Episcopalis pertinuisse, proin non secundum civilia iura iudicandum esse, nec Ecclesiam Catholicam esse partem constitutivam Status Civilis, sed societatem religiosam propriis legibus gubernandam et a Statu Civili independentem.

244. *Commentar zu dem Antwortschreiben des Domkapitels zu Köln an Seine Heiligkeit Papst Gregor XVI. datirt den 20. Febr. 1838. Allgemeiner Religionsfreund: Würzburg. 1838. p. 775—795.* est commentatio in epistolam Capituli Coloniensis die 20. Febr. 1838. ad Summum Pontificem directam, in qua se excusare, deque factis suis rationem reddere conabatur [768]). Ostendit igitur Auctor commentationis huius, quam callida et pharisaica sit haec Capituli litera, quae initio ampulliatis verbis devotionem et subjectionem erga Petri Cathedram profitetur, ut successive AEppum rursus accusare valeat.

§. 208.

Auctores Protestantici contra facta Gubernii, et pro defensione Archiepiscoporum scribentes.

Non Catholici modo sed et Protestantium nonnulli pro defensione Archiepiscoporum Coloniensis et Posnaniensis vocem suam elevarunt, signanter:

245. Seitz, *der Erzbischof von Köln, in seinem Verhältniss zur Römischen Curie und zum Kabinet von Berlin. Friedberg. 1838.* postquam in prologo plura adposite monuisset contra eos, qui ex ignorantia principiorum Ecclesiae ac Hierarchiae Catholicae AEppum Coloniensem condemnarunt, ad eundem defendendum accedit: asseritque a) AEppum iuxta praecepta Ecclesiae suae mixtas nuptias probare haud potuisse; aequalitatem enim illam iurium inter diversas Confessiones Christianas Pace Westphalica stabi-

768) cf. §. 173.

litam non alio quam politico ac civili sensu sumi, ac proin ad interiora Religionis trahi non posse, hocve ipso Protestantes sensu Juris Canonici ad eandem cum haereticis classem referri, legesque adversus matrimonia catholicorum cum haereticis olim latas ad connubia catholicorum cum protestantibus applicari debere. b) AEppum iuxta doctrinam Ecclesiae Catholicae per omnia disponere debuisse, ut conditio de educandis in Catholica religione prolibus accurate servetur veluti consectarium dogmatis de una salvifica: eoque ipso leges civiles in obversum conditionis illius editas vi obligandi pro AEppo praeditas esse non potuisse, cum eae ex fundamento Pacis Westphalicae ab Ecclesia rejecto processerint. c) AEppum non posse proceduram Regiminis uti iustam agnoscere, seque tamquam suspensum a munere considerare, sed potius obligari ad gubernationem dioeceseos mox ac libertati redditus fuerit, repetendam. d) Dici non posse, promissionem de servanda Instructione secreta anni 1834. praetensive ab AEppo elicitam ab eodem violatam fuisse: cum transactio, in qua de iuribus tertii aut plane de abolendis articulis fidei agitur, obligare nequeat, Instructio vero praemissa omnino talis fuerit, Episcopi Trevirensis retractatione insigniter probante. Ita defenso AEppo, de procedura Regiminis observat: illam principiis Systematis Territorialis inniti, sicque vere esse nodum gordium, e quo exire non levis sit difficultas. [769])

246. *Die fortwährende Gefangenschaft des Erzbischofs von Köln, beleuchtet von einem Protestanten. Strassburg. 1838.* causam abducti extra fines dioecesis Praelati unice in mixtis matr. signanter in eo, quod AEppus illa nonnisi habita praevia sponsione super catholice educandis prolibus benedici indulserit, reponens uberius disquirit: an lex Borussica, quae parochis catholicis memoratam sponsionem a nubentibus exigere prohibet, aequa iustaque sit? Quo fine a)

---

769) Recensiones: Gersdorf *Repertor. XVI. B. p. 26.* — *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. p. 876.* et: *1841. No. 45.* — *Literarische Zeitung. Berlin. 1839. No. 11.* — Rheinwald *Repertorium. XXXI. B. p. 137. 150.*

expendit relationem sponsionis istius ad principia catholica: et siquidem fundamentale Ecclesiae Cath. dogma sit, in ea sola salutem obtineri, concludit: provide decretum esse, ut mixtae nuptiae tunc tantum benedicantur, si spes praebeatur, fore, ut pars acatholica ad sinum Ecclesiae Cath. redeat, et sponsionem de educatione catholica liberorum praevie praestet; eoque ipso ad strictas muneris Parochorum partes pertinere, ut sponsionem talem exigant. b) Investigat relationem sponsionis huius ad Statum Publicum: et primo quidem in genere observat, Statum Civilem Christianum nonnisi tunc firmum consistere posse, si leges illius sensus religionis pervaserit; cum autem Confessiones Christianae plures sint, connaturale esse, ut pro earum ratione Status Civilis suas accomodet constitutiones; Regenti tamen nuspiam competere ius quidquam disponendi, quod Confessioni, cui addictus non est, noxium vel etiam praeiudicans foret. Atque contra haec principia et olim peccatum esse, et hodie peccari deplorat Auctor. In specie vero cum sponsio memorata sit pure religiosa et talis, quae nullum noxium in finem Civitatis influxum habere possit, asserit: Statui Publico haud competere potestatem, meritum religionariae prolium educationis suae legislationi subiiciendi; vel enim esse ei religionem indifferens quid, vel non: si prius, non esse operae pretium propter rem prorsus indifferentem tot catholicos subditos in anxietatem coniicere; si autem posterius, eo ipso, quod Religio sit res summi momenti, ad partes Status haud spectare, ut futura prolium religionaria educatio determinetur, sed hoc ei Auctoritati relinqui debere, ad quam proprie pertinet salutem fidelium operari ac promovere. c) Tandem contemplatur relationem sponsionis illius ad Confessionem Protestanticam: et quaerit: an, si Rex e. g. Borussiae legem de educandis in confessione patris prolibus abrogaverit vel mutaverit, et sponsionem a personis diversae religionis per parochos catholicos exigi indulserit, per id iuribus Confessionis Protestanticae derogetur? Ad cuiusmodi quaestionem respondet: *primum* non convenire, ut Status Civilis iudicem agat controversiarum fidei; *deinde* ecclesiam Protestanticam eodem ac

Catholicam iure exigere non posse, ut proles in protestantismo educentur: cum hunc non teneat velut unicum salutis portum, hinc si minister protestanticus sponsionem talem exigeret, id eum non e convictione et fide, sed e secundariis duntaxat finibus facturum esse; *tum* per summam temeritatem a Regimine Borussico exigi, ut parochi catholici sponsionem eam a personis mixtae religionis deposcere intermittant: legem quoque civilem, qua sponsio talis exigi vetatur, esse mere arbitrariam, e cupiditate regnandi et in ipsa interna Ecclesiae ac Religionis imperium exercendi profectam; *denique* voto ipsius Confessionis Protestanticae, si haec autonomiae suae in rebus religionis studiosa sit, passus Gubernii circa AEppum Coloniensem reprobari debere, idque eo magis, quod, stante principio, Regimini in ipsa interiora religionis competere imperium brevi despotismum sequi necesse sit.

247. (Gustav Carl Rintel) *Clemens August Erzbischof zu Köln gegen die Anklagen der königlich Preussischen Regierung vertheidigt von einem Protestanten. Regensburg. 1838.* conflictum duarum Potestatum e confusione idearum ac principiorum, quae circa relationem mutuam inter Ecclesiam et Civitatem inde a Reformatione evoluta sunt, repetit. De facto Coloniensi potissimum in his duobus uberius enucleandis tota illius disquisitio versatur: a) quod e procedura Regii Ministerii clarissime eveniat, suspensionis AEppi causam unicam fuisse in mixtis matr. repositam; b) quod praetensa illa promissio de observanda instructione ac Conventione anni 1834. AEppo ante electionem suam extorta, et de re ipsi tunc adhuc ignota praestita, atque cum Brevi Pontificio non cohaerere subseque adinventa, in se ipsa nulla sit et irrita. [770])

---

770) Recensiones: *Allgemeiner Religionsfreund. 1838. p. 1217. 1221.* — Gersdorf *Repertor. XVII. B. p. 133.* — Rheinwald *Repert. XXII. B. p. 232.* — Notanda est reflexio, quam de opere Rintelii depromsit Fr. Florencourt, *politische, kirchliche und literarische Zustände in Deutschland. Leipzig. 1840. p. 73*: „Wir möchten diese Schrift den Triumph protestantischer Unpartheilichkeit und protestantischen Wahrheits- und Rechtsgefühles nennen.

§. 209.

Opus Joannis Görres sub titulo: „Athanasius" et literatura per illud provocata ex anno 1838.

248. Joannes Görres per librum suum, quem post eventum Coloniensem sub titulo: *Athanasius. Regensburg. 1838.* scripsit, intra tres menses quater editum, in millenisque et millenis exemplaribus quaquaversum propagatum, magnum sibi nomen comparavit. In eo acta factaque Regiminis Borussici contra Ecclesiam Catholicam directa, totamque universim tendentiam ac intentionem Catholicismo prorsus inimicam atris depingit coloribus; AEppum Coloniensem in triplici relatione ad Regimen positum, quippe Episcopi, subditi, et Ecclesiae Catholicae insignis athletae considerando, refellit omnia, quaeque Regimen ei obiecit; in capite vero de genuina relatione Ecclesiam inter et Civitatem intercedente ita versatur, ut parte ex una plenam Ecclesiae in sua sphaera libertatem tueatur, parte autem ex altera maiorem per Regimen vindicatum in negotia religionis influxum severe castiget. Attentionem peculiarem meretur Judicium de mixtis matrimoniis a quatuor celeberrimis Doctoribus: *Döllinger, Möhler, De Möy, Phillips*, depromtum, operique pag. 65—75. insertum: in quo famosa Conventio ac Instructio Spiegeliano-Bunseniana de 19. Junii 1834. tamquam Ecclesiae leges violans et Brevi Pii VIII. de an. 1830. contraria pluribus describitur. In fine operis magna cum energia incolas catholicos Provinciae Rhenanae alloquitur, ut pro defensio-

---

Der Verfasser, ein Protestant, hat so viel Selbstverläugnung, sich rein auf den Standpunct des Rechts zu stellen, und die Rechte einer Kirche zu vertheidigen, deren Glauben er für irrig hält! Er rettet dadurch die Ehre der protestantischen Presse, die sich grösstentheils blind, leidenschaftlich, und ungerecht in diesem Streite gezeigt. In der That gibt diese Schrift einen Beleg, wie der gläubige Protestant unbeschadet seiner Überzeugung auch andere Kirchen in ungestörter Freiheit und in ungekränktem Besitze ihrer Rechte neben sich existiren lassen kann."

ne Religionis Catholicae strenue dimicent, et principia catholica quoad mixta matr. manuteneant.

Quo maius erat Joannis Görres nomen, eo avidius opus illius, ipso iam titulo cupiditatem legendi excitans, legebatur: at principia circa relationem Ecclesiae ad Civitatem multis displicuerunt, qui Auctorem eapropter tam in Ephemeridibus, quam operibus periodicis literariis severe perstringebant [771]; sed et singulares editi sunt libelli ex parte Catholicorum aeque ac Protestantium ad refutanda ea, quae Görres sive contra Regimen Borussicum protulit, sive de mutua relatione Ecclesiam inter ac Civitatem proposuit. Nos non animadvertere non possumus: Auctorem doctissimum initio operis sui palam affirmavisse, scopum illius non esse nisi animos nonnihil concitatos sedare, et ad pacem hortari; in fine vero eiusdem operis Catholicos Rhenanos ad vim vi repellendam provocavisse.

---

249. Primus contra librum Joannis Görres scripsit: Henricus Leo, *Sendschreiben an J. Görres. Halle. 1838.* et quaevis Gubernii facta relate ad AEppiscopum Coloniensem suscepta defendere adnisus est, cetera inter adstruens: a Gubernio Borussico coniugia mixta prorsus ita, prout antea in Ecclesia Catholica aeque ac Protestantica tolerabantur, considerata, et nihil in favorem partis coniugum acatholicae constitutum, sed duntaxat id prohibitum fuisse, ne nubentes praevie, dum plena libertate morali alioquin non gaudent, sponsionem de prolis futurae religionaria educatione eliciant. [772]

250. Philipp Marheinecke, *Beleuchtung des Athanasius von J. Görres. Berlin. 1838.* ea, quae contra opus

---

771) Signanter: *Allgemeine Kirchenzeitung für Deutschland und die Schweiz 1838. No. 39. — Hallische Jahrbücher. 1838. p. 481. 729.* — Rheinwald *Repertor. XXIII. B. p. 25. — Allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 38. — Allgemeine Literatur-Zeitung, 1839. No. 81. 82. Katholische Blätter. Zürich. 1839. p. 246.*

772) Recensiones: *Evangelische K. Z. Berlin. 1838. No. 49. 50.* — Gersdorf *Repert. XVII. B. p. 128.* — Rheinwald *Repert. XXIII. B. p. 27. 40. Allgem, Lit. Zeitung. 1839. No.82.*

Gorresii proferenda censuit, ad tria capita referens, a) adversus Hierarchiam et Primatum in Ecclesia Catholica plura obmovet, impugnatve praeprimis ius, omnes proles e connubiis mixtis genitas in fide Catholica educandi. b) De relatione inter Ecclesiam et Civitatem adversus libertatem Ecclesiae a Görresio propugnatam invehitur. c) Aevum medium a Joanne Görres laudatum multum vituperat. [773])

251. Karl Bruno, *Kern und Schale oder drei politische Blicke auf die kölnische Angelegenheit. Jena. 1838.* multis convitiis onerat Scriptorem Athanasii: de eventu Coloniensi statuit, eum in se spectatum non esse magni momenti, cum AEppus pure propter inobedientiam erga leges civiles punitus sit; posse tamen pro ratione adjunctorum periculum ex hoc AEppi facto Statui Publico imminere, praesertim si Catholici relictis illuminatioris temporis principiis ad beata medii aevi tempora regredi voluerint. [774])

---

252. *Görres und Athanasius. Leipzig. 1838.* unice ea profert, quae ad maculam nomini Görresii inspergendam comparata sunt. [775])

253. Ernst L. Steinert, *Sendschreiben an den Herrn Görres in München, von einem Freunde des Lichts und der Wahrheit. Leipzig. 1838.* Lutherum et Protestantes adversus objectiones Görresii defendit, Regem autem Borussorum, quod AEppum intolerantem a munere suo suspenderit, laudibus extollit. [776])

254. *Anti-Athanasius, oder Görres und Gossler, die Parteigänger der römischen Curie, und Sachwalter des Erzbischofs von Köln. Beitrag zur Geschichte des deutschen Chamäleonismus, vom Verfasser der Schrift: Der Erzbischof*

---

773) Recensio: Rheinwald Repertor. XXIII. B. p. 27.

774) Recensiones: Gersdorf *Repert. XVII. B. p. 119.* — Rheinwald *Repert. XXVII. B. p. 217. 231.* — *Göttingische gelehrte Anzeigen. 1841. St. 150. p. 1489.*

775) Recensiones: Rheinwald *Repertorium. XXIII. B. p. 27.* — *Theolog. Literaturblatt zur allg.,K. Z. 1839. No. 119.*

776) Recensio: Gersdorf *Repertor. XVII. B. p. 129.*

von Köln, seine Principien und Opposition. Leipzig. 1838. nihil ad rem adfert, nulliusque est pretii. [777])

255. *Sendschreiben der evangelischen Freifrau Athanasia an den Pater Athanasius in Betreff einiger von demselben neuangeregten Bedenken. Köln. 1838.* Sponsionem, quam Ecclesia Catholica a personis diversae religionis circa educationem catholicam prolium exigit, velut talem traducit, quae de prole nondum nata sed primo futura elicita sit contra omnem verecundiam. [778])

256. J. G. Schlemmer, *Görres in seinem Athanasius als unbedingter Vertheidiger des Erzbischofs von Droste-Vischering, beleuchtet nach seiner die Selbstständigkeit des Staates, den Protestantismus und die freie geistige Entwicklung gefährdenden Richtung. Nürnberg. 1838.* id praecipue agit, ut lectores operis Görresiani ad scopum auctoris Statui Publico perniciosum attentos reddat: quare eundem de commate ad comma insequendo, principia, quae de iuribus Principum circa sacra statuit, in crisin revocat; relate ad opinionem vero quatuor Doctorum de mixtis matr. in opere Görresii contentam monet: Conventionem ac Instructionem Berolinensem Brevi Pontificio esse conformem, hancque consonantiam etiam probare nititur. [779])

257. Krug, *Gregor VII. und Gregor XVI. oder Altes und Neues Papstthum. Eine kritische Parallele mit Hinsicht auf Görres' Athanasius, nebst Vorschlägen zur Güte. Leipzig. 1838.* principia Joannis Görres ex eo fundamento profluere censet: quasi nullum foret inter Pontificatum Gregorii VII. et illum Gregorii XVI. discrimen, sed dictatus Gregorii VII. etiam hodie plenum habeant robur: unde multa disserit de auctoritate RR. Pontificum id persuasurus,

---

777) Recensiones: *Theologisches Literaturblatt zur allgemeinen Kirchenzeitung. Darmstadt. 1838. p. 885.* — Gersdorf *Repertorium der gesammten deutschen Literatur. XVII. B. Leipzig. 1838. p. 128.*

778) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XXI. B. p. 117.* — *Theolog. Literaturbl. zur. allg. K. Z. 1839. No. 119. p. 964.*

779) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 129.* — *Theol. Litblatt. 1839. No. 118.*

longe aliis principiis hodie Pontifices regi debere, quam antea, nec amplius Protestantes instar haereticorum tractari, aut contra publica Principum edicta in rebus religionis perlata protestationes fieri, sed potius prout in hoc, ita speciatim in matr. mixtis omnem, quae tantum possibilis est, indulgentiam exhiberi oportere. [780])

258. Karl Gutzkow, *die rothe Mütze und die Kapuze. Zum Verständniss des Görres'schen Athanasius. Hamburg. 1838* de instructione Berolinensi anni 1834. pronunciare non erubescit: illam in bonum Ecclesiae Catholicae directam fuisse: in reliquo librum Görresii ne a procul quidem refutavit. [781])

---

259. Joannes Görres, tantos nactus impugnatores et adversarios, tribus tantum illorum peculiari libello responsum dedit, qui hunc praefert titulum: *Die Triarier, H. Leo, P. Marheineke, k. Bruno. Regensburg. 1838.* In hoc opere et principia de genuina relatione Ecclesiae ad Civitatem in priori iam uberius proposita, vindicavit, signanterque doctrinam de vera iurisdictione a Christo Ecclesiae data Primatuque Romanae Sedis defendit; et statum controversiae de mixtis matr. in Borussia clarius evolvendo demonstravit, intentionem Regiminis reapse Ecclesiae Catholicae inimicam fuisse. [782])

260. Idem Görres in opusculo, quod in anniversariam eventus Coloniensis memoriam, 20. Nov. 1838. sub titulo: *Zum Jahresgedächtniss des 20. Nov. 1837. Regensburg. 1838.* edidit, breviter sed admodum energice expositis iis, quae inde a captivitate AEppi gesta sunt, praeprimis thema illud evolvit: pacem inter Ecclesiam et Regnum

---

780) Recensiones: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. No. 108. — Katholische K. Z. Frankfurt. 1838. p. 365.* — Rheinwald *Repertorium. XXIV. B. p. 39.*

781) Recensio: Rheinwald *Repert. XXIII. B. p. 27. 48.*

782) Recensiones: Phillips et Görres, *historisch-politische Blätter für das kathol. Deutsland. II. B. München. 1838. p. 96.* — Gersdorf *Repertorium. XVII B. p. 427. — Hallische Jahrbücher für Wissenschaft. 1838. p. 1913.*

non aliter restitui posse, quam si Regnum in iis, quae stricte ecclesiasticae sunt potestatis, plenam huic concesserit libertatem.

§. 210.

Auctores Protestantici, qui post opus Joannis Görres de eventu Coloniensi et Posnaniensi scripserunt, ex anno 1838.

261. *Die Unduldsamkeit der christlichen Confessionen, vor den Richterstuhl des XIX. Jahrhunderts gestellt von einem protestantischen Baiern, veranlasst durch die Cölner Angelegenheit. Nürnberg. 1838.* Auctor libri huius censetur esse Professor Norimbergensis Ghillany [783]), qui cum in Ephemeridibus: „Correspondent von und für Deutschland. 1838. Nro. 54." articulum quemdam contra principia Joannis Görres vulgavisset, in eoque adstruxisset, ab Ecclesia Catholica universos Protestantes pro damnatis creaturis haberi, et omnes haereticos persequendos ac cremandos doceri: in iisdem Ephemeridibus adserta haec aut congruis documentis probare, aut revocare urgebatur; quamobrem concinnavit librum supra memoratum, ut probet, sua asserta reapse vera esse, et vel in unico Coloniensi eventu palam apparere, quod Romana Curia rursus pristinum dominatum totius orbis revehere satagat. Primum ostendere voluit ex pluribus Bullis Pontificiis excommunicatoriis, et praesertim inde, quod Ecclesia Catholica omnes proles e connubiis mixtis progenitas in fide sua educari velit. Liber iste nec Protestantium tulit adprobationem [784]): imo Auctor illius fundamento nonnullarum assertionum doctrinae Protestanticae nequaquam conformium, per decretum Consisto-

783) In scripto periodico: *Deutsche Blätter für Protestanten und Katholiken. 3. Heft. Heidelberg. 1839. p. 5.* erronee censetur, auctorem esse catholicum.

784) Gersdorf *Repertorium der gesammten deutschen Literatur XVII. B. Leipzig. 1838. p. 307. — Theolog. Literaturblatt zur allgem. Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. p. 187.*

riale Protestanticum de 15. Febr. 1839. ab exercitio functionum religiosarum suspensus fuit. [785])

262. Schmid, *Betrachtungen eines protestantischen Rechtsgelehrten über das Verhältniss des Staats und der Kirche, veranlasst durch die Angelegenheit des Erzbischofs von Cöln. Minerva, ein Journal historischen und politischen Inhalts. Jena. 1838. II. B. p. 108—172. 332—357. 413—485. III. B. 232—285.* de iuribus Principum circa sacra nimis magnifice sentit, ita, ut omni fere libertate Ecclesiam exuat; omnia Regiminis Borussici facta in causa Coloniensi et Posnaniensi probat, atque affirmat, id fore opportunissimum ad praecavendas collisiones medium, si determinetur, copulationem et benedictionem personarum diversae religionis semper a parocho sponsi suscipiendam esse. [786])

263. *Philadelphus, der Staat, die Kirche, und die Kölner Angelegenheit: oder zu welchem Ausgange wird die Kölner Angelegenheit führen? Braunschweig. 1838.* Auctor operis istius, qui passim censetur esse Sachs, Professor Medicinae Regiomontanus, praemisso eo: in causa Coloniensi non tam agi de controversia inter Catholicismum et Protestantismum, quam de vetusto, in novaque solum forma resuscitato dissidio inter lucem et tenebras, gaudendumve summopere esse, quod decisio huius dissidii in manus Regis Borussiae et sapientis et pii venerit: persuasum pergit, Regimini Borussico universos Status Christianos magna obstrictos esse gratitudine, quod in causa Coloniensi talia evolverit principia, quae summi momenti sequelas easque utilissimas pro orbe Christiano habere possunt; nec aliud per Regimen Borussicum intendi, quam ut systema doctrinae christianae ad evangelicam reducatur puritatem, et populus evangelica libertate regatur. Principes viros provocare non dubitat: ut pro supremo iure suo in rebus sacris primum quidem Ecclesiae Romanae, quae Protestantes haereticis adnumerat, solenniter contradicant, tum auctoritate sua praecipiant: ut Ecclesiae Catholicae ministri nulla matrimoniis

785) cf. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. p. 608.*

786) Recensio: Gersdorf *loc. cit. p. 420.*

mixtis ponant impedimenta, et nequidem ab illis fideles suos dehortari praesumant. [787])

264. *Die Kirche im deutschen Staatenbund. Nürnberg. 1838.* iis, quae de eventu Coloniensi magno numero in lucem edita sunt, scriptis se septuaginta et unum annos natum nondum contentum esse profitens anonymus Auctor, aeriam vocem suam attollere se velle annunciat: et in forma epistolarum ad amicum suam conscribit opellam. In ea vero non aliud praestat, quam quod aliorum suae confessionis hominum more contra Curiam Romanam detonet, Concordata dissuadeat, Principum iura extollat, ab iisque ministros religionis ad impertiendam benedictionem nuptialem cogi posse adstruat, demum vehemens votum in eo proponat, ut per Regimen Borussicum ocyus Synodus convocetur, in haeve novus ordo et canon pro Protestantibus condatur. [788])

265. *Die Allocution des Papstes Gregor XVI. vom 10. Dec. 1837. Mit einem Nachtrage über Görres' Athanasius. Hannover. 1838.* potissimum in discussione quaestionis: num matr. mixta ad doctrinam vel disciplinam spectent? versatur. Ad doctrinam referri ea non posse inde apparere ait, quod tum pro omni casu illa prohibenda forent, id autem nullum fecisse adhuc Romanorum Pontificum; eo ipso

787) Recensiones: *Literarische Zeitung. Berlin. 1839. No. 14.* — Gersdorf *Repertor. XXI. B. p. 124.* — Rheinwald *Repertor. XXVII. B. p. 217. 233.* — Richter *kritische Jahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft. 1839. p. 589.* — *Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. Berlin. 1839. II. B. No. 113—115.* — *Theol. Liter. blatt zur allgem. K. Z. 1840. No. 89. p. 718.* — Plurima errata in opere Sachsii detexit Rintel, *Vertheidigung des Erzbischofs von Posen. Würzburg. 1839.* qui auctori omnes cognitiones iuridicas et canonicas, ad ferendum de eventu Coloniensi iudicium necessarias, deesse ostendit.

788) Recensiones: Gersdorf *Repert. loc. cit. p. 123:* „die Scrift enthält eine Anzahl unzusammenhängender Sätze über Jesuiten, über Febronius, über das collegial-hierarchische und Territorial-System, über gemischte Ehen — es gebricht dem Verfasser an aller und jeder Einsicht." — Rheinwald *Repertorium. loc. cit. p. 217. 227.* — *Theolog. Liter. blatt zur allg. K. Z. 1840. No. 35. p. 284.*

vero, quod quaestio haec de matr. mixtis sit disciplinaris, eam legibus quoque civilibus subiacere concludit. Conditionem de promittenda praevie catholica prolium educatione reiicit tamquam talem, quae a coniugibus protestanticis desideret, ut propriae suae convictioni renuncient, Ecclesiaeque Catholicae potius quam suae Confessioni faciant satis. [789])

266. *Allocution d' un protestant à ses co-religionnaires et à tuos les gens sensés. Minerva, ein Journal historischen und politischen Inhalts. Jena. 1838. IV. B. p. 513—524.* socios suae confessionis alloquitur Auctor anonymus, et vehementi nimisque acri stylo in Pontificatum Ecclesiae invehitur, AEppum Coloniensem uti periurum et refractarium Praelatum describit, beneficia Reformationis Sec. XVI. extollit, eamve brachio seculari mediante continuari atqne ad finem perduci desiderat.

§. 211.

Auctores Catholici ex eodem anno, qui post librum Görresii scripserunt.

267. J. Ellendorf, *Beurtheilung der Römischen Staatsschrift und der Allocution. Rudolstadt. 1838.* [790]) vitio vertit Curiae Romanae, quod in Scripto eiusdem officioso in causa Coloniensi edito unice controversia de matr. mixtis commemoretur. Cetera adserta Auctoris huius revocare licet ad sequentia: quod leges civiles de matr. mixtis tunc tantum repugnare possint Ecclesiae Catholicae, si Status Civilis desideret, ut omnes proles in Confessione Protestantica educentur, partique protestanticae proles catholice educare prohibeat; item quod Ecclesia Protestantica pari iure gaudeat ac Catholica, hincque tolerari nequeat, ut haec se

789) Recensiones: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1838. p. 887. — Göttingische gelehrte Anzeigen. 1838. p. 636. 649. — Historisch-politische Blätter für das kath. Deutschl. II. B. p. 170. 505. III. B. p. 736.*

790) cf. §. 206. No. 216.

solam tamquam veri nominis Ecclesiam aut plane velut unice salvificam venditet. [791])

268. J. Ellendorf, *welchen Sinn hat das Breve vom 25. März 1830. in Betreff der gemischten Ehen, und wie verhält sich zu selbem die bekannte Instruction? Ein Versuch, die Instruction mit dem Breve in Einklang zu bringen. Berlin. 1838.* omni virium contentione persuadere studet: concessiones in Brevi Pii VIII. contentas non aliorsum, quam ad id referri, quod de exigenda promissione super catholica prolium educatione sileatur, hinc Breve cum Edicto Regio anni 1825. consonare, multoque magis cum Instructione Spiegeliana, cuius scopus fuerit, palam declarare, ea, quae per legem a. 1825. sancita sunt, a parochis catholicis absque omni scrupulo et difficultate in executionem sumi posse. [792])

269. *Beurtheilung der Thatsachen, durch welche die Massnahmen der Preussischen Regierung gegen den Erzbischof von Köln herbeigeführt worden sind: nach staatsrechtlichen, kirchenrechtlichen und rein theologischen Principien. Von einem Freunde der Wahrheit und Anhänger der kathol. Kirche. Frankfurt. 1838.* iura Principum ita dicta maiestatica circa sacra extollit, praesertim necessitatem Placeti Regii propugnans, sine quo nullum Breve Romanum obligandi vi pollere asserit.

270. *Drei Aufsätze die Kölnische Frage betreffend. Frankfurt. 1838.* continet animadversiones in opusculum priore No. citatum.

271. *Bemerkungen und Briefe über die kirchlichen Angelegenheiten von Köln. 2. Hefte. Bamberg. 1838.* in *reflexionibus* vitio vertit primum Regimini, quod ante electionem Baronis Droste in AEpiscopum quaestionem de Instructione famosa anni 1834. ei posuerit, sicque libertatem eligendi

---

791) Recensiones: Gersdorf *Rep. XVII. B. p. 418.* — Rheinwald *Rep. XXV. B. p. 143.* — *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1840. No. 34.*

792) Recensiones: Gersdorf *loc. cit pag. 418.* — Rheinwald *Repert. XXIX. B. p. 225. 241.*

Capituli Coloniensis laeserit; dein AEppo, quod antequam instructionem sibi exhiberi faceret, eam ab se servandam spoponderit. In *Epistolis* autem a) defendit puram intentionem Declarationis Regiae de 21. Nov. 1803. ut scilicet proselytismo catholicorum et dogmati de sola salvifica modus ponatur; b) non negat legem anni 1825. ingrata sensatione catholicos incolas Provinciarum Rheni adfecisse, utpote legibus Gallicanis assuetos, et in lege Borussica intentionem Catholicismo infestam latere credentes; c) modum sopiendae controversiae Coloniensis hunc proponit, ut AEppus in officium et Sedem suam restituendus mox resignet, Regimen vero legem de prolibus mixtorum matr. in confessione patris educandis abroget; d) Joannem Görres in suis cogitationibus evanuisse censet. [793])

272. Anton Graf von (Neigebauer), *die Erzbischöfe von Köln und Posen. Darstellung der welthistorischen Bedeutung der katholischen Frage in Preussen. Leipzig. 1838.* eventum Coloniensem ceu talem e quo magnae sequelae pro triumpho et bono Ecclesiae Catholicae promanaturae sint, describit, AEppum autem tamquam martyrem pro fide orthodoxa passum sistit; multum quoque dolet, matr. mixta in Ecclesia Catholica pro validis haberi et coram parochis catholicis passive licet assistentibus ineunda permitti: cum ex praxi ista, penes hodiernam irreligionem et indifferentismum, praevidere liceat, multa connubia mixta coalitura, et cum etiam sic conclusa matrimonia censeantur esse vera sacramenta, totam quaestionem Sacramenti legislationi civili et arbitrio privatorum relinqnendam esse. [794])

273. *Das Metropolitan-Domkapitel zu Köln in seinem Rechte, oder Verhalten desselben und seine Verhandlungen mit dem Apostolischen Stuhle in der Erzbischöflichen Sache. Eine kanonistische Abhandlung mit authentischen Aktenstücken. Köln. 1838.* historiam exponit eorum, quae Capitu-

---

793) Recensiones: Gersdorf *loc. cit. p. 421. — Liter. Zeitung. Berlin. 1839. No. 14.*

794) Recensio: *Theolog. Liter. blatt. zur allg. K. Z. 1839. p. 966.*

lum Coloniensae post abductum AEppum agenda suscepit, factave Capituli ex Canonibus legitimare studet. Auctor libelli censetur esse Canonicus Coloniensis *Nicolaus München.* [795])

§. 212.

Opera, quae decursu anni 1838. in lucem edita sunt, et nullo ad eventus Colonienses ac Posnanienses in Borussia respectu habito quaestionem de matrim. mixtis pertractarunt.

Post recensitos Auctores, qui decursu anni 1838. ex incidenti eventuum recentissimorum in Borussia tam *pro* quam *contra* scripserunt, percurrere volumus opera, in quibus nulla habita ad eventus illos relatione quaestio de matr. mixtis pertractata fuit.

274—276. Primum memoramus libros, qui ad percelebre opus de persecutionibus Catholicorum ex parte Gubernii Regii Borussici suscitatis anno 1835. editum [796]) se referunt. a) Celebre hoc opus anno 1838. in linguam Gallicam translatum tum Bruxellis in Belgio, tum Parisiis in Gallia sub titulo *libri rubri* (le livre rouge) prodiit; Bruxellis quidem: *Le Livre Rouge, tableau des Persecutions exercées contre les Catholiques en Prusse au XIX. Siecle.* Parisiis autem: *Le Livre rouge, ou Entretiens de quelques paysans des provinces rhenanes, sur les persecutions contre les Catholiques, traduits de l'Allemand, à l'occasion de l'affaire de l'archeveque de Cologne et précédées d'une préface de la lettre attribuée à cet archeveque par le docteur J. H. de Strasbourg.* b) Contra opus nunc laudatum scripsit Presbyter quidam Catholicus: *Le Livre noir, ou la Propagande ecclesiastique Belge, dévoilée par — Prétre catholique. Bruxelles. 1838.* id ostendere cupiens, Clerum Belgicum in eo fuisse, ut Provincias Rhenanas sceptro Borussico parentes ad idem audendum permoveat, quod in Belgio a. 1830. contra Regem Hollandiae evenit. *Nigrum* librum in Germanicum transtulit

795) Recensio: *Historisch-politische Blätter. II. B. p. 158.*
796) cf. §. 162. No. 137.

Dr. Bruns, *das schwarze Buch, oder die enthüllte Propaganda Belgiens. Altenburg. 1838.* praefationem addente Professore Bonnensi Rheinwald, in eaque Auctorem libri nigri ab impartialitate et exactissima rerum notitia laudante [797]). — c) Contra hos et alios adversarios pro defensione eorum, quae in libro memorabili superius laudato de persecutione Catholicorum in Regno Borussiae in medium adlata sunt, adfuit Auctor libelli: *Die katholische Kirche Preussens. Eine Bestätigung der Beiträge zur Kirchengeschichte des XIX. Jahrhunderts. Neuburg. 1838.* [798])

277. Gründler, *über die Rechtmässigkeit gemischter Ehen nach dem in den deutschen Bundesstaaten geltenden katholischen und evangelischen Kirchenrechte. Leipzig. 1838.* optans, ut in partibus Foederis Germanici uniformia de matr mixtis vigeant principia, talia in opere isto proponere constituit: scilicet ut matr. mixta nullatenus impediantur, proles in religione per ipsos parentes determinanda educentur, conditiones ab Ecclesia Catholica desideratae de abiuranda haeresi, de omnibus prolibus catholice educandis velut tales, quae nec Jure Canonico stricte exiguntur, et parti acatholicae multum praeiudicii inferunt, reiiciantur. [799])

278. *Beherzigenswerthes über die gemischten Ehen. Athanasia, Zeitschrift für Pastoraltheologie. Neue Folge. VII. B. p. 497—507.* matr. mixta semper e quodam indifferentismo religioso procedere et culpa hac partem catholicam gravari ostendit, una leges civiles, quae prolibus post attactos annos discretionis libertatem praebent eligendae religionis, perstringens.

279. *Belehrung und Warnung eines Pfarrgeistlichen für seine Pfarrkinder im Punkte der gemischten Ehen. Atha-*

797) Recensiones: *Göttingische gelehrte Anzeigen. 1838. p. 1956. — Allgemeine Literatur-Zeitung. 1840. No. 12. ff.*

798) Inprimis *Joannem Ellendorf* auctorem operis §. 162. No. 188. recensiti impugnat.

799) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XVII. B. p. 430. — Theolog. Literaturblatt zur allgem. K. Z. 1840. No. 89. 90.*

nasia. VIII. B. p. 343—350. in forma catechetica proponit doctrinam de mixtis nuptiis, fidelesque ab iis ineundis hoc argumento dehortatur, quod pars coniugum catholica nec de eo: an gratiam sacramentalem obtinuerit, nec de eo: an coniux acatholicus ipsi usque ad mortem fidelis sit futurus? certa esse possit.

280. *Kann und darf ein Katholik, ohne sein Gewissen zu beschweren, sich mit einer Person aus der evangelischen Kirche verehelichen, und es zugeben, dass die Kinder in der evang. Confession erzogen werden? Von einem kathol. Pfarrer. Badisches Kirchen- und Schulblatt. 1838. No. 17.* affirmative quaestionem resolvit eo, quod, ut ait, Evangelici cum Catholicis in substantia religionis, nimirum fide in Christum, caritate activa erga Deum et proximum conveniant, cordisque puritate in utraque Confessione salus obtineri possit.

281. Kritzler, *über Härten in dem Gesetze des Grossherzogthums Hessen vom 27. Febr. 1826. die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen betreffend. Allgemeine Kirchenzeitung. 1838. No. 145.* criticas continet in legem M. Principatus Hassiaci reflexiones: illamque, quod libertatem transigendi de religione prolium parentibus ademerit, violentam, et talem, quae in iura coniugum involet, describit.

282. Carolus Klien, *commentatio de matrimoniis mixtis. Leipzig. 1838.* auctor protestanticus, quaestionem de coniugiis his admodum difficilem ac ancipitem esse confitetur, summeque interesse censet, ut Civitas in re hac religiosa utramque prius audiat Ecclesiam, ne libertas conscientiae detrimenti quid capiat. Catholicos iuxta principia suae religionis agere agnoscit, quod suos a matr. mixtis dehortentur, nec nisi sub certis conditionibus ea iniri permittant: quare etiam Evangelicos ab illis deterrere vult Auctor, utpote e quibus ob fidei discrepantiam dubitationes, sollicitudines, et vexationes facillime oriri possunt, per leges civiles nequaquam avertendae aut pacandae; absonumque sit sperare petereque concordiam, pacem domesticam, amorem

perpetuum, si unus coniux perpetuo desperet de salute alterius. [800])

---

3. Literatura anni 1839.

§. 213.

Auctores Protestantici, qui pro defensione Regiminis Borussici, et contra Archiepiscopos Coloniensem ac Posnaniensem scripserunt.

283. Bretschneider, *über die Privilegien des römischen Stuhles in Beziehung auf die Staatsgewalt, nach dem rechtlichen Standpuncte. Allgemeine Kirchenzeitung. 1839. No 1—4.* Auctor, magni inter hodiernos Protestantes Rationalistas nominis, in dissertatiuncula ista, ex incidente eventuum Coloniensium ac Posnaniensium scripta, contra Potestatem Primatialem in Ecclesia Catholica debacchatur, ut ita viam sibi quadamtenus struat ad ostendendum: relationem inter Catholicos et Protestantes in Germania hodie longe aliam esse, ac olim iuxta theoriam Ecclesiae Romanae fuerit, et ideo leges contra matr. mixta Catholicorum cum haereticis olim latas ad hodierna connubia inter catholicos et protestantes applicari haud posse.

284. Bretschneider, *Der Freyherr von Sandau, oder die gemischte Ehe. Eine Geschichte unserer Tage. Halle. 1839.* magnum sibi hoc libello, intra unius anni defluxum quater edito, apud multos nomen comparavit Auctor. *Scopus* erat: iudicium sine partium studio ferendi de universa agendi ratione, quam Sedes Romana relate ad Gubernia Protestantica in re mixtarum nuptiarum tenuerat; porro controversiam componendi, Catholicos ad unionem cum Protestantibus excitandi, illos demum, qui in mixtis connubiis vivunt, aut talia primo inire volunt, de gravitate passus sui attentos reddendi, simulque principia ea suggerendi ac explicandi, iuxta quae unice sperari possit futura inter coniuges reli-

800) Recensio: Richter, *krit. Jahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft. 1838. p. 947.*

gione dispares harmonia. Cum autem non tam pro eruditis quam pro inferioris et incultioris hominum classis publico opus suum destinaret, forma *fabulae romanensis* illud vestivit. Non est vero doctrina Ecclesiae Catholicae, cuius in libro hocce non occurrat mentio: inde a Primatu RR. Pontificum usque educationem religionariam prolium e mixtis matrimoniis, omnes fere doctrinae, puta Primatus Sedis Romanae, Episcoporum potestas, Sacerdotium, Celibatus Clericorum, coelum, infernus; porro eventus in Borussia circa mixta coniugia, iura maiestatica Principum circa sacra, Propaganda Belgico-Jesuitica (uti eam nominat), Athanasius Joannis Görres, Bavaria Catholica etc. in scenam deducuntur, et per se cuncta traducuntur; praeprimis tamen doctrina de una ac sola salvifica Ecclesia quemadmodum principium, ita finis quoque est Fabulae istius Romanensis. In illa etiam idea multum sibi complacet Auctor: esse in Germania magnum iam Catholicorum *illuminatorum* numerum, qui orthodoxiae Romanae froena laxent, et liberaliora foveant principia, neque tantopere mixta detestentur connubia. Nimis longos nos esse oporteret, si Auctoris famosi innumera errata, falsa citata, textus depravatos etc. in medium adferre vellemus. Praestitere id complures, iique non ex Catholicis modo verum etiam Protestantibus, viri eruditi in recensionibus super opere Bretschneideri vulgatis. [801])

---

801) Ex Catholicis commemoramus: *Allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 577. et 1564.* — *Herold des Glaubens. 1839. p. 230.* — *Historisch-politische Blätter für das kath. Deutschland. III. B. p. 204.* — *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1838. p. 752.* (de prima editione.) — *Katholik. 78. B. 1840. p. 32.* — Ex Protestantibus in laudes operis se effundunt: *Allgemeine Liter. Zeitung. 1839. No. 18. 19.* — Gersdorf *Repertorium. XIX. B. p. 304.* — *Hallische Jahrbücher. 1839. p. 77.* — Justa vero censura perstringunt librum Bretschneideri: *Evangelische Kirchenzeitung. Berlin. 1839. p. 200. 223. ff.* — *Kirchenfreund für das nördliche Deutschl. Osnabruck. 1839. No. 26:* „wo es gilt die evang. Kirche zu vertheidigen, da kommt überall die ganze Schwäche der Bret. Theologie in bedauerlicher Nacktheit zu Tage. B. hat seine pelagianische Auffassung des Christenthums breit vorgetragen, und von diesem Standpunct aus das römische System zu bekämpfen gesucht — ein Ver-

285. *Worüber streiten die preussische Regierung und der Papst? Eine kurze Angabe der Ursachen dieses Streites einschliessend eine Beleuchtung der aus demselben entsprungenen Befürchtungen auf katholischer und protestantischer Seite, nebst einigen Vorschlägen, wie der Streit über die gemischten Ehen am leichtesten behoben werden könne. Von einem Schlesier. Oppeln. 1839.* intentionem Religioni Catholicae infestam a Regimine Borussico amoliri, legem autem de religione patris a prolibus sequenda extollere studet. Ad dissensiones componendas hoc medium projectat, ut vel semper minister religionis sponsae et copulet, et baptiset, vel minister confessionis, cui sponsus addictus est, ne nimirum unquam copulans a baptisante differat; hocque posito nuspiam eventurum ait casum, ut sacerdos catholicus copulationem denegare debeat. [802])

286. Carl Raimund, *die Suspension des Erzbischofs von Köln. Aus dem Standpuncte des natürlichen Rechts betrachtet. Dortmund. 1839.* ex principiis Juris naturalis eventum Coloniensem expendit, inter quae siquidem hoc quoque referat: quod in Statu Civili Potestas Ecclesiae ab illa Principis dependeat, AEppum Coloniensem ipso iure naturae condemnat, velut talem, qui statum in statu erigere voluerit. [803])

287. *Allocution, aber keine päpstliche, an das gesammte evangelische Volk in teutschen Landen. Leipzig. 1839.* Evangelicos monet, ut confessioni suae sollicite intendant, ab iisque cumprimis sibi caveant, qui occasione motuum Coloniensium contra confessionem Protestanticam insurrexerunt. Protestantismum multis titulis praefert Catholicismo. In defensionem mixtorum matr. adducit argumen-

---

fahren, das sich selbst widerspricht." — Rheinwald *Repert. XXIX. B. p. 223.*: „überhaupt kann man die rationalistische Einseitigkeit und den herrschenden Mangel an Objectivität in diesem Producte nicht verkennen, und nicht ungerecht ist der Vorwurf, dass die Brel. Katholiken nur Bilder seiner Phantasie seyen."

802) Recensiones: Gersdorf *Rep. XXI. B. p. 118.* — Rheinwald *Rep. XXVII. B. p. 216. 223.*

803) Recensio: Gersdorf *loc. cit. p. 113.*

tum ex Apost. Paulo de coniugiis fidelium cum infidelibus. [804])

288. (Heffter,) *der gegenwärtige Grenzstreit zwischen Staats- und Kirchengewalt aus dem staats-kirchenrechtlichen und legislativen Gesichtspunct erörtert von einem Norddeutschen Publicisten. Halle. 1839.* statum quaestionis sic figit, ut pateat, in eventu Coloniensi agi de universa relatione Ecclesiam inter et Civitatem: cumque tota quasi Hierarchia contra iura Civitatis consurrexerit, recte factum esse ait ex parte Regiminis Borussici, ut Hierarchiae potestas Regia opponeretur. Quoad quaestionem de coniugiis mixtis existimat, optimum fore, si lex illa naturalis servetur, secundum quam vir est caput familiae, ad quem de religione prolium disponere pertinet. [805])

289. Paulus, *zweite strengere Beleuchtung des immer lauter werdenden Principienkampfs zwischen Römischer Hierocratie und teutscher Staatsrechtlichkeit. Heidelberg und Leipzig. 1839.* continuat argumentum in primo volumine [806]) inchoatum; in Allocutiones Pontificias in merito eventuum Coloniensis ac Posnaniensis habitas invehitur, iura Suprematiae Status etiam quoad res sacras propugnat, Primatum Romanae Sedis impetit, in disparitate religionis pro ineundo mixto connubio, inconsulto Papa, dispensari posse adstruit. [807])

290. *Das Evangelium und die Römische Curie, oder wie stimmt Christus zu Belial? Ein Beitrag zur Lösung der Zeitfrage: wer stört die katholische Kirchenfreiheit in Preussen? das Papstthum oder des Königs Regierung? Von einem Verehrer des Mannes im Lande Uz. Erfurt. 1839.* Hierar-

---

804) Recensiones, Gersdorf *loc. cit. p. 118.* — *Theolog. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1841. p. 357.*

805) Recensiones: Gersdorf *Rep. l. cit. p. 125.* — *Allgemeine Lit. Zeitung. 1839. No. 153.* — *Jahrbücher für wiss. Kritik. 1839. II. B. p. 460.* — Rheinwald *Repert. XXXI. B. p. 137. 153.*

806) cf. §. 205. No. 184.

807) Recensiones: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1839. No. 63.* — *Allg. Lit. Zeitung. 1839. No. 153.* — Rheinwald *l. cit. p. 137. 154.*

chiam Ecclesiae Catholicae et cumprimis Primatum exosum reddere conatur, Christum non novam Ecclesiam fundasse, sed Judaicam tantum reformasse adstruit, et ea, quae de potestate RR. Pontificum traduntur, non Evangelio conformia, sed Papatus esse inventa criminatur. Nullius prorsus pretii libellus!

291. Karl Schrader, *Friedensworte an die katholische Christenheit in einem Gespräch zwischen einem katholischen und einem evangelischen Christen über die neuesten kirchlichen Ereignisse in Preussen. Rinteln und Leipzig. 1839.* in forma dialogi stylo populari concinnati inducit Catholicum gementem, quantae calamitates Ecclesiae Catholicae per recentissima Regiminis Borussici facta obvenerint; et Protestantem primo respondentem, eventus Colonienses non ad religionem sed solum ad disciplinam pertinere, tum probare nitentem, nullam proprie inter Catholicos ac Protestantes intercedere realem respectu doctrinae differentiam. [808])

292. *Ulrich von Hutten. Volksthümliche Betrachtungen des gegenwärtigen kirchlichen Streites in Deutschland. Magdeburg. 1839.* Auctor libri huius se nec in Theologia versatum nec secus eruditum esse, sed solum in gratiam popularium scribere profitetur: in reliquo persuadere satagit, genuina purioris ac originarii Catholicismi principia in Borussia recentissimo tempore evoluta, Ecclesiamve Romanam brevi interituram esse. [809])

293. Dr. Phosphor, *vom religiösen Schwindel, wie solcher sich neuerlich in dem Streite der Preussischen Regierung mit der Römischen Curie zur Schau gestellt hat. Braunschweig. 1839.* multis contra dignitatem Pontificum Romanorum, item Ordinem Societatis Jesu praemissis, Alloquutionem Pontificiam in negotio eventuum Posnaniensium habitam hostiliter adgreditur, eandemque vehementi acrive stylo persequitur. [810])

---

808) Recensio: *Theol. Lit. blatt. 1841. No. 46.*

809) Recensio: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1840. No. 114. p. 924.*

810) Recensio: *Theol. Literaturblatt, loc. cit. p. 931.*

294. Ph. Ludw. Wolfart, *Preussen in seinen religiösen Verhältnissen. Beiträge zu einem Staatskirchenrecht einer christlich-evangelischen Monarchie. Berlin, Posen, Bromberg. 1839.* de matr. mixtis singulare quid protulit: nempe in matrimonio inprimis quidem obtutum religiosum considerari debere, sed non fidem: eoque ipso etiam inter christianos et infideles coniugia coalescere posse ad exemplum primorum Ecclesiae seculorum; asserit porro Confessionem evangelicam pro religione dominante in Civitate maxime qualificatam esse, cum libertatem conscientiae prae aliis manuteneat. [811])

295. Karl Hase, *die beiden Erzbischöfe. Ein Fragment aus der neuesten Kirchengeschichte. Leipzig. 1839.* historiam eorum, quae quoad duos Regni Borussici AEppos evenerunt, iuxta scriptum officiosum Regiminis texit: et non negat, Instructionem Spiegelianam Brevi Pontificio anni 1830. minus conformem, Papaque inconsulto concinnatam, multis parochorum anxietatibus, postremoque ipsi tragoediae Coloniensi ansam praebuisse. Commendat instar medii ad tollendas collisiones, ut proles usque decimum quartum aetatis annum sexum parentum in religione sequantur. [812])

296. Marheineke, *zur Vertheidigung der evangelischen Kirche gegen die päpstliche. Predigten. Berlin. 1839.* in forma sacrorum sermonum perstringit doctrinas Ecclesiae Catholicae, illas vero Confessionis evangelicae defendit, signanter eiusdem ius ad postulandam protectionem Civitatis, plenam libertatem credendi etc. Extollit quoque salutarem doctrinae Protestantium de matrimonio in commoda populorum influxum, inde resultantem, quod Ecclesia

---

811) In capite de relatione Ecclesiam inter et Civitatem *Alexandrum Müller* presso pede sequitur: cuius opus superius §. 206. No. 207. recensuimus.

812) Recensiones: *Literarische Zeitung. Berlin. 1839. No. 26. — Allgemeine Literatur-Zeitung. 1839. No. 153. — Zeitschrift für Philos. u. kath. Theol. XXIX. Heft. 1839. p. 215. — Jahrbücher für wiss. Kritik. 1839. II. B. p. 348. — Theol. Liter. blatt zur allg. K. Z. 1840. No. 113.*

Evangelica nec Clero interdixerit coniugium, nec solutionem vinculi in gravi casu difficilem reddiderit, nec pro sacramento matrimonium receperit. [813])

297. Eichler, *einige Bemerkungen über die Erklärung des Römischen Hofes vom 11. April. 1839. Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. Nro 158—160.* reflexiones vulgat in scriptum officiosum Sedis Apostolicae in causa AEppi Posnaniensis editum, eo tendentes, ut iura quidem maiestatica Principum circa res sacras tueatur, suspicionem tamen subiugandae Ecclesiae Catholicae a Regimine Borussico amoliatur.

298. Fetzer, *staats- und kirchenrechtliche Würdigung der Römischen Staatsschrift, wodurch die kön. preuss. Erklärung vom 31. Dec. 1838. entkräftet werden sollte. Der evangelische Lichtfreund. Eine Zeitschrift für Wahrheit und Freiheit in der christlichen Kirche. I. B. Leipzig. 1839. p. 22—38. 145—193. 309—318.* [814]) aeque, ut prior, animadversiones in opus memoratum Aulae Romanae ponit, in 32. puncta divisas: quae omnes huc revocantur: ut a) summam Regiam Auctoritatem in rebus religionis defendat; b) contra conditiones ab Ecclesia Catholica ratione ineundorum mixtorum matr. desideratas dimicet. [815])

Duo de coetu Protestantium, quos nunc memorabimus, ceteris solidius, et cum maiori eruditionis adparatu quaestionem de matr. mixtis reflexe ad eventus Borussicos discusserunt:

---

813) Recensiones: *Allgemeine Lit. Zeitung. 1839. No. 59. — Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1839. p. 504. — Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1840. No. 30. — Literarische Zeitung. Berlin. 1840. p. 692.* — Rheinwald *Repert. XXIX. B. p. 160. 166.*

814) cf. §. 205. No. 189. 190.

815) Recoquit Auctor hic ea, quae in famoso suo opere: *Teutschland und Rom seit der Reformation Luthers. Frankfurt. 1830.* contra doctrinam catholicam in genere et Primatum Romanae Sedis in specie protulit.

299. Bessel, *über die gemischten Ehen in kirchlicher und legislativer Hinsicht. Frankfurt. 1839.* [816]) a) Statum quaestionis in provinciis Rhenanis ab illo in provinciis Orientalibus destinguendo, quoad illas censet: intentionem Legislatoris Borussici fuisse, ut universalia principia circa educationem religionariam prolium e mixtis matr. generandarum stabilirentur, nullique Confessioni Religiosae maior prae alia favor exhiberetur, at una Clero Catholico praecluderetur ansa per immoderata postulata quidquam in praeiudicium Protestantium audendi; Breve Pii VIII. de an. 1830. quoad substantiam nil continere, e quo collisio oriri posset, cum iuxta illud ad valorem Sacramenti Matrimonii praesentia et cooperatio activa parochi catholici necessaria haud sit, nec promissio de educatione catholica prolium requiratur; quoad Orientales autem provincias existimat: AEppum Dunin a tenoribus Constitutionis Benedicti XIV. longius ablusisse, dum sacramenti vim in benedictione reposuit. b) Statu quaestionis sic proposito, praxim Ecclesiae Romanae velut nimis variantem et ab influxu politico non semper liberam sistit: donec Benedictus XIV. mitiorem sententiam amplexus, matr. mixta etiam sine activa parochi catholici praesentia inita ecclesiastico obtutu rata ac vera sacramenta enunciasset. c) In Germania ad connubia Catholicorum cum Protestantibus sanctiones Ecclesiae veteris contra haereticos latas adplicari non posse ait, proin stricte nullum fundamentum esse, e quo benedictio nuptiis mixtis ex parte Cleri Catholici denegetur. d) Circa relationem legislationis civilis ad ecclesiasticam iudicat: in iis, quae libertatem ineundi matr. mixta, formam externam, impedimenta dirimentia concernunt, Civitati competere ius leges ferendi, prout etiam ius impedimenta illa examinandi, quae forte per diversas Confessiones Religiosas statuuntur, taliaque pro re nata vel approbandi vel reiiciendi, denique et ius, Ecclesiam Catholicam ad impertiendam benedictionem stringendi. e) Pro coronide sequens statuit projectum legis: copulationem parocho sponsae reservari, sponsis vero prohiberi

816) cf. §. 205. No. 164.

singulares circa educationem religionariam prolium transactiones sive sponte, sive ad provocationem tertii inire, pro casu demum passivae assistentiae proles omnes in Confessione evangelica educandas esse. [817])

300. **Christ. Fried. v. Ammon**, *die gemischten Ehen, namentlich der Katholiken und Protestanten, nach den Ansichten des Christenthums, der Geschichte, des Rechtes, und der Sittlichkeit, mit besonderer Rücksicht auf das religiöse Zeitbedürfniss. Dresden und Leipzig. 1839.* magni apud Protestantes nominis Theologus, principia de mixtis matrimoniis ad primitivam cultus divini normam revocare voluit. Generatim de hoc argumento praemittit: matr. mixta nec religionis christianae nec rationis principiis esse adversa, proin universim interdici non posse; Ecclesiam porro nonnisi in tantum de iis quidquam disponere posse, in quantum fideles sive ad indifferentismum, sive apostasiam inclinare adverteret, in omnem tamen casum intra limites duntaxat admonitionis eandem consistere debere. In specie autem a) adstruit: characteri universalitatis Religioni a Christo fundatae proprio repugnare eam Catholicismi proprietatem, quod in eo solo salus obtineri queat; principia Christi et Apostolorum de matrimonio adeo esse generalia, ut etiam ad connubia cum non-christianis adplicari valeant; opiniones Patrum tam esse variantes sibique oppositas, ut ex iis pro favore edicti prohibitorii horum connubiorum nihil elici possit; Concilia tandem nullo iure instructa fuisse, leges contra mixta matr. ferendi. b) Cum essentialis inter matrimonium in Ecclesia Catholica, et apud Protestantes differentia in eo ponatur, quod Catholici id pro Sacramento habeant, non item Protestantes: contendit, sententiam hanc de proprietate sacramentali matrimonii non veteris apostolicae sed recentioris Romanae Ecclesiae inventum esse; sed et principia Moralis Christianae in substantia eadem esse apud Catholicos et Protestantes: unde nec dogmatico nec morali obtutu matr. mix-

817) Recensiones: *Katholische Kirchenzeitung. Frankfurt. 1839. p. 148.* — **Gersdorf** *Repert. XXI. B. p. 129.* — **Rheinwald** *Repert. XXIX. B. p. 224. 236.*

tis quidquam obstare. c) Leges civiles de matr. his, et praesertim de religionaria educatione prolium latas ab objecta iisdem labe, quod libertatem conscientiae laedant, purgare conatur, multisque extollit laudibus leges in Statibus Evangelicis eatenus editas. d) Plura adhuc addit argumenta pro libertate ineundi mixta connubia, e. g. quod indigentiae temporis eae sint, ut christiani invicem uniantur, quod propudiosum haereseos nomen Confessioni Protestanticae per nefas tribuatur, quod matr. mixta nullo respectu peccaminosi quid in se contineant. — Opus Ammonii non omnium e Protestantibus meruit adprobationem: universim vero in eo et sinceritas allegandi fontes, et historiae debita cognitio, et principiorum philosophicorum accurata deductio desideratur. [818]

§. 214.

Auctores Catholici pro favore mixtorum matrimoniorum.

301. Ellendorf, *Thomas Becket, Erzbischof von Canterbury. Eine Epistel an J. Görres. Essen. 1839.* [819] Athanasium Joannis Görres [820] ex historia refutaturus, biographiam Thomae Becket AEppi Cantuariensis scribendam statuit: et prout hunc non pro defensione verae fidei, sed solum pro tuendis usurpatis Curiae Romanae iuribus martyrem occubuisse adstruit, ita AEppum Coloniensem, a Joanne Görres cum Divo Athanasio comparatum, non pro tuenda catholica veritate, verum duntaxat pro hierarchica Romanae Ecclesiae

818) Laudibus extollunt Ammonii opus: *Hallische Jahrbücher. 1839. p. 1605.* — Gersdorf *Repert. XXI. B. p. 127.* — *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1839. p. No. 92.* et *1840. No. 1.* — *Allgemeine Lit. Zeitung. 1840. No. 5.* — Castigant vero, ex *Protestantibus: Literarische Zeitung. Berlin. 1839. No. 11.* — *Jahrbücher für wiss. Kritik. 1839. II. B. p. 137.* — Rheinwald *Rep. XXIX. B. p. 224. 240.* — ex *Catholicis: Historisch-politische Blätter für das kath-Deutschland. III. B. p. 349.*

819) cf. §. 206. No. 216. et: §. 211. No. 267. 268.

820) cf. §. 209. No. 248.

potestate propugnanda animatum fuisse censet. In reliquo praeprimis defensione Hermesianorum so occupat et reflexionibus contra principia, quae Görres do relatione Ecclesiae ad Civitatem statuerat. [821])

302. Eliendorf, *der erste Triarier an J. von Görres. Essen. 1839.* contra librum Joannis Görres, quem hic suis opposuit adversariis [822]), in arenam descendit: sed non aliud profert, quam quod in laudem sic dictorum Reformatorum Seculi XVI. tendit. [823])

303. Ellendorf, *Worte eines Westphalen an die Westphalen und Rheinländer. Berlin: 1839.* catholicum se ex corde profiteinr, sed talem, qui prius ipse probet: an id, quod hodie instar fidei catholicae proponitur, reipsa fides sit? excurrit in eventus Coloniensis historiam, et contra dogma de una salvifica, item contra libertatam pro Ecclesia Catholica ab AEppo Droste vindicatam pugnat. [824])

304. *Über den neuesten Stand der Kölner Wirren. Aus dem Portfolio eines pens. Hauptmannes der päpstlichen Schweizergarde in Rom. Zürich. 1839.* praeter characteristicas de quibusdam personis in controversia Borussica occurrentibus, item declamationes adversus Ordinem Societatis Jesu nil continet.

305. Freyherr v. Alberto, *Wünsche in kirchlicher und politischer Beziehung für den Preussischen Staat, veranlasst durch die Cölner Ereignisse. Breslau. 1839.* projectat: ut copulatio mixtarum nuptiarum ad decisionem Sponsae spectet, proles vero semper in una confessione omnes educentur, et quidem in confessione patris usque annum aetatis quartum, dein parentes coram competente Jurisdictione declarent, in qua religione illas porro educari cupiant; declaratione vero in favorem confessionis, cui mater addicta

821) Recensionis: Gersdorf *Rep. XXI. B. p. 121.* — *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1840. No. 89.*

822) cf. §. 209. No. 259.

823) Recensio: *Theol. Lit. blatt. 1841. No. 44.*

824) Recensiones: *Katholische Kirchenzeitung. 1839. p. 268.* — Gersdorf *Repertor. XXI. B. p. 120.* — Rheinwald *Repert. XXVII. B. p. 216. 223.*

est, sonante pater iurare debeat, se non coactum sed libere in id consentire, ut proles omnes matris religionem sequantur. Principes Civiles provocat, ut peculiare Jus Canonicum pro suis Regnis elaborari faciant. [825])

306. *Über gemischte Ehen.* **Pflanz**, *freimüthige Blätter über Theologie und Kirchenthum. XVI. B. Stuttgart. 1839. p. 387. ff.* benedictionem in matrimoniis mixtis tunc solum iuste negari tenet, si pars catholica erga propriam religionem prorsus indifferentem se manifestet; secus civili auctoritate benedictionem imperandam esse.

307. *Zur Zeitfrage über die gemischten Ehen. Freim. Blätter. XVII. B. p. 376—430.* persuadere nititur, deesse rationem sufficientem prohibendi ac impediendi matr. mixta: cum inter coniugia Catholicorum et Protestantium non intercedat essentialis differentia, sed utrobique administretur sacramentum christianum, et Protestantes non minus quam Catholici agnoscant, Deo auctore gratiam quampiam matrimonio esse adnexam.

§. 215.

Auctores Catholici pro doctrina catholica et defensione AEpporum in Borussia scribentes.

308. **Georg J. Götz**, *das Ereigniss von Köln in seinen nächsten Folgen betrachtet. Regensburg. 1839.* multiplices, easve gravis momenti sequelas ex eventu Coloniensi deducit: a) *sociales:* quod Regimen suo attentato libertati Ecclesiae Catholicae bellum indixerit, sicque pacem turbaverit; b) *morales:* quod idem Regimen Catholicos ad indifferentiam in religione, et inobedientiam erga decreta Praesulum provocaverit; c) *politicas:* quod cum AEppus absque omni iuris ordine in captivitatem abductus, condemnatusque sit, similis procedura funesta consectaria pro tranquillitate civium habere possit.

---

825) Recensiones: **Gersdorf** *l. cit. p. 114.* — **Rheinwald** *Repert. XXVII. B. p. 216. 224. — Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1841. p. 363.*

309. **Götz**, *der Freyherr von Wiesau, oder die gemischte Ehe. Ein Seitenstück zu Bretschneider's Freyherrn von Sandau. Mit einem Rückblicke auf die jüngst erschienene Schrift: die gemischten Ehen von Ammon. Regensburg. 1839.* in forma fabulae romanensis quaevis adserta adversarii sui [826]) contra doctrinam Ecclesiae Cath. prolata refutat, sed praesertim intolerantiae objectionem a Catholicismo removet, quam Bretschneider inde probare voluit, quod Ecclesia Cath. omnes proles e connubiis mixtis genitas in religione Catholica educari cupiat. [827])

310. **Götz**, *zur Vertheidigung der kath. Kirche gegen die königlich-preussische Religion. Eine Paraphrase der Predigten des Dr. Marheineke in Briefen. Regensburg. 1839.* contra Doctorem Marheineke [828]) genuinam Ecclesiae notionem et conceptum verae libertatis Christianae in forma epistolari evolvit. [829])

311. **Rotteck**, *die Cölnische Sache, betrachtet vom Standpunct des allgemeinen Rechts. Zweite mit Betrachtungen über einige neuere Ereignisse und Druckschriften vermehrte Auflage. Speyer, Landau und Grünstadt. 1839.* [830]) in secunda editione operis istius plura profert Auctor in defensionem AEppi Posnaniensis, et censet: per Gubernium Civile, dum transactiones inter coniuges de prolium religionaria educatione prohibet, parochosque ad benedicenda matr. mixta stringit, in libertatem conscientiae involari. [831])

312. *Berlin und Rom, oder das Preussische Landrecht im Konflikt mit dem Rechte der kathol. Kirche. Schweizeri-*

826) cf. §. 213. No. 284.

827) Recensiones: *Sion. Augsburg. 1839. Lit. Anz. No. 4. — Allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 599. — Timotheus-Regensburg. 1839. p. 522.* — Gersdorf *Repertor. XXII. B. p. 7.* — Rheinwald *Rep. XXIX. B. p. 223. 228.*

828) cf. §. 213. No. 296.

829) Recensiones: *Allgemeiner Religionsfreund. 1840. p. 109.* — Rheinwald *Repert. XXIX. B. p. 160. 168.*

830) cf. §. 206. No. 206.

831) Recensiones: *Theologisches Literaturblatt zur allgemeinen Kirchenzeitung. Darmstadt 1839. No. 65.* — Gersdorf *Repertorium. XXI. B. p. 133.*

sche Kirchenzeitung. Luzern. 1839. No. 11. ex historia praeclare deducit: quam iniuriosa sit Ecclesiae declaratio Gubernii Borussici in causa AEppi Posnaniensis ultima die anni 1838. in Ephemeridibus Status vulgata [832]), item quam incompetenter Regimen Borussicum eminentiora in res sacras iura sibi vindicet, ac vel Pacis Westphalicae tabulis Principibus concessa sint.

313. *Agnes und Sophia, oder die Leiden und Gefahren der gemischten Ehen. Eine Erzählung für katholische Jungfrauen. Augsburg. 1839.* in forma dialogi stylo populari concinnati praeclare ostendit: ad veri nominis felicitatem coniugalem et salutarem educationem prolium indispensabiliter requiri paritatem religionis in coniugibus, simul innumera pericula et anxietates, quas coniuges religione dispares subeunt, commonstrans. [833])

314. Friedrich Kunstmann, *die gemischten Ehen unter den christlichen Konfessionen Teutschlands geschichtlich dargestellt. Regensburg. 1839.* historiam texit legum civilium circa matr. mixta inde a tempore Reformationis; tum nonnullas animadversiones subnectit in recentiorem legislationem, conflictus recentissimi causam in eo reponens, quod Principes in alienam segetem suam immiserint falcem, atque sic se gesserint, ut per sua edicta exacerbationem potius quam harmoniam inter Christianas Confessiones excitaverint. [834])

315. Wilh. Schütz, *über die preussische Rechtsansicht wegen der gemischten Ehen. Regensburg. 1839.* [835]) Liber hic contra opusculum dirigitur, quod anno 1838. sub auspiciis Ministerii Regii collectionem legum tam antiquiorum quam recentiorum de matr. mixtis vulgavit [836]): asserit

832) cf. §. 182.

833) Recensio: *Allgemeiner Religionsfreund. Würzburg. 1840. p. 1636.*

834) Recensiones: *Historisch-polit. Blätter für das kath. Deutschl IV. B. p. 22. — Katholik. 74. B. p. 104. — Allgemeiner Religionsfreund. 1840. No. 16. — Herold des Glaubens. 1840. No. 18.*

835) cf. 207. No. 233—235.

836) cf. §. 205. No. 182.

itaque celebris Auctor relate ad principia in opusculo isto contenta, non Regiminis Civilis, sed Ecclesiasticae Potestatis esse: leges in merito Sacramenti Matrimonii ferre, totamque civilem legislationem sola praxi inde a temporibus sic dictae Reformationis sese insinuante niti.

§. 216.

Auctores Protestantici pro defensione AEpiscoporum.

Quemadmodum in Literatura anni 1838. cum solatio animadvertimus, nonnullos ex coetu quoque Protestantium, quos scilicet sectae studium haud corrupit, pro defensione inclytorum Fidei Catholicae Confessorum, AEpiscoporum quippe Coloniensis ac Posnaniensis vocem suam elevasse [837]): ita ex anno etiam 1839. unum alterumve e numero Protestantium licet nominare, qui sine ira et studio in mèrito eventuum Coloniensis ac Posnaniensis semet enunciavit.

816. Seitz, *der kirchliche Verkehr zwischen Katholiken und Protestanten, und die Discordanz zwischen der Staats- und katholischen Kirchengewalt. Mit besonderer Rücksicht auf die heutigen kirchlichen Wirren. Friedberg. 1839.* principia, quae hoc in merito in opere anni 1838.[838]) evolverat, uberius disquirit, et ostendit: canones veteris Ecclesiae contra coniugia fidelium cum haereticis latos iure hodie quoque ad matrimonia Catholicorum cum Protestantibus applicari, cum hi non possint non tamquam haeretici ab Ecclesia Cath. haberi. De praxi autem mitiori benedicendi absque discrimine nuptias mixtas ait: deesse illi essentialia requisita iuris consuetudinarii, praeprimis consensum legislatoris. [839])

817. Rintel, *Vertheidigung des Erzbischofs von Gnesen und Posen, Martin v. Dunin. Würzburg. 1839.* quemadmodum anno 1838. pro defensione Archiepiscopi Colonien-

---

837) cf. §. 208.

838) cf. §. 208. No. 245.

839) Recensio: *Theol. Lit. blatt zur allg. K. Z. 1841. p. 372.*

sis [840]), ita in hoc libro pro Archipraesule Posnaniensi in arenam descendit; ac inprimis quoad historiam mixtorum matrim. in Polonia per Auctores suae Confessionis descriptam plura errata detexit; tum demonstravit, causam dissidii in praerogativis et protectione Protestantismi prae Ecclesia Catholica in obversum legalis Confessionum Christianarum paritatis, item in erroneis conceptibus Gubernii Borussici de relatione Ecclesiae ad Civitatem quaerendam esse. [841])

818. 319. *Der Freyherr von Sandau auf dem Richtplatze einer unbefangenen Kritik. Leipzig. 1839.* severo subiicit examini libellum *Bretschneideri* [842]), huicque abiudicat vel ipsas facultates ad scribendam novellam sive fabellam romanensem; ostendit quoque, ea, quae Auctor iste Catholicis obiecit, mera esse mendacia, et in illo iuxta sanctiones Codicis Criminalis Borussici adversus calumniatores latas poenam desumendam esse [843]). — Acerbam censuram anonymi Protestantis declinare quidem volebat Bretschneider, edito opusculo: *Offener Brief an den Verfasser des Libells: Der Freyherr von Sandau auf dem Richtplatze etc. Halle. 1839.* sed argumenta nulla pro se adferre scivit, et per adversarium suum novo, ut paulo inferius referemus, libello refutatus exstitit.

§. 217.

Opera decursu anni 1839. in lucem edita, quae, nullo habito ad eventus in Borussia respectu, quaestionem de matr. mixtis pertractarunt.

320. Ferdinandi Walter (diversi ab eo, de quo §. 205. No. 172. sermo fuit), in Univ. Bonnensi Professoris sententiam circa matr. mixta eo magis proponendam cense-

---

840) cf. §. 208. No. 247.

841) Recensiones: *Allgemeiner Religionsfreund. 1839. p. 1176. — Theolog. Liter. blatt. 1841. p. 359.*

842) cf. §. 213. No. 284.

843) Recensiones: Gersdorf *Repertor. XXII. B. p. 7. — Historisch-politische Blätter für das kath. Deutschland. IV. B. 155. —* Rheinwald *Repert. XXIX. B. p. 223. 230.*

mus, quod is per suum Jus Canonicum; *Lehrbuch des Kirchenrechts aller christlichen Confessionen*, intra paucos annos octies editum in orbe literario magnum sibi nomen comparaverit. Agit in laudato opere (edit. 8. de an. 1839.) de matr. mixtis §. 318. p. 631 ff. et primum in genere statuit: ex eo, quod quaelibet Confessio Christiana se pro vera et salvifica teneat, huicve proprietati suae totam quantam educationem religionariam superstruat, item quod omnis Confessio Christiana matrimonium tamquam individuam vitae religiosae communionem aeque ac statum mutuae aedificationis moralis consideret: clarum esse, in quovis matrimonio mixto, nisi coniuges sint plane indifferentes, relate ad coniuges incompletam communionem vitae, relate ad educationem prolium autem perpetuum atque insolubilem convictionum religiosarum conflictum intercedere, periculumque adesse, alterutrum coniugum ac proles ipsas a religione alterius abalienandi. In specie vero asserit sequentia: a) In Regnis, in quibus Catholici cum Acatholicis aequalibus iuribus gaudent, Ecclesiam Catholicam respectu postulati sui de catholica omnium prolium e connubiis mixtis genitarum educatione protectionem Status Civilis poscere non posse, cum per id alterius Confessionis asseclis praeiudicium inferretur. b) Statum Civilem destitui potestate cogendi Ecclesiam, ut a memorato postulato suo recedat, cum sic Ecclesiam ad indifferentismum deduceret. c) Ecclesiae Catholicae liberum esse, pro ratione impleti postulati sui vel non, activam suam cooperationem mixtis coniugiis impertiendi vel negandi. d) Super denegata eiusmodi cooperatione neutrum coniugum iuste queri posse: non catholicum, quia Ecclesia universim certis conditionibus assistentiam suam, nominatim benedictionem alligare possit; non acatholicum, qui nullum ius habeat relate ad actus religiosos Ecclesiae Catholicae. e) Per denegatam ex parte Ecclesiae Cath. benedictionem non impediri civiliter mixta matrimonia: quamprimum Status Civilis elementum religiosum a civili in matrimonio separat, et ad casum denegatae ex parte unius Confessionis copulationis, aliam formam pro eadem peragenda praescribit, validitati matrimonii consulturam.

f) Statum Civilem optare, Ecclesiam vero admittere posse, ut in tali casu matrimonia mixta, licet praeter formam a C. Tridentino praescriptam inita, sensu quoque ecclesiastico valida sint. g) In nonnullis locis, si peculiares circumstantiae id exigant, tolerari posse, ut matr. mixtis, quae sine impletis Ecclesiae conditionibus contrahuntur, parochus catholicus assistat, sed omissis quibusvis precibus et solennitatibus, e quibus concludi posset, matrimonia talia ab eodem probari. h) Denique matrimonium inter catholicum et acatholicam a vinculo prioris coniugii solutam, vivente parte altera, et vice versa absolute prohibitum et irritum esse.

321. Principia Walteri uberius evolvit auctor supplementi ad Institutiones Juris Ecclesiastici Glückiani: *Einige Worte über gemischte Ehen. Anhang zum Kirchenrechte Glück's. Augsburg. 1839. pag. 376. ff.* et praesertim id ostendere satagit: Statum Civilem nullo iure ad determinandam religionem, quam proles e mixtis connubiis genitae sequendam habeant, se miscere posse.

322. *Über die Behandlung der gemischten Ehen in foro conscientiae. Katholik. 74. B. 1839. p. 1—19. 140—164.* opportunas continet cautiones et pastorales regulas pro personis in S. Tribunali qualiter tractandis.

323. *Ein Zweigespräch, die gemischten Ehen betreffend. Timotheus, Zeitschrift. Regensburg. 1839. pag. 967—988.* in forma colloquii inter duos sacerdotes praeclare exponit doctrinam catholicam de mixtis matrimoniis.

324. Joan. Mart. Düx, *principia catholica circa christianorum matrimonia, praeprimis ea, quae mixta vocantur, iuxta optimorum auctorum fidem succincte proposita. Wirceburgi. 1839.* matr. mixta dicit esse veri nominis sacramenta respectu utriusque partis coniugum, quum et haeretica pars habeat intentionem iuxta institutionem Christi matrimonium ineundi, secundum hanc vero ratio sacramenti ab illa contractus separari nequeat.

325. *Ermahnungsrede über den christlichen Ehestand, besonders in Hinsicht gemischter Ehen. Eine Belehrung für das fromme Volk. Regensburg. 1839.* populum fidelem ab

ineundis matr. mixtis forma maxime populari et captui rudium adcommodata dehortatur.

326. ***Ein Beitrag zur Geschichte der gemischten Ehen. Eingesandt von einem baierischen Landdechant. Athanasia. IX. B. 1839. p. 110—121.*** **contra objectionem exinde factam, quod Episcopi mixta matrimonia benedici prohibentes activitatis suae limites transiliant, novosque libertati conscientiarum laqueos iniiciant, monet: Episcopos per prohibitionem illam nil immutare in iis, quae Ecclesia de matrimonio statuit, sed solum praescribere modum, quo lex Ecclesiae de assistentia parochi matrimonio praestanda in effectum deduci debeat.**

327. ***Seelsorgliche Belehrungen über gemischte Ehen, besonders beim Brautexamen. Augsburg. 1839.*** **Egregius pro usu Cleri Curati libellus! in quo praeprimis haec enucleantur: quam falsum sit principium, in qualibet religione vivere perinde esse modo homo sit honestus; porro quam periculi plena sint mixta coniugia etiam tunc, dum educatio catholica prolium praevie promittitur; item legum civilium de educatione religionaria prolium recentius perlatarum fundamentum esse indifferentismum religiosum, scopum autem non illum, qui praetenditur, nempe tutamen libertatis conscientiae, sed Ecclesiae Catholicae oppositum, solamque fere legislationem Bavaricam intra limites activitatis suae utcunque semet continuisse.** [844])

Ex Protestantibus sequentes commemoramus:

328. ***Über die gemischten Ehen.*** **Harless,** ***Zeitschrift für Protestantismus und Kirche. Erlangen. 1839. II. B. p. 1—12.*** **principia, quae Ecclesia Catholica quoad mixta matr. proponit, item iura, quae eadem relate ad Statum Civilem in hoc merito sibi vindicat, ad Protestanticam Confessionem transfert, hancque pari prorsus iure gaudere et dete-**

844) **Recensiones: Rheinwald** ***Repertor. XXIX. B. p. 224. 232. — Theolog. Literaturblatt zur allgem. K. Z. 1840. No. 34. p. 278.***

standi connubia mixta et ea sub certis nonnisi conditionibus permittendi adstruit. Tum in legislatione hodierna duo reformari exoptat: primum, ut educatio prolium in una eademque confessione, non iuxta sexum divisa, stabiliatur; alterum, ut benedictio ac copulatio in utriusque religionis ecclesia nequaquam peragatur, sed ab illius Confessionis Ministro instituatur, in qua proles educabuntur.

329. **Sander**, *Betrachtungen über die Zulässigkeit des über die gemischten Ehen erlassenen päpstlichen Breve vom J. 1830. in Baden nach den allda bestehenden gültigen Gesetzen. Badisches Kirchenblatt. Freiburg. 1839. No. 3. 4.* id, quod in titulo disquisitionis ponitur, tractandum suscipit, et quaestionem negative resolvit, nimirum Breve Pii VIII. de matr. mixtis ad Episcopos Borussiae occidentalis a. 1830. dimissum in M. Ducatu Badensi nullam obligandi vim habere.

330—331. **Ferd. Zimmermann**, *einige Bemerkungen über das im G. H. Hessen „die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen" normirende Gesetz vom 27. Febr. 1826. Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1839. No. 95.* legem M. Principatus Hasso-Darmstadtensis in titulo laudatam adversus reflexiones **Kritzleri** anno 1838. vulgatas [845]) defendere studuit: sed *Kritzler* novas adversus eandem legem animadversiones posuit: *Einige weitere Bemerkungen über das im G. H. Hessen bestehende, die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen betreffende Gesetz. Allgemeine Kirchenzeitung. 1839. No. 196.*

332. **M. Jäger**, *die Würtembergische Gesetzgebung über gemischte Ehen und verwandte Verhältnisse in ihrer geschichtlichen Entwickelung. Studien der evangelischen Geistlichkeit Würtembergs. XI. B. 2. Heft. Stuttgart. 1839. p. 1—46.* leges civiles circa mixta matr. et olim et recentius in Würtembergia latas explicat: et legibus quidem vetustioribus summam erga Religionem Catholicam intolerentiam, recentioribus autem indifferentiam erga omnem in genere re-

845) cf. §. 212. No. 281.

ligionem obiicit: simul commendat, ut mixtae religionis matrimonia quo licet difficiliora reddantur.

---

4. Literatura anni 1840.

§. 218.

Auctores Protestantici, qui contra doctrinam Ecclesiae Catholicae de mixtis matrimoniis, et contra Archiepiscopos Coloniensem ac Posnaniensem scripserunt.

333. Elias G. J. Hundeiker, *der Herr Dekan Götz mit seinem Freiherrn von Wiesau vor dem Gerichte des gesunden Menschenverstandes, der Geschichte, und der heil. Schrift. Neustadt a. d. O. 1840.* opus Götzii [846]) per hunc Bretschneidero oppositum, ex historia cumprimis refellere nititur. [847])

334. Eichler, *der römische Stuhl und die königlich-preussische Gerechtigkeitspflege. Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1840. No. 18. 19.* [848]) contra Allocutionem Pontificiam in causa AEppi Posnaniensis die 8. Jul. 1839. habitam [849]), defendit institiam procedurae iudiciariae in negotio huius Praelati observatae.

335. *Personen und Zustände aus den kirchlich-politischen Wirren in Preussen: Michelis, Binterim, v. Droste. Mit 39. bisher ungedruckten Dokumenten. Leipzig. 1840.* relationem AEppi Coloniensis ad suum secretarium *Michelis*, et ad Parochum *Binterim* describit. Auctor videtur esse idem cum illo, qui scriptum officiosum Regiminis Borussici compilavit, nimirum Bunsen [850]); nam complura monumenta secretiora,

---

846) cf. §. 215. No. 809.

847) Recensiones: Gersdorf *Repertorium. XXIV. B. p. 397.* — *Theologisches Literaturblatt zur allgem. Kirchenzeitung. 1841. p. 479.*

848) cf. §. 213. No. 297.

849) cf. §. 193.

850) cf. §. 164. et 204. No. 155.

quae nonnisi post abductum Colonia AEppum in manus Gubernii devenerunt, in opere isto vulgantur: e quibus tamen nonnulla interpolationis arguunt eruditi. [851])

336. *Das päpstliche Breve vom 25. März 1830. die gemischten Ehen betreffend, als Grundlage eines demnächstigen Vergleichs zwischen der Römischen Curie und der Preussischen Regierung. Minerva, ein Journal hist. und polit. Inhalts. Jena. 1840. I. B. p. 1—23. II. 57—107. 173—236. 345—370. III. 37—76.* ad pacem inter Confessiones Christianas restituendam in ipso Brevi Pontificio de 25. Mart. 1830. modum praeberi censet, in eximiis nimirum concessionibus, quas Breve continet: sed momentum hocce uberius nequaquam exposuit anonymus Auctor; non reticuit tamen ea, quae Regimini Borussico vitio sunt vertenda: scilicet quod fixam normam respectu educationis religionariae prolium in favorem patris ediderit, ius porro connubiale in Provinciis Westphalicis a longiori tempore vigens sustulerit, et iura parentum circumscripserit.

337. Karl Rieder, *Staat und Kirche; Manuscript aus Norddeutschland, als Antwort an Rom und seine Freunde. Berlin. 1840.* contra scriptum officiosum Sedis Romanae in causa AEppi Posnaniensis editum consurgit, et vaticinatur: ultimum esse hunc Hierarchiae Romanae cum Statu Publico conflictum, illamque proxime interituram. [852])

338. *Repressalien, das einzige Mittel mit Rom fertig zu werden. Sechs Briefe über die gemischten Ehen, von einem Laien. Grimma. 1840.* in leges civiles de matr. mixtis latas invehitur, earumque fundamenta sive principia erronea esse et damnanda censet ideo, quod matr. mixtorum, quae iam ex se improbari et dissuaderi debeant, protectionem quadamtenus in se assumserint. Ex conflictu, in quem

851) Recensiones: *Historisch-politische Blätter für das kath. Deutschland. VI. B. p. 217. 290. 398. — Freimüthige Blätter über Theol. u. Kirchenrecht. XIX. B. p. 268. — Hallische Jahrbücher. 1840. No. 190.*

852) Recensiones: *Literarische Zeitung. Berlin. 1840. No. 34. — Jahrbücher für wissenschaft. Kritik. 1840. II. B. No. 33.*

Ecclesia et Civitas devenerunt, non aliter exiri posse ait, quam si status Protestanticus vicissim matr. mixta prohibeat, et nonnisi sub iis conditionibus indulgeat, quas Ecclesia Catholica pro suis fidelibus praescribit.

339. *Stimme eines Protestanten über den kirchlichen Streit. Deutsche Vierteljahrsschrift. 1840. 2. Heft. p. 1—19.* Gubernio Borussico nil vitio verti posse, sed cuncta, quae idem in causa Coloniensi egit, probanda esse persuadere conatur: simul tamen Statui Civili in genere commendat, ut in suis erga Ecclesiam Catholicam relationibus non quid Protestantes, sed quid Catholici teneant, attendat, educationis vero religionariae prolium determinationem parentibus liberam relinquat.

340. August Stimmel, *Lucifer oder Hesperus? Ein Wort des Ernstes und der Liebe an zwei Verkläger unsrer evangelischen Kirche, den Dekan Laur. Franke, und G. Jos. Götz. Landsberg. 1840.* Statui Civili tribuit ius ipsa dogmata Ecclesiae examinandi: reflexe ad adserta *Götzii* [853]) autem Ecclesiam Catholicam intolerantiae postulat, quod omnes proles e connubiis mixtis catholice educari velit.

341. August Schmeisser, *das Gewitter und das Symposion, oder Protestanten und Katholiken seit dem Jahre 1837. Eine Novelle. Rudolstadt und Leipzig. 1840.* in forma dialogi ac novellae sugillat doctrinam Catholicam, fingitque Protestantes non veteri, sed solum recentiori Ecclesiae bellum indicere, quae totam potestatem uni Romano Pontifici adscribat. Matr. mixta efficax censet esse medium ad procurandam unionem.

342. *Eine Stimme des Rufenden in der Wüsten: Bereitet den Weg des Herrn. Als Beleuchtung der von dem Pfarrer Götz herausgegebenen Schrift: „Zur Vertheidigung der kath. Kirche gegen die k. preussische Religion." Von einem Laien der unirten evang. Kirche in Preussen. Berlin. 1840.* cum constanti attentione ad opus Götzii, contra quod scribit, [854]) matr. mixta defendit, eaque saluti pacive domesticae con-

853) cf. §. 215. No. 309.
854) cf. §. 215. No. 310.

iugum non esse tantopere adversa existimat, prout Götz asserit: eiusque propositiones nec sanae rationis principiis nec S. Scripturae conformes esse statuit. [855])

343. Ludvig Gitzler, *Handbuch des gemeinen und preussischen Eherechts der Katholiken und Evangelischen. Breslau. 1840.* omnem difficultatem, quae in Borussia quaestionem de matr. mixtis premit, cessaturam iudicat: si ad casum recusatae per Sacerdotem Catholicum benedictionis Status Civilis vel alium presbyterum vel ministrum protestanticum ad actum hunc sacrum peragendum delegaverit, et proles omnes in confessione patris educari iusserit: idque ideo, quod ipso Benedicto XIV. PP. auctore minister matrimonii non sit sacerdos, sed ipsi contrahentes, ipsaque matrimonia Acatholicorum sint sacramenta.

§. 219.

Auctores Catholici pro favore mixtorum connubiorum.

344. Sebald Brendel, *Handbuch des katholischen und protestantischen Kirchenrechts. 3. Aufl. Bamberg. 1840.* ideo potissimum notandus, quod principia *Ferdinandi Walter* [856]) refellere tentaverit: tractat de matr. mixtis *§. 328—338. pag. 1037—1079.* Singularia adserta eius haec sunt: a) Statui Publico ius competere impediendi, ne Ecclesia aliter quam hortando, et monendo in celebrationem mixtorum connubiorum influat. b) Constitutiones Pontificias esse mere disciplinares, et pro particularibus casibus editas, proin universaliter haud obligantes. c) Dogma de una salvifica, quod fundamentum reprobationis mixtorum matr. constituit, esse opinionem duntaxat theologicam. d) Idem dicendum esse de altero quoque fundamento, nempe quid proprie sacramentum in matrimonio efficiat. e) Contra principia Walteri passivam assistentiam ceu talem propugnat,

855) Recensiones: *Literarische Zeitung. Berlin. 1840. No. 26.* — Gersdorf *Repertorium. XXVI. B. p. 11.*

856) cf. §. 217. No. 320.

penes quam sacramentum reipsa administretur, et a solo arbitrio parochorum pendere ait, an mixtas nuptias benedicere velint nec ne.

345. *Die Wünsche vieler Katholiken in Deutschland über Verbesserung des Kirchenwesens, und ein zunächst zu veranlassendes Nationalconcilium. Leipzig. 1840.* ceu efficacissimum ad componenda religiosa dissidia medium projectat celebrationem Synodi Nationalis in Germania, in qua Episcopi communi consensu generalem quampiam pro tota Germania valituram Bullam Pontificiam exoperarentur ad decidendam quaestionem de mixtis matrimoniis. [857])

346. Max. Wangenmüller, *Gespräch eines katholischen Pfarrers mit einem Pfarrkinde über die gemischten Ehen. Herausgegeben und seinen katholischen Mitbrüdern in Würtemberg gewidmet. Stuttgart und Wildbad. 1840.* in forma colloquii mixtas nuptias defendit velut tales, quae nec divina nec naturali lege, nec Jesu aut Apostolorum sententia, aut Ecclesiae totius sensu prohibeantur, sintque praeterea et moralitatis Catholicorum promovendae et unionis dissidentium accelerandae insignia media.

347. Ignatius Henricus Baro Wessenberg, a suo fato memorabilis [858]), in opere, quod sub titulo: *Die grossen Kirchenversammlungen des XV. und XVI. Jahrhunderts in Beziehung auf Kirchenverbesserung geschichtlich und kritisch dargestellt. IV. Bände. Constanz. 1840.* de matr. mixtis nonnulla protulit, quae multis hodie arriserunt, ac proin in recensione literaturae praeteriri vix possunt. Tomo 4. operis laudati pag. 322 ss. de mente et sensu C. Tridentini circa res matrimoniales tractans, postquam paucis de silentio Concilii quoad mixta matrimonia perorasset, ad proponendam recentiorem circa illa disciplinam et controversiam in Regno Borussiae enatam excurrit: et sequentia statuit: Praxim ita dictam mitiorem porro quoque conservandam, et

857) Recensio: *Zeitschrift für Philosophie und katholische Theologie. Neue Folge. I. Jahrgang. 1840. 2. B. p. 170.*

858) Vid. *De Primatu R. Pont. eiusque iuribus. Scripsit. Aug. de Roskovány. Agriae. 1841. pag. 555. s.*

denegationem benedictionis tamquam censuram veri nominis intermittendam esse, eo magis, quod ipsa parti coniugum catholicae prorsus innocenti infligatur, cum pars protestantica sit proprie causa non praestitae praeviae cautionis super catholica omnium prolium educatione; Episcopos praxim hanc mitiorem inducentes ex illo fundamento egressos fuisse, quod benedictio nuptiarum mixtarum semper adhuc occasio sit parochis in partem catholicam agendi, eoque illam disponendi, ut apud alteram partem omnia faciat, quo eam ad permittendam educationem catholicam prolium flectat. Ad vitandum porro conflictum inter Ecclesiam et Civitatem non sat idoneum medium esse *diplomaticam negotiationem:* idque eo minus, cum parte ex una Aula Romana concessiones ulteriores fieri iam non posse diserte declaraverit, parte vero ex altera credi non possit, ut Gubernia Civilia legem, cuius ope exactionem literarum reversalium prohibuerunt, retractent. Magis opportuna media fore haec: si pars coniugum catholica ante copulationem Parocho viva voce promittat, se nil ex parte sua intermissuram, quo proles catholicam nanciscantur educationem; dein si peculiaris formula pro benedicendis mixtis nuptiis praescribatur, sic concipienda, ut omnis vel umbra devitetur opinandi, quasi parochus per benedictionem huiusmodi indifferentiam quamdam in puncto religionariae prolium educationis probare vellet. [859])

348. Mersy, *was für eine Doctrin des allgemeinen Kirchenrechts wird durch die kirchlichen Wirren in Preussen veranlasst, näher erläutert, und bestimmter markirt werden, so dass der Friede der kath. Kirche fester begründet werden möge? Katholische Blätter aus Süddeutschland. Zürich. 1840. Nro. 1.* ex incidenti dissidiorum in Borussia extollit caput illud recentioris Juris Ecclesiastici per Febronianos constructi, quod de relatione Romani Pontificis ad Episcopos sic

---

859) Commendare satis non possumus recensionem eruditissimam operis Wessenbergiani in scripto periodico: *Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1841. p. 616—664.* auctore doctissimo *Hefele* vulgatam.

agit, ut hos ab illo prorsus independentes efficiat: hinc etiam quaestionem de matr. mixtis mutuis Status Publici et Episcoporum consiliis in Synodo Nationali, sine ulla ad Romanam Sedem attentione, decidendam projectat. [860])

349. Carovè, *über die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen. Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1840. Nro 143. p. 1165. ff.* contra pacta et conventiones antenuptiales in merito educationis prolium catholicae scribit, easque pro parte coniugum acatholica immorales esset censet. [861])

350. *Literae quibus respondetur ad epistolam gratulatoriam ab Episcopis Americae Septemtrionalis ad AEppos Coloniensem et Posnaniensem nuper missam. Heidelbergae. 1840.* Auctor harum literarum, *Petrus Adamus Contzen*, Sacerdos Aquisgranensis, commentarium vulgat in illis quoad celebrem Episcoporum Americanorum Epistolam [862]): hisque vitio vertit, quod, quin omnes circumstantias eventuum Coloniensis ac Posnaniensis nossent, utrumque AEppum summis laudibus celebraverint, et cumprimis Coloniensem Sanctorum ac Martyrum plane catalogo inserere non dubitaverint: quare plura ad obscurandum Archipraesulis istius nomen tendentia proferre nititur, ipsiusque tum characterem tum gubernandae archidioeceseos rationem perstringit.

§. 220.

Opera Catholica pro defensione doctrinae Ecclesiae circa mixta matrimonia.

Inter haec primo loco occurrit:

351—354. Celeberrimum opus Martini Jos. Mack, *über die Einsegnung gemischter Ehen. Ein theologisches Votum. Tübingen. 1840.* quo Auctor quemadmodum magnum nomen consecutus est, ita tristes ex parte Regiminis Civi-

---

860) Dissertatio auctoris huius vulgata est etiam in scripto periodico Friburgensi: *Badisches Kirchenblatt. 1840. 2. Heft. p. 138.*

861) cf. §. 206. No. 198. 199.

862) cf. §. 198.

lis sequelas sibi conscivit [863]). Auctor stricte de benedictione solum connubiorum mixtorum scribere se voluisse professus est, cum circa eam Legislatio Civilis talia disposuerit, quae et conscientiis Cleri Catholici vim inferunt, et ipsorum aequiorum Protestantium attentionem excitarunt. a) Notione benedictionis ita stabilita: quod ipsa et precationem super nubentibus et declarationem Ecclesiae Ministri super coniugio legitime inito, et quasi adprobationem huius in se contineat, asserit: quod, quamvis benedictio, in quantum precationem ad Deum continet, a matr. mixto gratiis divinis vel maxime indigente, nequaquam subtrahenda videri queat; eadem tamen, in quantum declarationem exprimit, ab Ecclesia coniugium tale probari, libenterque haberi, simpliciter denegari debeat, nisi Ecclesiae vis inferatur, et turpissima hypocrisis exerceatur; idque eo magis, quod de dispositione nubentium, et de eo, an ipsi reipsa gratia divina digni sint, dubium fere semper maneat; insuper ea, quae circa benedictionem nuptiarum in Ritualibus libris continentur, absque insigni contradictione in matr. mixtis locum habere nullatenus possint. b) Causam eius, quod Legislatio civilis benedictionem mixtorum connubiorum indiscriminatim praeceperit, Clerusve eam reapse in nonnullis locis peregerit: ex historia hanc reddit: quod, etsi sic dicti Reformatores illorumve asseclae benedictionis in Ecclesia Cath. usitatae vim ac efficaciam e principiis suis minime agnoscerent, eique quoad matrimonia hoc minus roboris adscriberent, quod totam circa illa potestatem Principibus adiudicaverint: ipsorum tamen Reformatorum sententia fuerit, matrimonia a cooperatione Ecclesiae non esse penitus divellenda, indeque et ipsi et eorum successores benedictionis nuptialis absolutam necessitatem crediderint. Edictis porro Principum Protestanti-

---

863) cf. §. 199. Mackii *amotionem a cathedra Tubingensi*, spectato Jure Civili Würtembergico, legalem haud esse comprobavit auctor libelli: *Memorandum über die Entfernung des Prof. Dr. Mack's von seinem kath. theol. Lehramte in Tübingen, von der rechtlichen Seite betrachtet. Ein Beitrag zur Erläuterung des Würtemb. Kirchenrechts Schaffhausen. 1840.*

corum recentioribus de benedictione nuptiarum mixtarum pro fundamento deserviisse et Capitularia Regum Francorum, in quibus nuptiae benedici iubentur, et morem in Ecclesia Catholica usitatum benedicendi coniugia; praxim autem in Ecclesia Catholica hic illic invectam sine discrimine benedicendi nuptias mixtas, inde profluxisse, quod existimaretur Ecclesiam Catholicam ex connubiis mixtis, in quibus pater est catholicus, multum lucri capere, hocque ipso indulgere posse, ut matr. mixta etiam sine conditione benedicantur. c) Causam eius, quod ab annis circiter quinquaginta in omnibus fere Regnis praxis obtinuerit benedicendi mixta conjugia, reponit primo in ipsa origine legis civilis, hanc benedictionem adhiberi praecipientis, cum lex ista non fuerit nisi extensio sanctionis praevie iam pro Confessione Protestantica latae; dein in genio temporis ad indifferentismum religiosum pronissimi. d) Perstringit argumenta pro benedictione mixtorum matr. proferri solita. e) Proponit modum e conflictu exeundi: α) refutando opinionam illorum, qui Sacerdotem Catholicum legi civili benedictionem iubenti tuto satisfacere posse existimant, modo formula terminis generalibus e conceptu Christianismi desumtis, et magis moralibus quam dogmaticis concinnata eligatur: cuiusmodi formulam nec legi civili, nec voto sponsorum satisfacturam, insuper statui ac muneri Sacerdotali noxiam fore monet; β) hunc modum projectando: ut Potestas Civilis, quod est ad religiosam matr. mixtorum pertractationem, libero Sponsorum arbitrio relinquat, se ad huius aut illius religionis ministrum convertendi, qui dein Sponsorum desiderio ea modalitate, quam ministerii sui ratio et Superioris Ecclesiastici dispositio poposcerit, responsurus sit. f) In specie pro illo casu, quo sponsi de prolibus suis catholice educandis inter se conveniunt, taliterve mixto suo coniugio characterem catholicum conciliant, matrimonium quidem adhuc mixtum persistere, labemque irregularitatis praeseferre, sed tamen benedici ritu solito posse censet; at in casu, quo sponsi proles suas vel omnes vel etiam partem earumdem in Confessione Protestantica educandas praevie decernunt, benedictionem omittendam statuit, id maiorem in modum ingemi-

nans: pro casu posteriori benedictionem fore contra spiritum, doctrinam, et leges Ecclesiae, ac proin illam sine peccato nec imperari nec institui posse. [864]) — Quo maius erat Mackii nomen ob egregrie propugnatam doctrinam catholicam: eo plures surrexerant adversarii, qui praxim mitiorem per illum invicte perstrictam defendendam suscepere, et quidem ex ipso Regno Würtembergico: signanter a) Anonymus auctor dissertationis: *Das theologische Votum des Herrn Mack über die Einsegnung der gemischten Ehen.* Pflanz, *freimüthige Blätter über Theologie und Kirchenthum. 1840. III. Heft. p. 275—371.* [865]) contra notionem cumprimis benedictionis a Mackio propositam suas dirigens animadversiones: censet nimirum Protestantem eius recipiendae non minus capacem esse quam Catholicum, imo quam maxime convenire, ut Ecclesia etiam pro Protestantibus divinam gratiam imploret, ac proin matr. mixta benedicat. Matr. mixta ne in foro quidem interno stricte illicita esse adstruit, duntaxat in eo casu, si positive constet, sponsos ex indifferentismo ad ineundum mixtum connubium induci. Mackii conclusiones et assertiones non ex rectis ideis ac principiis deductas et in specie id vitio ei vertendum esse ait, quod de silentio Conc. Tridentini circa mixtas nuptias nil proferat, cum tamen silentium hocce sit unum ex praecipuis pro defensione matrim. mixtorum momentis. — b) Fridolin Huber, *das theologische Votum von M. J. Mack, die Einsegnung der gemischten Ehen betreffend, beurtheilt. Freim. Blätter. XIX. B. p. 269—299.* ad haec tria tamquam praecipua resultata reducendo opus Mackii: quod nimirum matr. mixta etiam sine benedictione sint valida, hoc tamen non obstante spiritui et legibus Ecclesiae minime consona, et ideo benedictio sacerdotalis iis tribui nequeat: quoad priora duo idem cum Auctore celeberrimo sentit, sed non quoad tertium, sive benedictionem mixtarum nuptiarum: quam ut osten-

864) Recensiones: *Katholik. 76. B. 1840. p. 42. — kathol. Stimmen. Regensburg. 1840. p. 106.* — Rheinwald *Repert. XXIX. B. p. 223. 245.*

865) Dissertationis huius auctor est ipse Redactor scripti istius periodici Joannes Pflanz.

dat semper impertiendam esse, adstruit, eam non aliud esse, quam declarationem ex parte Ecclesiae, quod matr. mixtum etiam respectu ecclesiastico sit validum, eo porro fine adhiberi, ut preces et vota de conservanda matrimonii sanctitate promantur. Ad assertum autem Mackii, quod matr. mixtum cum promissa educatione catholica prolium initum characterem induat coniugii catholici, ac propterea benedici possit, reflectit: tunc solum characterem catholicitatis coniugio tali accedere, si pars acatholica convertatur: ac proin magnam in eo cerni inconsequentiam, quod promissa educatione catholica prolium benedictio nuptialis suscipi, secus denegari statuatur. — c) Adversus opus Mackii strinxit calamum Dr. Carovè [866]), *einige Bemerkungen in Beziehung auf das theologische Votum des Herrn Dr. Mack über Einsegnung der gemischten Ehen. Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1840. Nro 35. 43. 44. 47—49.* et primum historice haec animadvertit: nullum exstare Conciliare decretum matr. mixta prohibens, nisi forte id, quo communio cum haereticis in antiqua Ecclesia interdicebatur; post reformationem Sec. XVI. favorabiliorem se exhibuisse Ecclesiam Romanam erga connubia mixta, hodie vero stricte nec sermonem esse posse de matr. mixtis, siquidem Catholici et Protestantes in substantia unius sint religionis ac fidei, unaque sit omnium destinatio, tendere ad universalem hominum omnium unionem in fide. Tum ad benedictionem transiens, eam vel ideo tute adhiberi posse censet, quod sententia de Ministro Matrimonii Presbytero antiquitate se commendet, sitque verosimilior; e contra assistentia passiva et minus recta sit, et statui Sacerdotali deroget. Demum observat: Mackium sibi contradixisse, dum asseruit: per benedictionem designari adprobationem matr. mixti ex parte Ecclesiae, et tamen matr. mixta cum promissa educatione catholica prolium inita benedici posse docuit.

355—358. Quemadmodum Mack in Würtembergia, ita Jos. Ign. Ritter, Professor et Canonicus Vratislaviensis in Borussia, per librum suum ex incidenti eventuum Colo-

866) cf. §. 206. No. 198. et. §. 219. No. 349.

niensium ac Posnaniensium sub titulo: *Irenikon, oder Briefe zur Förderung des Friedens und der Eintracht zwischen Kirche und Staat. Leipzig. 1840.* editum non exiguam attentionem excitavit, sed et adversarios bene multos contra se provocavit. Argumentum suum tredecim Epistolis absolvit Auctor doctissimus. In *prima* Epistola praemittit: prima fundamenta conflictui moderno inter Ecclesiam et Civitatem anno adhuc 1817. occasione iubilaei sic dictae Reformationis per ineptos Praedicatores et Concionatores posita fuisse; principia autem Ecclesiae Cath. et praxim quoad mixta matrimonia nequaquam sic comparata esse, ut seu iura Confessionis Protestanticae sive Principum Civilium potestatem laedant. Dein ad thema principale de restituenda pace inter Ecclesiam et Statum Publicum transiens, haec inprimis discutienda sumit: plenam libertatem et independentiam pro parte Ecclesiae Catholicae, liberam Episcoporum electionem, liberam Sacramenta sub his et non aliis conditionibus administrandi potestatem, liberam cum Capite Ecclesiae communicationem, influxum denique in rem educationis et scholae iuventutis ecclesiasticae. Puncta haec, gravissimi sane momenti, in sequentibus Epistolis uberius proponit et illustrat cum singulari semper ad eventus Colonienses ac Posnanienses attentione. Speciatim in Epistola *secunda* de doctrina Ecclesiae Catholicae, quod ipsa sit sola salvifica, tractat, ex illaque utpote mere dogmatica ac ad fidem spectante nil Civitati metuendum esse concludit. In Ep. *tertia*, *quarta*, et *quinta* praemisso, quod Auctores, de eventibus Borussicis scribentes, non e generalibus fixisque principiis, verum unice ex arbitraria theoria de relatione inter Ecclesiam et Civitatem facta AEpporum diiudicando, peccaverint: sine ira ac studio disquirit generalia illa fixaque principia, iuxta quae relatio Ecclesiae ad Civitatem determinari debeat; et asserit: Ecclesiam Civitati neutiquam subordinatam, sed spectato fine, Civitate ipsa maiorem nobilioremque esse; porro Ecclesiam recentissimo tempore in iura Civitatis minime involasse, sed potius de Statu Civili affirmari posse, quod plerasque in iura et libertates Ecclesiae involationes fecerit. Respectu matr. mixtorum vero Sta-

tum Civilem signanter per id ultra limites activitatis suae evagari ait, quod circa educationem religionariam prolium e matr. mixtis leges ferat, pacta vero et transactiones coniugibus prohibeat. In Ep. *sexta* quaerit: eccur Status Civilis in sphaeram legislationis matrimonialis sese tantopere misceat? et respondet: id ideo fieri, quod Gubernium Civile metuat, ne Ecclesia Catholica quidpiam iuribus Protestantium adversi constituat. In Ep. *septima* asserit: Statum Publicum obtutu Religionis nonnisi in tantum vocem habere in legislatione posse, in quantum finis Civitatis postulat. In Ep. *octava* legislationem civilem matrimonialem Statuum Catholicorum recentiorem perstringit, tamquam arbitrariam et iniustam; de praxi vero mitiore quoad matr. mixta notat: illam duntaxat oscitantiae Ordinariatuum tribuendam, et abusibus accensendam esse. In Ep. *nona* et *decima* liberrimam cum Capite Ecclesiae communicationem propugnat, indiscretum sic dicti Placeti usum reiicit, Nuntiaturarum erectionem projectat, velut aptissimum ad evitandas collisiones medium. In Ep. *undecima* et *duodecima* argumentum de electione Episcoporum per Capitula; in *decimatertia* tandem de influxu in rem scholasticam uberius pertractat. [867] — Contra librum Ritteri calamum strinxere primum Redactores Ephemeridum, utpote *Hamburgensium*, *Vratislaviensium*, et *Silesiacarum* [868]) ignorantiam et non minus rectam expositionem principiorum Ecclesiae Evangelicae, nimiam e contra potestatis Romanorum Pontificum exaltationem et Episcoporum ab eadem dependentiam ab Auctore adsertam, obiicientes: qui[?] us eruditissimus Auctor singulari libello respondit: *Beleuchtung dreier Zeitungs-Artikel über das Irenikon.*

---

867) Recensiones: *Athanasia. Neue Folge. XII. B. p. 159. — Katholische Stimmen. 1840. Maiheft. — Allgemeiner Religionsfreund. 1840. p. 625. — Sion. 1840. Maiheft. — Herold des Glaubens. 1840. p. 739. — Katholik. 78. B. p. 169. — Berliner allgemeine Kirchenzeitung. 1840. No. 71. —* Gersdorf, *Repertorium der gesammten Literatur. XXV. B. p. 295.*

868) *Unpartheyischer Korrespondent. Hamburg. 1840. No. 126. — Breslauer Zeitung. 1840. No. 97. — Schlesische Zeitung. 1840. No. 116.*

Leipzig. 1840. [869]) sed Redactorum unus responso Ritteri novas opponere tentavit reflexiones: *Sendschreiben an den Herrn Dr. Ritter, veranlasst durch dessen Beleuchtung dreier Zeitungsartikel. Breslau. 1840.* [870]) — Commemorari insuper ex adversariis Ritteri potest: Richard Baron, *Anti-Irenikon, oder Sendschreiben an Herrn Ritter, auf Veranlassung seines Schriftchens: Irenikon. Brieg. 1840.* qui praecipue independentiam Ecclesiae Catholicae a Rittero mascule propugnatam aegre tulit. [871])

359. Sieger, *über gemischte Ehen. Ein Wort der Liebe an katholische und evangelische Christen. Mülheim. 1840.* est altera editio libelli, cuius iam in Literatura *Epochae quintae* mentionem fecimus.

360. *Frage: wenn eine Ehe zwischen einem Katholiken und einer Akatholikin ganz nach Vorschrift der Kirche abgeschlossen wird, können wir sagen: eine solche Ehe sei ein wahres Sakrament in der katholischen Kirche? Athanasia. Neue Folge. XII. B. 1840. p. 83. ff.* argumento ab analogia baptismi petito quaestionem affirmative solvit.

361. Joannes Perrone, *tractatus de Matrimonio. Lugduni. 1840. pag. 150—209.* principia catholica egregie evolvit, et signanter ostendit, acatholicos Principes, nisi omnia laedant aequitatis iura, non posse cogere Sacerdotes catholicos ad benedicendum matr. mixta. [872]).

362. *Beleuchtung mehrerer Controverspuncte über die christliche Ehe, vom katholischen Standpuncte aus gewürdigt. Athanasia. Neue Folge. XI. B. 1840. p. 9—41.* Protestantes decretis C. Tridentini stricte non obligari defendit.

---

869) Recensiones: *Herold des Glaubens. 1840. p. 740.* — Gersdorf *Repert. XXVI. B. p. 201.*

870) Recensiones: *Herold des Glaubens, l. cit. p. 739. 757.* — Gersdorf *Repertor. l. cit. p. 201.*

871) Recensiones: *Herold des Glaubens, l. cit. p. 739. 755.* — Gersdorf *Rep. l. cit.*

872) Opus Joannis Perrone in Germanicum translatum prodiit sub titulo: *Über die gemischten Ehen. Von. J. Perrone. Aus dem Lat. übers v. Axinger. Augsburg. 1840.*

363. *Katholisches Votum über die Behandlung der gemischten Ehen. Von einem kath. Geistlichen in Schlesien. Allgemeiner Religionsfreund. 1840. No. 57.* contra praxim mitiorem in Silesia Borussica invectam plures animadversiones proponit, nec expressionibus Brevis Pii VIII. ad Episcopos Rhenanos circa cautiones matrimonio praemittendas contentus est, quod satis determinatae haud sint.

364. *Der Badensche Clerus und der deutsche Prälat über die gemischten Ehen. Katholik. 76. B. p. 24—41. 270—292. — 77. B. p. 32—66.* perstringit ausum nonnullorum de Clero Badensi, qui declaratione Archiepiscopi sui adversus mixta matrimonia in sensu Ecclesiae, facta non contenti, negotium isthoc in Synodo Dioecesana cum aliis rebus disciplinaribus assumi potenter urgebant.

365. 366. Fr. Anton Eberhard, *zwei Predigten über die Ehe in der kathol. Kirche. München. 1840.* principia Ecclesiae Cath. praeclare evolvit, atque ab ineundis matr. mixtis fideles dehortatur: sed ob conciones has magna, ut in Literatura anni 1841. dicetur, adversus Auctorem, munere Concionatoris in Ecclesia Regia Monacensi fungentem, tempestas movebatur. Anno 1840. unum duntaxat lucem vidit opusculum contra memoratas conciones: *Kurze Beleuchtung der beiden Eberhard'schen Predigten über die gemischten Ehen. Von einem Protestanten. München. 1840.* in quo persuadere studet auctor protestanticus, magnam in eo cerni incohaerentiam, quod Ecclesia Catholica matr. mixta reprobet, et tamen datis per partem acatholicam literis reversalibus super educatione prolium catholica benedicat.

367. *Zusprache an Mädchen, welche sich mit einem Protestanten verloben wollen. München. 1840.* continet a) celebrem epistolam Leopoldi Frid. Com. a Stolberg ad puellam, quae matr. mixtum inire voluit; a cuiusmodi proposito eam gravissimis verbis dehortatur; b) instructionem catecheticam de mixtis matr. auctore Bernardo Overberg; c) appendicem de Ecclesia Romano-Catholica tamquam una solaque salvifica.

368. J. Görres, *zweites Jahresgedächtniss des 20. Nov. 1837. Regensburg. 1840.* quemadmodum in primo [873]), ita in altero isthoc libello, anniversarium eventus Coloniensis diem recolente, energice perorat de libertate Ecclesiae Catholicae, illos cumprimis perstringens, qui omnem Ecclesiarum Germanicarum cum Sede Romana nexum abrumpendum proiectant.

§. 221.

Auctores Protestantici de eventibus in Borussia moderatius et sine partium studio scribentes.

Tres solum ex Protestantibus, qui decursu anni 1840. meritum mixtorum matrimoniorum cum singulari ad eventus Borussicos attentione et maiori cum moderatione ac aequitate tractarunt, commemorare possumus:

369. Friedrich v. Florencourt, *politische, kirchliche, und literarische Zustände in Deutschland. Ein journalistischer Beitrag zu den Jahren 1838. und 1839. Leipzig. 1840.* Est nova editio complurium articulorum, quos ex incidenti eventuum in Borussia in pagellis literariis Lipsiensibus Auctor a. 1838. et 1839. vulgavit [874]): in quibus adversus opus *Joannis Görres* [875]) plura equidem memorat, pulchrum tamen una Ecclesiae Catholicae reddit testimonium, eam in capite de mixtis matr. nequaquam in iura Status involasse, sed id solum egisse, quod agere debuit. [876])

370. Rintel, *Rechtfertigung der persönlichen Handlungsweise Sr. Majestät des Königs von Preussen in der Angelegenheit des Erzbischofs von Köln. Würzburg. 1840.* Auctor celebris, qui pro defensione utriusque Archiepiscopi vocem suam elevavit [877]), in hoc libello ipsum quoque Re-

873) cf. §. 209. No. 260.

874) *Literarische und kritische Blätter der Börsenhalle, dd. 23. 25. April. 21. Nov. 1. 4. Dec. 1838. — 2. Oct. 1839.*

875) cf. §. 209. No. 248.

876) Recensiones: *Sion. Augsburg. 1840. No. 126. p. 1178. — Hallische Jahrbücher. 1840. No. 281. — Blätter für liter. Unterhaltung. 1841. No. 48.*

877) cf. §. 208. No. 247. — §. 216. No. 317.

gem Borussiae quoad suam personam excusare nitebatur, omne responsionis onus in Regios Ministros, sed praeprimis Duumviros *Altenstein* et *Bunsen* reiiciendo. [878])

371. *Anti-Bretschneider; merkwürdige Nachrichten vom Selbstmordversuche eines bereits gerichteten Delinquenten. Von dem Doppelgänger des Verfassers des Freyherrn von Sandau auf dem Richtplatze. München. 1840.* Auctor libelli huius, cuius prior pars iam a. 1839. lucem aspexit [879]), ad ea respondet, quae Bretschneider, famosae romanensis fabulae scriptor [880]), in sui literarii foetus defensionem proferre conabatur [881]); inprimis vero auctoritatem Ecclesiae Catholicae de haereticis a communione sua excludendis, item Primatum Romanae Sedis vindicat, labemque intolerantiae a Catholicis repellit. [882])

---

5. Literatura anni 1841.

§. 222.

Auctores Protestantici.

372. Vinc. Balitzki, *wodurch wird der Römische Katholicismus bis jetzt gehalten? Eine Zeitfrage. Send- und Antwortschreiben an den Verfasser des Freiherrn von Wiesau. Darmstadt. 1841.* meras declamationes continet adversus Rom. Pontificem, Celibatum Clericorum, et Confessionem; ad rem vero nil prorsus in libro hoc invenire est, cuius auctor erat antea Catholicus Presbyter. [883])

373. *Der Freyherr von Feldau, oder die Wahrheit der evangelischen Kirche, vertheidigt gegen die Schrift des kath.*

---

878) Auctor subin ad Fidem Catholicam conversus est.

879) cf. §. 216. No. 318.

880) cf. §. 213. No. 284.

881) cf. §. 216. No. 319.

882) Recensio: *Allg. Religionsfreund. 1840. p. 1513.*

883) Recensio: Gersdorf *Repertorium der Literatur. XXVIII. B. p. 106.*

Decans und Pfarrers Götz: der Freyherr von Wiesau. Frankfurt. 1841. opus in titulo memoratum [884]) refutare conatur. [885])

374. *Karl Pragmaticus, das päpstliche Breve vom 25. März. 1830. die gemischten Ehen betreffend, als Grundlage eines demnächstigen Vergleiches zwischen der römischen Curie und der k. preuss. Regierung. Leipzig. 1841.* Auctor ea, quae iam anno 1840. in pagellis historico-politicis Jenensibus vulgaverat [886]), denuo recudi fecit, argumentumque illic pertractatum continuavit, id quoque persuadere cupiens: legum Borussicarum mentem non esse, ut sacerdotes catholici ad impertiendam matr. mixtis benedictionem cogantur. [887])

375. *Ausführliche Erörterung der beiden höchst wichtigen Fragen: 1. was ist in der Streitsache über die gemischten Ehen streng Rechtens? 2. welche Vorschläge sind zur endlichen Ausgleichung der desfallsigen Differenzen zulässig und empfehlungswerth? Von einem unpartheyischen Canonisten. Tübingen. 1841.* quaestionem totam iuridico obtutu pertractando, principia quaevis ad normam Apostolicorum temporum revocanda, eoque ipso nullum ius Ecclesiae ad matr. mixta prohibenda tribuendum esse censet, cum, ut ait, Apostolorum aevo multo mitius et clementius de nuptiis mixtis cogitatum fuerit. [888])

376. *Zur Gesetzgebung über die gemischten Ehen. Berliner allgemeine Kirchenzeitung. 1841. Beil. zu No. 32. et 33.* normam fixam et inalterabilem in merito mixtorum connubiorum quo prius determinari optat, talemque in eo projectat: ut stabiliatur: utrique Confessioni, tam Catholicae quam Protestanticae aequale ius competere; copulationem porro arbitrio sponsorum relinqui, quoad educationem religionari-

884) cf. §. 215. No. 809.

885) Recensiones: Gersdorf *Repertorium der Liter. XXVIII. B. p. 403. — Literarische Zeitung. Berlin. 1842. p. 37.*

886) cf. §. 218. No. 336.

887) Recensio: *Göttingische gelehrte Anzeigen. 1841. p. 1489.*

888) Recensiones: *Freimüthige Blätter. 1841. V. Heft. p. 223. — Liter. blatt zum allgem. Religionsfreunde. 1841. No. 32.*

am prolium autem inter sponsos mutuo, sed immutabiliter conveniri debere.

§. 223.

Opera Auctorum Catholicorum.

377. *Unterricht über die gemischten Ehen, zur Belehrung und Warnung für christkatholische Seelsorger und das Volk. Von einem kath. Geistlichen in Würtemberg. Augsburg. 1841.* methodo populari doctrinam catholicam proponit.

378. *Katholische Christenlehre über die gemischten Ehen. Passauer katholische Blätter zur Belehrung und Erbauung. 1841. No. 8. ff.* methodo catechetica Auctor exponit plurima ilia peccata, quae pars catholica, sine conditionibus ab Ecclesia praescriptis ineundo mixtum connubium, committit. [889])

379. Fr. Anton Eberhard, *die Ehe der alleinseligmachenden Kirche. München. 1841.* argumentum in Concionibus anno 1840. editis [890]) coeptum continuavit: et in decem sacris sermonibus doctrinam Ecclesiae Catholicae cum de matrimonio in genere, tum de matr. mixtis in specie insigniter pertractavit [891]): sed hoc ipso adversariorum, cumprimis Protestantium furorem in se concitavit, qui eousque non quieverunt, donec celebratissimo Auctori facultas concionandi in Ecclesia Regia Monacensi prohibita fuisset. [892])

380. Joh. Th. Wiser, *die gemischten Ehen, in Kanzelvorträgen betrachtet, für alle, die sich klare Einsicht in diesen Gegenstand verschaffen wollen. Regensburg. 1841.* sex Concionibus absolvit omne id, quod Ecclesia de matr. mixtis tradit. [893])

381. *Katholische Bedenken über die erzwungene Einsegnung gemischter Ehen. Abfertigung der — ausführlichen*

889) cf. *Allgem. Religionsfreund. 1841. p. 26. ff.*

890) cf. §. 221. No. 365.

891) Recensio: *Allg. Relfreund. 1841. Liter. blatt p. 146.*

892) Vid. *Berliner. allgemeine Kirchenzeitung. 1841. p. 199. ff.*

893) Recensiones: *Sion. 1841. Lit. blatt. No. 5. p. 35. — Katholik. 81. B. p. 98 — Freim. Blätter über Theol. 1841. V. Heft. p. 223. 253.*

Erörterung eines unpartheyischen Canonisten etc. Augsburg. 1841. adserta Auctoris, cui reflexiones suas opponit [894]), praeclare refutat.

382. *Was ist vor hundert Jahren bei den Katholiken über gemischte Ehen gelehrt worden? Katholik. 82. B. 1841. p. 20. ff.* adsertum recentissimorum Auctorum, quasi Ecclesia R.Catholica hodie primo tam severe de nuptiis mixtis sentire coeperit, refutaturus anonymus dissertatiunculae scriptor profert Catechismum ante centum annos a *Matthaeo Vogel* e Soc. Jesu editum, in quo eadem prorsus, quae hodie traditur, doctrina Ecclesiae circa mixta connubia proponitur.

383. *Über die Kirchenfrage in Würtemberg. Sion. Augsburg. 1841. No. 120. ff.* perstringit morem in Regno Würtembergico vigentem benedicendi absque discrimine matr. mixta, et praesertim assertum, quasi benedictio talis *bona fide* olim inducta, hocve ipso deinceps quoque retinenda sit.

---

384. *Ist die Einsegnung gemischter Ehen ein Gegenstand der allgemeinen Kirchendisciplin, oder der besondern verschiedener Kirchenprovinzen? Freimüthige Blätter über Theologie. XX. B. Stuttgart. 1841. p. 275—283.* quaestionem de mixtis connubiis ex illarum genere esse ait, de quibus quid universaliter tenere oporteat, in nullo adhuc Generali Concilio definitum habeatur, ac proinde Principes Civiles exemplo Regis Borussiae, iuncta cum Episcopis opera mitiorem praxim tuto manutenere posse.

385. *Was sollte und könnte allenfalls an den in Würtemberg geltenden Gesetzes-Bestimmungen über die gemischten Ehen geändert werden? Freimüthige Blätter. 1841. V. Heft. p. 173—199.* defendit legem Würtembergicam circa educationem religionariam prolium e mixtis matr. ita defixam, ut eae in regula confessionem patris sequi obligentur.

894) cf. §. 222. No. 375.

II.

HISTORIA MATRIMONIORUM MIXTORUM INTER CATHOLICOS ET PROTESTANTES PARTICULARIS IN HUNGARIA, TRANSSILVANIA, ET AUSTRIA.

A). In Hungaria.

§. 224.

Summa dicendorum. Divisio Historiae totius in quinque Epochas.

Historiae universali mixtorum matrimoniorum subiungimus particularem *Hungariae*, *Transsilvaniae*, et *Austriae:* quae multis ex obtutibus peculiarem pertractationem sibi vindicat, et egregium perhibet testimonium de eo, quam laudabili et insigni zelo Regnorum horum Praesules genuina Ecclesiae Catholicae circa rem mixtorum matrimoniorum principia in mediis quoque tempestatum procellis manutenere ac defendere studuerint. In *quinquae Epochas* totam hanc historiam relate ad Hungariam dividimus: quarum *prima* inde a primis sic dictae Reformationis in Regno isto initiis usque annum 1780. sive principium Regiminis Josephi II. procurrit: sub quo quemadmodum universum systema religionarium relate a Confessiones Protestanticas essentialem mutationem, ita in specie res matr. mixtae religionis notabilem conversionem subiit; *secunda* tempora Josephi 2. complectitur, et cum memorabilibus Regni Comitiis anno 179⁰/₁. finit, in quibus prima *lex* in negotio religionis, quam pro-

les e connubiis mixtis progenitae amplecti profiterique debeant, condita fuit; *tertia* enarrat statum matr. mixtorum, qualis post conditam eam legem introductus est, et usque novam discussionem Comitialem quaestionis istius in Diaeta anni $18^{25}/_{27}$. coeptam viguit; *quarta* abhinc usque eventum *Coloniensem* anni 1837. pro toto orbe Catholico relate ad quaestionem istam iure merito epocham figentem progreditur; *quinta* demum acta summe notabilia ob oculos sistit, quae inde a Coloniensi eventu usque exitum anni 1841. in Hungaria semet evolverunt.

Historiae Epochae I. praemittendam censuimus succinctam, e genuinis authenticisque documentis in *Tabulario Regio* praeexistentibus, erutam delineationem status religios Confessionum Protestanticarum relate ad Religionem dominantem Catholicam in Hungaria inde a primis invectae Reformationis annis usque tempora Josephi 2. ut leges eatenus in Comitiis Regni frequenter latas, item Resolutiones Regias prout quoad negotium religionarium in genere, ita quoad disparis cultus matrimonia in specie editas, ac inferius recensendas melius intelligamus.

EPOCHA I.

Ab invecta in Hungariam Reformatione usque initium Regiminis Josephi II. seu an. 1780.

---

§. 225.

Excursus historicus praeliminaris, sistens conspectum status religiosi Protestantium relate ad dominantem Religionem R. Catholicam.

a) A primis Reformationis initiis usque an. 1606. sive Pacificationem Viennensem. Religio Romano-Catholica a primis Regni Hungariae incunabulis, postquam nimirum *S. Stephanus*, primus eiusdem Rex et Apo-

stolus, illam universim stabilivit, atque fundatis Archi- et Episcopatibus, constitutisque variis Religiosorum Ordinum Monasteriis, uberius firmavit, usque infelicem *cladem Mohácsianam*, quae Regnum hoc innumeris involvit calamitatibus, semper floruit, et fere nullis Sectis religiosis permixta fuit. Et quamvis sub initium grassantis in compluribus Europaeis Regnis ac Provinciis *Reformationis* unitas orthodoxae Religionis miserandum in modum dilaceraretur: in Regno tamen Hungariae obviatum est huic malo latis sub *Uladislao II.* et *Ludovico II.* severissimis contra novatores legibus.[895] Verum *Transsilvania* subinde cum parte Regni Hungariae inter *Ferdinandum I.* Imperatorem, et *Joannem Zápolya* divisa: Reformatio primum in Transsilvaniam, ac inde in Regni Hungariae partes eo impetu se diffudit, ut nulla ratione amplius cohiberi potuerit; quin direptis per novatores magna in parte Bonis Ecclesiasticis, atque *Turca* subinde Metropolim quoque Regni Budam occupante, inter has turbas et Regni vastationes adeo increverit, ut multi etiam ex Statu Optimatum et Nobilium, potissimum novis his Ecclesiasticorum Bonorum acquisitionibus illecti, eandem reformationem amplexi sint. — Illud tamen diu Novatores hi impetrare non poterant, ut in Regno Hungariae, saltem sub Ferdinando I. Maximiliano II. et Rudolpho per publicam quampiam legem seu Augustana seu Helvetica Confessio stabilitatem aliquam consequeretur, imo potius Status et Ordines Regni identidem in publicis Comitiorum Constitutionibus desiderium suum, orthodoxam Religionem in pristinum florem reducendi, testati sunt, remediaque quaesiverunt, quibus id bono cum successu effectui dari posset. Quare cum defectum Episcoporum et Cleri parte ex una, parte vero ex altera scholarum et educationis publicae neglectum maximos ultro ac ultro serpentis reformationis fontes esse optime perspexerint: iam Episcopos in suis Dioecesibus residere, easdem vel per se, vel medio Archidiaconorum saepius visitare, de Parochis literatis providere iubebant; iam de revindicandis violenter occupatis bonis ecclesiasticis constitutiones faciebant; iam introductionem scholarum et edu-

895) Vid. leges: 1523: 54. — 1525: 4. —

cationis curam commendabant, et finem in hunc Praepositurarum, Abbatiarum, nec non desertorum Claustrorum et Conventuum bona pro scholis publicis aliisque piis institutis providendis designabant; verbo haereses omnes exterminandas, atque unam solum orthodoxam religionem promovendam esse cumprimis sub Comitiis a. 1548. solenniter sauxerunt, constitutionesque has in subsequis etiam Comitiis confirmarunt. Quia nihilominus remedia haec partim lento modo ob continua cum Turcis bella aliaque incommoda adhibebantur, partim ob admodum numerosos reformationi adhaerentes insufficientia erant: ideo non obstantibus praemissis Constitutionibus, in effectu dissimulabantur cuncta haec adeo, ut sub *Maximiliano II.* et *Rudolpho* in publicis Comitiis de objectis his religionariis altum fuerit silentium, praeterquam quod a. 1604. cum Acatholici variis postulatis Rudolpho Regi molesti essent, et se potiorem Regni Statuum ac Ordinum partem compellassent, idem perlatis ad se conclusis in eadem Diaeta articulis, ultimum seu 22um addiderit: in quo omnes constitutiones a temporibus S. Stephani in favorem dominantis Religionis Orthodoxae conditas noviter confirmavit. Constitutione hac commotis Acatholicorum animis, perturbatisque eodem tempore Transsilvanicis etiam negotiis, opportuna hac occasione usus est *Stephanus Botskay* ad occupandum Principatum Transsilvaniae, partiumque Hungariae dominatum, quem ambiebat, arripiendum; atque conciliata sibi magna adhaerentium, potissimum Acatholicorum, sub praetextu vindicandae religionis libertatis, copia ad illud discrimen Rempublicam adduxit, ut Rex Rudolphus sub finem Imperii sui in Tractatum Pacis condescendere coactus fuerit.

b) Ab an. 1606. seu Pacificatione Viennensi usque annum 1681. seu Articulos Diaetae Soproniensis. Pax anno 1606. Viennae inter *Mathiam II.* nomine Rudolphi Regis, et factionem Botskayanam solenniter conclusa, sub nomine *Pacificationis Viennensis* nota, inter complura alia gravaminum puncta principaliter negotium Religionis Articulo I. determinavit, atque *liberum* Augustanae et Helveticae Confessioni addictis generatim, absque tamen praeiudicio Catholicae Romanae Reli-

gionis, atque intra ambitum Regni Hungariae solum existentibus, *exercitium religionis* admisit. Qui dein Articulus sub Comitiis a. 1608. ante coronationem Articulo rursum primo sequenti tenore confirmatus fuit: ut religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus, et Nobilibus, quam Liberis Civitatibus, ac universis Statibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in confiniis Regni militibus Hungaris sua cuique religio et confessio, nec non Oppidis et villis eam sponte et libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam in eo a quoquam impediatur, quin imo ad praecavenda inter Status et Ordines odia et dissensiones, quaelibet Religio suae professionis superiores, seu Superintendentes habeat. Anno igitur memorato primum condita est lex: per quam *liberum* religionis exercitium pro Regno Hungariae Augustanae et Helveticae Confessioni addictis admissum fuit, et in qua omnes subseqnae Protestantium praetensiones fundantur. Stabilita taliter in Regno utraque Confessione, sperare licuit, pacem et tranquillitatem publicam firmiter perstituram; ast aliter, quam sperabatur, evenit. Nam paucos post annos *turbae Bethlenianae* exortae sunt, ac cetera inter *libertas religionis*, tamquam praetextus novandarum rerum, assumta: manifesto indicio, ambitum dominandi, non libertatem religionis vindicandi, veram motuum causam fuisse, ac ideo exhibitos in Pacificatione Viennensi favores non eum, qui sperabatur, diuturnum pacis fructum attulisse. Occasione turbarum istarum saevitum est per Protestantes tam intoleranter, ut pulsis aut pessime tractatis Ecclesiasticis, occupatis templis, primas etiam catholicas familias in exitium agerent. Sedatis dein motibus, plures illustriores familiae, quarum circiter quinquaginta temporibus *Cardinalis a Pázmány* AEpiscopi Strigoniensis numerabantur, ad sinum orthodoxae Religionis redierunt, scholae catholicae introductae, Episcopi ad suas residentias inviati, Curionum et Religiosorum numerus auctus; sed cum Status et Ordines ad sinum Ecclesiae reversi, in suis etiam bonis fundamento clausulae in Articulo praecitato contentae, orthodoxam religionem propagare studerent, multifariae inter illos et Protestantes de qualitate admissi liberi religio-

nis exercitii obortae sunt controversiae, Catholicis occupatas sub praeteritis motibus Ecclesias, aut per priores dominos terrestres acatholicos praetenso hac in re etiam iuro dominii terrestralis suac Confessionis hominibus attributas rehabere volentibus, atque cuilibet in *suis tantum bonis* liberum religionis exercitium admissum esse, asserentibus. Ad haa controversias definiendas subsequis annis sub Comitiis Regni, potissimum de anno 1647. post sedatos, qui rursum sub obtentu quoque religionis excitati erant, *Rákóczianos* motus, varii conditi sunt Articuli: videlicet de libero templorum, campanarum, et sepulturae usu; porro cautum, ne domini terrestres iure suo dominii terrestralis in rebus religionis abutantur, ne Evangelici opifices ad ceremonias religioni suae contrarias stringantur, ut circa matrimonialia negotia in usu consueto omnes permaneant, templa occupata restituantur, in filialium usu Protestantes relinquantur, proventusque parochiales in his ministris ipsorum cedant, etc. Verum postea regnante *Leopoldo*, cum Religio Orthodoxa maiora in dies incrementa caperet, Protestantes rursum se in concesso libero religionis exercitio turbari questi sunt, atque sub hoc obtutu Duce *Tökölio* novos excitarunt motus; cumque Imperator et Rex multis aliis etiam externis bellis distineretur, factio haec, Turcicis auxiliis suffulta, immanea per universum Regnum intulit strages, et Rex ad tractatum pacis ineundum promtum se praebere coactus fuit.

c) Ab a. 1681. seu Diaeta Sopronienai usque Comitia a. 1715. sub Carolo VI. Imp. et Rege. Malis per factionem Tököllanam Regno illatis motus Leopoldus, ad restituendam pacem et tranquillitatam publicam, sopiendasque diversas ac in parte etiam de turbata religionis libertate obmotas Regnicolarum querimonias Comitia *Sopronium* a. 1681. indixit, et cetera inter negotium religionis assumendo, controversiis inter Catholicos et Protestantes inde ab an. 1606. et 1608. tamquam epocha admissi liberi religionis exercitii, circa qualitatem huius exercitii, occupatasque ab utrinque iure dominii terrestralis Ecclesias et Parochias, continuo subversantibus per conditos Articulos XXV. et XXVI. finem imposuit certos *publici* religionis exercitii

limites constituendo: quos eo magis ponere necessum fuit, quod partim ex non definitis satis dominorum terrestrium etiam in rebus religionariis iuribus cunctae hae controversiae profluxerint, partim ob excitatos per Protestantes his religionariis praetextibus motus, hosve et Turcarum et Gallorum aliorumque Augustae Domus Austriacae tunc inimicorum auxiliis suffultos, maiora mala secutura praevertere, publicamque tranquillitatem restituere oportuerit; simul vero providere, ne per *irrestrictum* publicum aliarum etiam religionum exercitium dominanti orthodoxae Religioni gravius vulnus inferatur. Articulo itaque XXV. Articulus 1. a. 1608. confirmatus, adeoque Augustana et Helvetica Confessiones ultro quoque intra ambitum Regni Hungariae receptae, liberumque cuilibet *privatum* religionis suae exercitium, *salvo tamen iure dominorum terrestrium*, (a quo Status et Ordines Regni dimoveri non poterant, quod hoc potissimum praesidio Acatholicorum res increverint) admissum, cautumque fuit, ne ad ceremonias confessioni suae contrarias acatholici compellantur. Articulo autem XXVI. *publicum* religionis exercitium ita limitatum fuit, ut in XI. Comitatibus, utpote Posoniensi, Nitriensi, Barsiensi, Zoliensi, ThuróczKiensi, Liptoviensi, Trenchiniensi, Scepusiensi, Sopronieusi, Arvensi *articularia loca*, in quibus publicum religionis exercitium Protestantes habeant, specifice denominata sint, in aliis vero XIX. Comitatibus, uti Zaladiensi, Weszprimiensi, Jaurinensi, Comaromiensi, Abaujváriensi, Sárosiensi, Zempliniensi, Neogradiensi, Hontensi, Gömöriensi, Tornensi, Pestiensi, Ugocsensi, Bereghiensi, Borsodiensi, Hevesiensi, Unghvariensi, Zabolchensi, Szathmariensi siquidem de praesenti essent in actuali usu omnium fere templorum ibidem habitorum, ideo eadem pro actualibus eorumdem possessoribus usuanda relicta fuerint; idemque publicum religionis exercitium ad nonnulla etiam loca confiniaria pro militibus Hungaris, et ad certas Liberas Civitates Montanas extensum exstitit. De aliis Comitatibus ac Civitatibus, quae tunc sub Turcico dominatu adhuc gemebant, nulla in hoc Articulo mentio facta, sed Magnatibus et Nobilibus in propriis residentiis sacella et Oratoria pro usu proprio aedificare con-

cessum, denique generatim admissum, ut querimonias suas religionarias deinceps quoque in Comitiis Regni proponere valeant. — Articuli hi religionarii subseque in Comitiis a. 1687. Art. 21° ea cum expressa declaratione confirmati sunt, quod etsi per oppositam ex parte Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum contradictionem ipso facto eorumdem beneficii participes esse desiissent, propter bonum nihilominus domesticae pacis et unionis internamque Regni tranquillitatem Sua Maiestas *ex gratia et clementia Regia adhuc* ratos fore decreverit, cunctaque non obstante Cleri et aliorum Secularium Catholicorum contradictione ad sensum eorumdem Articulorum redigenda determinata. — Quia vero circa effectuationem horum Articulorum subinde rursum multae quaestiones obortae fuerant, pro illis decidendis Articularis Commissio deputata tales quidem tulit decisiones, quibus tam Catholici quam Acatholici initio acquiescere videbantur; sed quum ex combinatione decisionum cum Articulis evenisset, partim Commissarios non accurate secundum articularem determinationem operatos, partim tam ex parte Catholicorum, quam Acatholicorum propria auctoritate multa innovata fuisse: Leopoldus Rex erga factum medio Plenipotentiariorum Helveticae et Augustanae Confessioni addictorum Recursum tenorem praecitatorum Articulorum ope *normalis Resolutionis dd. 2. April. 1691.* editae interpretatus est, atque uberius explanavit; cumprimis autem clausulam articularem, cuius vi iura dominorum terrestrium salvata erant, non ad subjectionem jobbagionalem tantum pertinere, oratoria praeterea et sacella dominis admissa ad privatum duntaxat usum referri, solenniter declaravit. Anno porro 1701. erga noviter exhibita Acatholicorum gravamina praemissam normalem explanatoriam Resolutionem partim confirmavit, partim ulteriorem eidem adiecit declarationem, quod memorati Articuli ad Comitatus unice illos, qui a. 1681. sub potestate Regis Hungariae erant, pertineant, non autem ad eos etiam, qui subsequis annis a dominatu Turcico vindicati sunt, pertrahi possint; in posterioribus proinde nullum ius exercitii religionis a Rom. Catholica alienae admittere voluit; simul vero li-

berum religionis exercitium non eo sensu concessum esse explicuit, ut a Fide Catholica, illis praeprimis, qui ab una vel altera Confessione Protestantium ad orthodoxa sacra redierunt, desciscere liceat, verum contra tales tamquam periuros severe procedendum esse determinavit. — Juxta has explanationes Regias, positosque publici religionis exercitii limites tractabantur ad sensum articulorum anni 1681. negotia religionaria Acatholicorum, donec rursum circa an. 1703. adeoque sub finem Regiminis Leopoldini *tumultus Rákóczìani* exorti fuissent, sub iisque praeter alias Regni vastationes occupationes quoque templorum et Ecclesiarum R. Catholicarum intercessissent. Quare ut his malis modus ponatur, pro componendis quibusvis Regnicolarum gravaminibus, per *Josephum I.* Regem Comitia ad an. 1708. indicta et celebrata sunt. Verum partim ob grassantem pestiferam luem, partim ob nondum sedatos motus acta Congressus huius sine inarticulatione manserunt. Morte dein Josephi interveninte et interea pace cum factioni Rákóczianae adhaerentibus Szathmarini composita, per *Carolum VI.* Comitia a. 1712. indicta, et a. 1714. continuative celebrata, a. 1715. autem terminata negotium quoque religionarium pertractarunt.

d) A Comitiis a. 1715. usque finem regiminis Mariae Theresiae. In Comitiis anni 1715. signanter Articulo XXX. negotium religionarium ita definitum est: ut Articuli a. 1681. et 1687. proinde etiam Art. I. Pacif. Vienn. item Art. I. a. 1608. et XI. a. 1647. *juxta genuinum eorumdem sensum hactenus declaratum* confirmarentur; Explanationibus Regiis Leopoldinis de ann. 1691. et 1701. legalis vis attribueretur; Regiae Majestatis solius ius in religionaria non obstante quorumcunque contradictione stabiliretur. Sicque per hanc legem a constitutionibus priorum annorum in eo recessum fuit, quod in posterum gravamina religionaria non in Comitiis, nec communi nomine proponi potuerint, sed privato solum nomine a Regia Majestate remedium adferendum postulari debuerit. Quo autem cuncta religionaria gravamina debite cognosci et decidi valeant: eodem Articulo exmissa fuit Commissio ex Regiis et Regni Commissariis adunata, quae cuncta ad articularem sta-

tum, genuinumve legum sensum reponeret, Regiaeque Majestati pro ratificatione substerneret. Articulo porro XXXI. quaevis synodalia conventicula abolita, et pro futuro etiam omnes huiusmodi particulares frequentis numeri congregationes sive sub nomine Synodi, sive alio quovis praetextu absque praescitu et annuentia Regiae Maiestatis instituendae, non secus particulares collectae et impositiones Augustanae et Helveticae Confessioni addictis sub indignatione Regia et poena legali prohibitae sunt. Hae constitutiones effecerunt tandem, ut pax et tranquillitas publica in Regno sit restituta, nec amplius, saltem usque finem Regiminis M. Theresiae, graviores motus causa religionis excitati, aut publicae querelae propositae fuisse legantur [896]). — *Commissio Articularis* ex Comitiis a. 1715. exmissa, ob grave bellum Turcicum a. 1716. et 1717. exortum, primumve gloriosa Pace Passaroviczensi a. 1718. conclusum, non prius quam a. 1721. Pestini considere coepit, dein a. 1722. Posonii continuata, complura ad articularem sensum juxta explanationes Regias Leopoldinas accomodavit. Opere Commissionis dd. 3. Mart. 1727. pro Regia decisione Carolo VI. substrato, placuit huic solennem sub praesidio *Eugenii Ducis a Sabaudia* Ministerialem Conferentiam ordinare, eiusque mentem ac opinionem maxime quoad puncta, quorum respectu tam Catholici quam Acatholici ulteriorem explanationem poscebant, exquirere: qua praestita, memorabilis *dd. 7. Januar. 1731.* emanavit *Resolutio Carolina*, cuius ope cuncta negotia et gravamina religionaria decisa, in subsequis pertractationibus normam praebuerunt. Sed ex punctis

896) Provocant quidem Protestantes in suis Recursibus et Instantiis illorum temporum ad Constitutiones anni 1622. post motus Bethlenianos, item a. 1647. per motus Georgio-Rákóczianos ex Transsilvania provenientes et auxiliis Turcicis suffultos quadamtenus extortas. Sed frustra: eae enim perlatae sunt pro ratione illorum temporum, et propter stabilitum ius dominorum terrestrium semper fluctuabant. Pro cynosura itaque nonnisi articuli I. 1608. — XI. 1647. — XXV. et XXVI. 1681. — XXI. 1687. in sensu per Resolutiones R. explanato assumi, nec alii quicunque articuli, nisi illis citatis conformes sint, efficaciter allegari possunt.

Resolutionis nonnulla tantum per universum Regnum pro observamine circulariter sunt publicata, alia autem nonnisi pro directione Dicasteriorum deserviebant in decidendis quaestionibus controversis. — Sub regimine *Mariae Theresiae* tentabant equidem pro more Acatholici cum veteribus gravaminibus, quae in obsoletis perque varios motus procuratis legibus fundabant, recurrere: sed cum per Dicasteria comprobatum fuisset, de nullis meritoriis gravaminibus eos queri posse, imo potius plura contra rigorem legum et Resolutionum Regiarum ex gratia et Clementia Regia hactenus dissimulata fuisse, priores fundamentales leges et normales Resolutiones Regiae, cumprimis Carolina in statu suo relictae sunt. Anno tamen 1745. in forma ulterioris Explanationis admissum illis erat, ut templa ruinosa reparare et pro ratione numeri populi extendere possint, ita tamen, ut prius ad thronum Regium recurrant, et expositionis supplicantium realitas, instituta praevie publica investigatione, authenticis comprobetur documentis. Anno vero 1749. ulterior adhuc normalis explanatoria Resolutio edita fuit ad resolvendas nonnullas in materia religionis rursum exortas quaestiones, cumprimis autem circa modum contra Apostatas procedendi, de orphanis et prolibus ex differentis religionis matrimonio prognatis in Fide Catholica educandis (de quo uberius suo loco), demum de eo, ne Ministris Acatholicis ultra mansionum suarum loca excurrere, et in parochorum catholicorum iura involare integrum sit.

e) **Reflexiones ex praecedenti historica delineatione status religiosi Protestantium deductae.** Historico conspectu negotii religionarii Protestantium relate ad dominantem in Regno Religionem Catholicam exhibito, nonnullas *reflexiones* subiungimus. I. Inprimis e praemissa historia perspicuum esse censemus, quaenam *principia* potissimum assumta fuerint ad decidendas quaestiones religionarias. *α*) Princeps obiectum erat semper, *ne per receptionem Augustanae ac Helveticae Confessionum, definitosque tolerantiae limites praeiudicium quodpiam Religioni R.Catholicae inferatur:* ac ideo haec clausula in ipso

fundamentali articulo primo Pacificationis Viennensis diserte expressa fuit. Dignum sane erat, ut ea Religio, quae ab ipsis Regni incunabulis ultra quatuor saecula integra semper conservata fuit, contra novas Confessiones, quae per factiosos Regni cives occasione scissionis Regnicolaris, ac subsequentium variorum bellorum, intestinorumque motuum introductae et propagatae, potentia demum illorum, qui privatum potius dominatum sub pallio tuendae religionariae libertatis extendere cupiebant, constabilitae fuere, protegatur, atque ad pristinum florem perducatur. Hinc factum est, ut vulnera quoque Orthodoxae Religioni per violentas bonorum ecclesiasticorum, templorum et parochiarum occupationes illata resanarentur, tolerantiaeque Protestantium ii ponerentur limites, qui iisdem nullam quidem iustam de illata conscientiis ipsorum vi querulandi ansam praebeant, alia tamen ex parte propagationem Orthodoxae Religionis omni ratione adiuvent. β) Ne tamen, dum in propagationem Orthodoxae Religionis omnia dirigebantur, parte ex altera receptis iam et toleratis Confessionibus gravior quaepiam iniuria inferatur, atque inde *pax et tranquillitas publica* turbetur: pro altero principio constituti systematis religionarii id assumtum fuit: *ut una Status Publici congrua semper habeatur ratio, et ad adiuncta temporum prudenter reflectatur.* E quo principio fluxit, quod non obstante contradictione Cleri et aliorum Catholicorum publica religionis exercitia Protestantibus etiam in bonis ad Clerum et Catholicos pertinentibus concessa fuerint; quodque pro ratione circumstantiarum limites tolerantiae etiam nonnihil extensi exstiterint, universim autem id cautum, ne quid constituatur, quod conscientias Acatholicorum quoquomodo affligere eosque ad amplectenda Sacra Catholica plane cogere possit. In id unice omni tempore collimatum fuit, ne favores Confessionibus Protestanticis attributi ultro quam oportet, extendantur, sicque quasi intercessione auctoritatis publicae eaedem in erroribus suis confirmentur; praeterea quaevis obstacula propagandae, inque avitum florem reducendae Religionis Catholicae removeantur; unde quoque evenit, quod contra Apostatas processus ordinati, excursiones ministrorum

extra mansionum loca prohibitae fuerint etc. quae tamen dispositiones nullam vim conscientiis Acatholicorum inferebant, neque ullam iustam querendi ansam praebere poterant. γ) Ut autem bina praemissa principia, propagatio quippe orthodoxae Religionis et iusti tolerantiae limites rite combinentur, neque unum alteri obstet, pro fundamentali principio systematis religionarii id adhuc assumtum fuit: *ut Regi Apostolico absolutum in dirigendis negotiis religionis arbitrium reservetur, eadem proinde a publicis disceptationibus et Comitiorum deliberationibus avocentur.* In quo quidem principio eo facilius coalitum fuit, quod Clerus quidem cum Catholicis odiosarum harum publicarum disceptationum alioquin iam pertesis, iure confiderit, fore, ut Rex Apostolicus qua orthodoxae Religionis Protector et universalis Ecclesiarum Patronus, pro munere suo nihil eorum, quae ad eius conservationem ac propagationem pertinebunt, praetermittat; parte tamen ab altera non minus sperari potuerit, Eundem Apostolicum Principem ex munere supremae Regiae Potestatis in conservationem etiam pacis publicae intentum futurum, proin cuncta ita moderaturum esse, ne vicissim per indiscretam agendi rationem pax turbetur. Assentiebantur huic constitutioni iam quidem in annis 1681. et 1687. insinuatae, sed anno primum 1715. plene definitae ipsi etiam Acatholici eo lubentius, quod numero alioquin multo inferiores, contra vota Catholicorum vix aliquid favoris se obtenturos sperare potuerint; sed nec poterat suprema haec in moderandis negotiis religiosis auctoritas Regiae Maiestatis per eos ullo modo in quaestionem vocari, cum ceteroquin ob concitatos sub praetextu quoque religionis perniciosos motus Regnique vastationes, et factas iteratas contradictiones beneficio antiquarum legum in favorem suum latarum se immoritos reddiderint. Ex hoc principio fluxit, quod in omnibus concessionibus auctoritate Regia intervenientibus, clausula illa semper adiecta fuerit: „adhuc, vel ex gratia et clementia Regia, et usque ulterius benignum beneplacitum;" quod porro nullae Instantiae communi nomine porrigendae admissae sint; vicissim vero quod Acatholici ultra legem anni 1681. explanationesque Leopoldinas

et Carolinas publicum religionis exercitium in iis quoque locis, in quibus id ordinarie haud competebat, obtinuerint. — 2. In specie tamquam peculiares *dominantis Religionis Catholicae praerogativae* erant: Juris Patronatus in bonis acatholicorum Regiae Majestati reservatio; matrimonialium causarum in foris spiritualibus Episcoporum pertractatio; festivitatum publicarum in Ecclesia Catholica inductarum per Acatholicos observatio; Juramenti per officiales Acatholicos in Civitatibus electos in facie Ecclesiae Catholicae praelegente Parocho Catholico depositio; Juramenti in forma decretali cum expressione nominum Deiparae et Sanctorum nuncupatio; in disparis religionis coniugiis (de quibus suo loco plura) reversalium literarum super catholica omnium prolium educatione exactio, orphanorum autem ab acatholicis progenitorum in religione dominante educatio, etiam severioribus mediis procuranda; in locis, in quibus Acatholici proprio ministro carent, iurisdictioni Parochi Catholici subiectio, etc. — 3. Stantibus etiam his Religionis dominantis praerogativis, Acatholici de nulla vi conscientiis ipsorum illata, aut de eo, quod forte per leges et resolutiones Regias plus iusto premantur, conqueri poterant; nam quoad iura personalia et realia nulla fere essentialis, quoad alia vero valde exigua ipsos inter et catholicos intercessit differentia: iisdem gaudebant iuribus, et in praerogativis per leges attributis pari cum catholicis modo conservabantur, privatum religionis exercitium cuilibet impune admissum, publicum vero ita regulatum fuit, ut in quolibet Comitatu de loco quopiam publici exercitii provideretur, ad amplectendam orthodoxam fidem, aut ceremonias religioni suae contrarias haud stringebantur; imo Resolutiones Regiae adeo benignae fuere, ut in pluribus punctis a rigore legum fundamentalium successive recessum sit.

His absolvitur id, quod de statu religioso Confessionum Protestanticarum in relatione ad dominantem Religionem Catholicam, item de principiis, quibus systema religionarium per Regimen Civile assumtum superstruebatur, eorumque motivis ac effectibus historice proponere, et quasi introductionis instar historiae matr. mixtorum praemittere

voluimus: tum ut leges ac resolutiones in causa mixtorum connubiorum Epocha I. perlatas intelligamus, tum ut statum ipsum religiosum Protestantium e genuinis fontibus cognoscamus, tum denique ut magnam illam rerum conversionem, quam status iste religiosus Protestantium sub *Josepho II.* subiit, magis clariusque perspiciamus. [897])

§. 226.

Initio inductae in Hungariam Reformationis pauca contrahebantur mixtae religionis matrimonia, ipsis Protestantibus ea severissime prohibentibus.

Primis post invectam in Regnum Hungariae ita dictam Reformationem annis praeter ea, quae per defectionem partis alterutrius coniugum a Fide orthodoxa ipso facto mixta evaserunt, admodum pauca contrahi poterant stricti nominis mixta matrimonia. Leges enim adversus haereticos severissimae [898]), usus Juris Canonici in foris spiritualibus lege etiam patria praescriptus [899]), perpetua inter orthodoxos et heterodoxos aemulatio, sed praeprimis Praesulum in conservanda Religione Catholica, tuendaque illius praerogativa vigilantia — omnia haec insigniter impedivere mixtae religionis coniugiorum conclusiones. Ipsi adeo Protestantes mixtas damnabant nuptias, easque haud aliter, quam cum certis cautelis admitti posse tum scriptis operibus in lucem editis docuerunt, tum statutis et legibus Synodalibus sanxerunt. Huiusmodi legem ex sic dictis Articulis sive *Canonibus Maio-*

897) Pro deducenda historia status religionarii Protestantium subsidii praecipui instar servivit mihi Propositio *Cancellariae Regiae Hung.* ad *Josephum II.* dd. 23. Martii. 1781. circa normales Resolutiones in materia religionis relate ad Acatholicos facta. *Tabul. R. de an. 1781. Nro. 3521.*

898) Art. 54: 1523. — 4: 1525. — 11: 1548. — 26: 1556. — 32: 1563. — 4: 1593. — 10: 1595.

899) Art. 22: 1553. — 27: 1563.

ribus anno 1577. publicatis exempli causa proferre licet. In ea *compares* tantum copulandi admittuntur, in eos autem, qui dispares illegitime copulaverint, depositionis et excommunicationis poena decernitur, tales demum, qui verbum Dei et religionis christianae fundamentum reiiciunt, copulari prohibentur [900]. In *Synodo* vero Komjathina, quam Helveticae Confessioni addicti anno 1626. celebrarunt, Canone 40. matrimonia mixta sub comminatione censurae canonicae prohibita erant: quo in Canone Reformati se *catholicos* vocitant, sub ethnicis autem ac damnatis haereticis Romano-Catholicos intelligunt, quos illorum temporum Scriptores Protestantici passim infideles, et idololatras compellarunt [901]. — Ministri quoque Protestantici in publicis suis sacris sermonibus, typis editis, item in libris ritualibus, vulgo Agendis, ab ineundo cum Catholicis coniugio suos potenter dehortabantur. [902]

Sicut autem matrimonia mixta universim damnabant Protestantes, ita ad casum, quo illa iniri contigit, iureiurando firmatas *Reversales* literas a parte catholica exigebant de non turbando coniuge protestantico in sua confessione, imo potius de propagatione cultus istius quaqua ratione

---

900) Mon. 261. pag. 427. — *De disciplina ecclesiastica in Ungarica natione Cis-Tibiscum; consilio et opera* Georgii Ponci, *Pastoris Eccles. Debrecinensis. Debrecini. 1577.*

901) Mon. 262. pag. 427. — *Canones Ecclesiastici in quinque classes distributi, quibus Ecclesiae Helv. Confessionem amplexae in Comitatibus Mosoniensi, Posoniensi etc. et finitimis praesidiis a superioribus reguntur; editi communi suffragio ministrorum Dei in Synodo Komjathina congregatorum. Olim recusi et ungarica translatione donati. Magno-Varadini. 1642.* Notandum: Canonem 40. initio pro Ecclesiis tantum Trans-Danubianis conditum, sed mox per Cis-Danubianas quoque et Tibiscanas acceptatum, imo et in Transsilvania in usum deductum fuisse, prout adnotatur in Msscripto Protocollo Superintendentiae Cis-Danubianae.

902) Signanter: Madarász Márton, *Maisner Boldizsár szent elmélkedésének' a' Vasárnapi Evangeliomokba magyar nyelven való megajándékozása. Löcsén. 1635. p. 122. 123.* — et alii, quos citat Beke in egregio suo opusculo: *A' vegyes házasságok' egyházi ünnepélyitése körüli fenforgó kérdések megfejtve. Pesten. 1841. p. 51. ss.*

promovenda: cuiusmodi Reversalium exemplum ex anno 1604. in medium adducimus. In illis *Stephanus Vesselény* Catholicus *Catharinam Dersffy de Zerdahely* Augustanae Confessioni addictam in matrimonium ducere volens, coram *Georgio Thurzó* Regni Palatino praeter alias conditiones literis Transactionalibus insertas, ad has quoque *sub fidei*, *honoris et humanitatis amissione* et *sub iuramento* se accessurum spondere debuit: „quod sponsam suam Evangelicam in confessione sua nullo unquam tempore impediturus, sed potius id effecturus sit, ut Praedicator Evangelicus continuo adsit; et ad bona etiam, post obitum patris ad sponsam devolvenda, Evangelici Concionatores constituendi sint; casum vero in contrarium, aut si sponsa Religionem Catholicam amplecteretur, bona aliis consangvineis Confessioni Augustanae addictis cedere debeant." [903])

§. 227.

Sub finem Sec. XVII-i de assistentia matr. mixtis per Parochos Catholicos praestanda quaestio mota.

Si de sententia, quae circa matrimonia mixta in Hungaria primis post Reformationem seculis viguerit, quaeratur: ob defectum monumentorum, omni licet studio per nos indagatorum, certi nihil proferri potest. Sed et paucissima, ut praemisimus, illis temporibus contrahebantur mixtae religionis matrimonia non tantum propter severam ipsorum Protestantium prohibitionem, superiore §. uberius enarratam: sed praeprimis ob insignem vigilantiam, per Praesules Regni in id constauter adhibitam, ne parte ex una per familiarem iustoque intimiorem cum haereticis in divinis conversationem in fideli populo sanctionum canonicanum extenuetur memoria, Religionisque Catholicae studium tepescat, parte vero ex altera praerogativae eiusdem Orthodoxae Religionis in legibus patriis fundatae diminuantur. Vigilantiae

903) **Mon.** 263. 428. — Originale in *Diplomatario Archivi Primatialis.*

huius in tuenda Catholicae Religionis praerogativa insigne relucet documentum in facto Archiepiscopi Strigoniensis Cardinalis a Forgách, qui nomine Cleri adversus libertates per *Pacificationem Viennensem* Protestantibus concessas solenniter contradixit [904]). — Circa exitum tamen Seculi XVII. nimirum anno 1696. deprehendimus opinionem Cardinali a Kollonich AEppo Strigoniensi super quaestione: „an Praelatus possit et debeat inhibere, ne parochi assistant matrimoniis inter catholicos ex una, et acatholicos ex alia parte eum hac conditione initis, ut una pars prolium catholice, altera acatholice educetur?“ praestitam: e qua apparet, tum quod matr. mixta iam tunc frequentiora evaserint, tum quod eadem cum conditione de educatione religionaria prolium iuxta sexum dividenda iniri consueuerint. In opinione igitur hac clare diserteque enunciatur: coniugia cum memorata conditione inita prorsus impia et nullo casu licita, pactaque talia impia et irrita fore, cum sint contra ius ecclesiasticum non minus quam divinum, unde nec parochum catholicum posse illis licite adsistere. In eadem opinione id quoque asseritur: matrimonia coram ministro evangelico contracta ex defectu assistentiae proprii parochi invalida, ministrumque copulare praesumentem poena dignum fore. [905])

§. 228.

Seculi XVIII-i initio matr. mixta frequentia. Provisiones de educatione prolium semper in Fide Catholica instituenda.

Initio Seculi XVIII. frequentia erant mixtae religionis matrimonia, et defectiones a Fide Catholica invaluerant. Nam iam a. 1703. ad Civitatem *Schemnicziensem* Regia Commissio exmitti debuit, quae cetera inter de mediis praecavendi apostasiam a Fide Catholica opportune dispo-

904) cf. Péterffy, *Sacra Concilia Ecclesiae R. Catholicae in R. Hungariae celebrata. P. II. Posonii. 1742. p. 191. ss.*

905) Mon. 264. pag. 429. — *Tabul. Primat. Vet. No. 1917.*

neret, proliumque e mixtis matrimoniis progenitarum educationem catholicam procuraret. Utrumque praestitit Commissio, et apostatas quidem puniendos, disparis vero coniugii proles in Fide Catholica educandas apud Magistratum Civicum, et Judicium Montanum disposuit. [906])

Sub *Josepho I.* Evangelici audaciores effecti, mox ad principium Diaetae a. 1708. in altero suorum Postulatorum ac Gravaminum: „irrestrictam libertatem, proles ex diversae religionis matrimoniis pro parentum arbitrio baptisare faciendi ac educandi, exclusa Catholicorum Plebanorum in his causis in personas evangelicas abusive sibi vindicata potestate" petierunt: sed Comitiis interruptis nihil conclusum.

§. 229.

Primatis Regni Cardinalis Ducis Saxoniae decretum de personis disparis religionis haud aliter, quam praestitis cautionibus, in matrimonium copulandis.

Carolo VI. Imperatore sceptrum Regni Hungariae tenente, *Primatum Regni* in manutenenda genuina Ecclesiae Catholicae quoad coniugia mixta doctrina et disciplina peculiariter emicuit sollicitudo. Primum commemeramus Cardinalem Christianum Augustum a Saxonia: qui in relatione sua de peracta Archidioeceseos visitatione canonica ad Thronum Regium dd. 15. Febr. 1714. praestita, excessus Evangelicorum durante tumultu Rákócziano in oppressionem Religionis Catholicae patratos, eorumque funesta consectaria uberius remonstrando, cetera inter monet: ex aliquo tempore multas proles catholicas animae periculum subiisse, quod mortuo parente catholico coniux seu parens alter acatholicus illas in confessione evangelica educari fecerit, vel plane e ditionibus ad coronam Regni spectantibus ad exteras oras eduxerit; petit itaque sibi altissimo nomine intimari, quid intuitu talium disparis religionis coniugiorum decernendum sit, anve utriusque sexus proles sem-

906) Mon. 265. pag. 430. — *Tab. Primat. Vet. No. 1863.*

per in Religione Catholica educandae [907])? Sed quod praecipuum est: laudatus Cardinalis-Primas anno mox sequenti quippe 1715. Decretum edidit: *de non copulandis personis mixtae religionis, nisi rationabilis et gravis causa intervenerit, et tunc etiam erga sufficientem cautionem scripto dandam, quod pars haeretica catholicam in religione catholica non turbabit, et proles omnes in Fide Catholica educari permittet.* Cuiusmodi Decretum dum *Consistorium Strigoniense* dd. 28. Jul. 1715. et dd. 13. Sept. 1716. pro stricta observantia Sacris Curionibus intimasset, una disposuit: ut pars acatholica *sub certo vinculo* se obliget, quod partem catholicam in Fide nequaquam turbatura, et proles utriusque sexus in eadem Fide Catholica educari permissura sit. [908]) Qualenam autem vinculum eiusmodi esse consueuerit, docent Reversales ex anno 1716. instar exempli in Monumentis adductae [909]): iuxta quas Sponsus Aug. Confessioni addictus sub vinculo 300 flor. ad praeallatas conditiones implendas se obstrinxerat.

§. 230

Primas Emericus C. Eszterházy vestigiis Antecessoris insistit: peculiaris zelus Parochorum Districtus Montani in Scepusio quoad disciplinam Ecclesiae manutenendam.

Primas Emericus C. Eszterházy vestigiis Antecessoris sui insistendo, in Punctis seu *Commissis Visitationalibus*, quae suis Vicariis item Archidiaconis dare solebat, peculiarem circa mixta matrimonia qualiter ineunda instructionem suppeditare semper necessarium duxit. Id constat nominatim de Commissis *Praeposito Scepusiensi Joanni Pelcz* die 14. Sept. 1730. datis: in quibus relate ad matr.

907) Mon. 266. pag. 430. — *Tab. Reg. No.* $\frac{422}{1714}$.

908) Mon. 267. et 268. pag 432. 433. — *Liber Parochiae Neosoliensis a Rectoribus et Parochis e Soc. Jesu conscriptus sub titulo: Observationes circa rem Religionis in Hungaria. Part. 2. cap. 4. p. 10. 62. No. 112.*

909) Mon. 269. pag. 433. — *Tabul. Vicar. Tyrnaviense.*

mixta sequens continetur instructio: matrimonia talia, quantum fieri potest, suavi modalitate impedienda, si vero impediri nequeant, per catholicam omnium prolium educationem et partis fidelis in fide securam perseverantiam circumscribenda esse, cautione a sponsis scriptotenus accepta. [910]) — Singulariter commemorandi hoc loco veniunt Parochi Decanatus Montani in Scepusio: qui exemplo nonnullorum Parochorum *Archidiaconatus Gömöriensis* incitati, statutum inter se condiderunt: *de matrimoniis mixtae religionis numquam copulandis;* eique tam stricte insistebant, ut, cum Praepositus ipsorum una alterave vice per modum dispensationis matrimonia eiusmodi copulari iuberet, ex Conventu suo 17. Martii 1736. *Szomolnokini* celebrato Primatem pro manutenendo statuto suo interpellaverint [911]). Zelum Parochorum istorum in impediendis mixtae religionis coniugiis insigniter adiuvit Decretum *Principis Theodori Lubomirszky* Capitanei Scepusiensis circa Protestantes ad munia Magistratualia qualiter admittendos 9. Januar. 1728. editum: in quo de mixtis connubiis disponitur: ut contrahentes authentica assecuratione coram parocho se obstringant, non in alia, quam vera R. Catholica fide prolem educandam fore. [912])

---

910) Instructioni huic fideliter insistens Visitator Joannes Pelcz, in omni parochia, ubi diversae religionis erant incolae, adnotavit: *conformem ad hoc punctum Parocho datam ab se esse inviationem.* Super hoc testimonium perhibent *Acta Visitationalia Archivi Scepusiensis.*

911) Mon. 270. pag. 434. — *Tab. Primat. Vet. No. 1925.* Quid ad literas Parochorum Montanorum Primas rescripserit: nullibi quidem, excusso licet quam diligentissime Tabulario Primatiali, invenire potuimus; deteximus tamen eiusdem Rescriptum in particulari casu mixti cuiusdam matrimonii dd. 10. Octobr. 1737. huius tenoris: „Libentissime annuerem, nisi id ipsum denegandi necessitatem mihi imponeret constitutio dioecesana, per plures iam annos felici successu, ac plurimorum ad Fidem salvificam accessione sancte observata, quam vi muneris mei pastoralis ulterius etiam suo in vigore conservare cogor."

912) Mon. 271. pag. 435. — *Tabul. Scep.* in quo tamen *copia* duntaxat ex originali Rescripto Principis desumta exstat.

§. 231.

In Comitiis Regni sub Carolo VI. celebratis varia Evangelici proponebant circa rem mart. mixtorum postulata: sed Resolutionem primum post Comitia, anno 1731. Rex edidit, terminis valde generalibus conceptam.

Quid Primates, eorumque exemplo ceteri Praesules, in merito matr. mixtorum sub imperio Caroli VI. egerint, in praecedentibus §§. vidimus. Superest, ut ipsius Regis sententiam exquiramus. Hanc percipiemus, si prius acta Comitiorum sub Carolo celebratorum lustraverimus. Prout in Comitiis anni 1708. [913]) ita in Diaetis subseque, annis quippe 1715. et 1723. celebratis Evangelici in suis Memorialibus ad Status Regni identidem dimissis pro se irrestrictam libertatem tum ineundi matrimonia mixta, tum proles educandi, postulabant, declarantes: non tantum de legali professione liberi religionis exercitii iisdem ubique in Regno concessi, verum et de iure naturali hoc esse, ut in casu matrimonii disparis cultus ab arbitrio contrahentium tam id, cuius religionis ministri opera in copulatione uti, quam id, in quanam religione proles suas educari velint, dependeat. E contra Status et Ordines Catholici in pluribus punctis gravabant Evangelicos, inprimis autem, quod in coniugiis disparis religionis iniquas et praeiudiciosas conditiones de educatione religionaria prolium adiiciant, et plurimas ex imbecilli sexu foemines personas etiam contra datam tempore obtentae *dispensationis* [914]) assecurationem a Fide Catholica abstrahant suique sequaces efficiant, demum non semel Deo et Religioni Catholicae datam ope publicae professionis iuramento quoque firmatae fidem impune violent. — Ad postulata Evangelicorum et gravamina Catholicorum uberius disquirenda et aequitati ac iustitiae conformiter decidenda per Articulum XXX. anni 1715. Commissio, e sacro profanoque ordi-

913) cf. §. 228. in fine.

914) Vel hinc apparet, initio in Hungaria ad ineundum in facie Ecclesiae mixtum matrimonium dispensationem Ordinariatus necessariam fuisse.

ne virorum primae auctoritatis ac doctrinae conflata fuit. Negotium commissum executa est isthaec Articularis Deputatio ope relationis dd. 21. Jun. 1722. Regiae Majestati substratae: in qua de merito matr. mixtorum censebat, *ut copulatio quidem semper per Parochum Catholicum peragatur, proles autem in Religione Catholica velut avita et haereditaria in Regno isto educentur.* [915]) Post relationem Commissionis plures adhuc effluxerunt anni, donec Caesar Resolutionem ederet. In Conferentia enim Ministeriali, cui, ut superius diximus [916]), Acta Commissionis discutienda Carolus commisit, diu de eo deliberatum fuit: quidnam quoad matr. mixta decernendum foret? Initio consultius esse existimabatur, matrimonia disparis religionis ob multa et gravia incommoda ex illis promanantia, simpliciter interdicere; sed cum id in Hungaria, praesertim inter homines inferioris sortis, difficulter in effectum deduci posse praevideretur, id projectatum est: ut coniugia illa duntaxat sub hac conditione admittantur, si coram Parocho Catholico propter eminentiam Religionis Catholicae inita fuerint, et praevie caveatur, prolem exinde nascituram catholice educandam fore, eo autem non succedente pars catholica semper pleno iure gaudeat, sui sexus proles in Fide Catholica educandi [917]). Huic projecto Ministerialis Conferentiae Rex Carolus principio accedere videbatur, uti *primus conceptus* Resolutionis dd. 17. Martii 1731. editae ostendit [918]); at serius visum fuit, in Resolutione Regia nonnisi *terminis generalibus* id determinandum venire, *ut matrimonia disparis religionis praecise coram Parochis Catholicis ineantur* [919]), provisionem vero quoad *educationem religionariam prolium* Dioecesanorum et Parochorum curae ita concredendam esse, ut, si de catholica omnium prolium educatione inter con-

915) Mon. 272. pag. 436.

916) cf. §. 225. lit. d.

917) cf. Joan. Ribini *memorabilia Ecclesiae August. Confess. in Hungaria a Leopoldo M. usque ad Carolum VI. Posonii.* **1789.** *p.* **239.** *ss.*

918) Mon. 273[a]. pag. 437.

919) Mon. 273[b]. pag. 437.

trahentes transigi haud posset, saltem proles sexus partis catholicae in Fide Cath. educentur. *Prima* itaque est haec Resolutio Regia: quae circa matrimonia mixta praecise coram Parocho Catholico ineunda a Regia Auctoritate in Hungaria emanavit.

§. 232.

Praxis, quae post Resolutionem Carolinam invaluit. In principe Regni Dioecesi, Strigoniensi, principium catholicum insigniter manutentum.

Quamquam Resolutio Carolina a contrahentibus mixtae religionis personis literas reversales de educatione prolium utriusque sexus in Fide Catholica exigi haud disposuerit; Praesules tamen Regni matr. mixtis assistentiam Parochorum Catholicorum tunc tantum praestari admittebant, si conditionibus Ecclesiae, signanter de non pervertenda parte catholica, et educandis in Religione Catholica prolibus, sponsi praevie satisfecissent, scriptamque desuper cautionem edidissent; ac proinde partem illam Resolutionis Regiae pro privata notitia et directione Praesulibus intimatam, ut nimirum non succedente tractatu inter sponsos de universa sobole catholice educanda, adminus sexus partis catholicae in Rel. Catholica instituantur, iidem Praesules tuta conscientia in effectum deducere haud potuerant, nec eandem reipsa in effectum deduxerunt. Saltem de principe Regni Dioecesi, quippe *Strigoniensi*, constat: illic non obstante Resolutione Carolina praxim principiis Ecclesiae Catholicae prorsus conformem viguisse, quod inprimis ex literis valde memorabilibus Consistorii ad Primatem datis, manifestum redditur: in quibus orthodoxa Ecclesiae doctrina strenue contra obiectiones defenditur, et praesertim id propugnatur: promiscuam matr. mixtis assistendi consuetudinem sacrilegam esse et cum scandalo connexam. Juvat argumentum literarum harum uberius proponere. a) Declarat Consistorium: Resolutionis Carolinae, praesentiam Parochi Catholici ad ineunda matr. mixta requirentis, sensum non esse, ut Parochi iisdem coniugiis etiam tunc, dum certissimum adest pro parte catholica perversionis periculum, aut dum de prolibus pro diversitate

sexus in religione utriusque parentum educandis pactum initur, assistentiam praebere sint obligati: cum matr. huiusmodi in istis casibus per se tum lege naturali tum divina prohibita, nec Principis permissione licita reddi aut plane quacunque ex utilitate vel necessitate praecipi possint; in praeadductis itaque casibus assistentiam Parochi Catholici connubiis mixtis denegandam esse. b) Probat idem Consistorium: assistentiam matr. mixtis per Parochos Cath. tunc solum praeberi posse, si examinatis praevie quibusvis adjunctis, parteque catholica debite catechisata, nullum perversionis periculum pro ea adesse compererint, et a parte haeretica reversales de non pervertenda parte catholica, deque prolibus utriusque sexus in fide Catholica educandis obtinuerint, facultatemque insuper seu dispensationem ab Officio Vicariali acceperint. c) Profitetur Consistorium: ad casum certi perversionis periculi, aut metus educandarum in haeresi prolium, vel non praestitarum reversalium assistentiam Parochi Cath. denegari debere: neque per hoc in Resolutionem Regiam impingi, cum nec supponere liceat, Principem in re ministerii sacri rationem et libertatem conscientiae tam prope contingente mandatum cogens parochos edere voluisse. [920])

§. 233.

Sub regimine Mariae Theresiae laetissima pro principio catholico in obiecto matr. mixtorum epocha. In Dioecesibus Strigoniensi et Weszprimiensi statuta contra promiscuam assistentiam, in Scepusio iuramentum de prolium educatione catholica exigi iussum.

Sub regimine Mariae Theresiae glorioso ac diuturno principia catholica de matr. mixtis Praesules Regni

---

920) Mon. 274. pag. 437. — Ex Tabulario D. *Agriensis* constat: plurimas reversales de prolibus utriusque sexus catholice educandis, nullas vero, quae divisionem earumdem secundum sexum seu ex respectu potestatis patriae sive aliam ob causam statuissent, datas fuisse: idque de aliis etiam Dioecesibus Regni indubie statuendum est.

egregie tuebantur, in ipsa regnante Principe insigne patrocinium nacti. Celebramus primum meritis laudibus zelum Vicariorum Strigoniensium, qui frequentibus literis Circularibus SS. Curiones ad doctrinam et disciplinam Ecclesiae Catholicae attentos reddebant. Ita a. 1743. iisdem Circularibus literis, quibus observantia Bullae Benedicti XIV. PP. de doctrina catechetica fidelibus juxta sensum libelli Card. Bellarmini proponenda, Curatis commendabatur, ipsi una eo inviati sunt: *ne matrimoniis mixtis, non obstante quoque decreto Regio* (Caroli VI.), *aliter assistant, quam pars haeretica eiurato errore fidem catholicam amplectatur* [921]). Igitur instar conditionis sine qua non desiderabat Vicariatus Strigoniensis, ut pars acatholica haeresim eiuret et ad sinum S. Matris Ecclesiae redeat! — In Dioecesi autem Weszprimiensi *Martinus Biró* sub exordium Vicarialis sui muneris, quippe dd. 1. Dec. 1744. in forma Statuti *coniugia mixta generatim interdixit*, peculiarique curae habuit, ut proles ex connubiis eousque contractis genitae ad gremium Ecclesiae, unde innocentes exciderunt, reducantur. — In Scepusio demum *Andreas de Moszenne Moszenszky*, Capitaneatus Administrator, die 20. Junii 1747. ad Decretum *Theodori Lubomirszky* provocando [922]) constituit: *ut proles e mixto matrimonio in fide orthodoxa educentur; Maria Josepha* autem *Poloniae Regina* ad querelas Protestantium in XIII. Oppidis. dd. 2. Febr. 1748. rescribens, ab iisdem *verum et obligatorium iuramentum de prolibus mixti matrimonii in Rel. Catholica educandis* exegit. [923])

---

921) Mon. 275. pag. 445. — *Tab. Primat. Vet. No. 1075.* et: *Liber Par: Neosoliensis* supra *nota 908.* citatus, *Part. 2. No. XV. pag. 7. item: Archivum Parochiae Dubova* (in Dioec. Neosol) *Fascic. D. No. XIII.*

922) cf. §. 230.

923) Ex *Tabul. Scepusiensi.*

§. 234.

Resolutio Regia ex an. 1749. de reversalibus super educatione catholica prolium a Sponsis diversae religionis per Parochos bona modalitate exigendis.

Religiosissima Regina intelligendo, quod *Apostatarum* seu deficientium a Fide Catholica numerus in Comitatibus non tantum non minuatur, sed in dies augeatur: dd. 12. Jul. 1748. in mandatis dedit, ut Consilium Regium, audita etiam Commissione in re Religionis ordinata, generalem quampiam ideam elaboret, iuxta quam crimen apostasiae praecaveri possit. *Commissio Religionaria*, causam praecipuam apostasiae in multiplicatis disparis religionis coniugiis, et praesertim in contractibus illis, per quos pars coniugum catholica studio complacendi parti alteri ad acatholicam prolium educationem minime impediendam se obligat, aut etiam prorsus indifferentem se exhibet, reponens, instar remedii id proposuit: *ut aut simpliciter inhibeantur matr. mixta, aut nonnisi sub ea conditione admittantur, quod omnes proles catholice educandae, contractus autem in contrarium omnes pro irritis ac nullis habendi sint* [924]). Opinione Commissionis per Consilium Regium ad pertractationem *Cancellariae Regiae* perlata, haec votum Commissionis in eo, ut matr. mixta generaliter prohibeantur, nequaquam probavit quidem; at ea parte plene secundavit, ut nonnisi sub conditione educandarum in Fide Catholica omnium prolium admittantur, et contractus in contrarium interdicantur [925]). Verum *Conferentia Ministerialis*, cui negotium isthoc discutiendum Regina Apostolica commiserat, alterius fuit opinionis: quippe ex metu, ne Principes Acatholici in suis ditionibus in detrimentum Catholicorum quidquam constituant, *ab exigendis cautionibus seu reversalibus praescindi, et sicut hactenus, ita in futurum quoque Dioecesanorum, Parochorumque providentiae meritum hoc concredi*, projectavit [926]). Votis ac opi-

---

924) Mon. 276. pag. 446.
925) Mon. 277. pag. 446.
926) Mon. 278. pag. 447.

nionibus Dicasteriorum expensis, Maria Theresia ope Resolutionis de 2. Januar. 1749. *Dioecesanis* quidem et *Parochis* pro stricta observantia intimari iussit: *ut non coactive sed bono modo Parentes eo disponere satagant*, *quo proles e mixtis matr. ritu catholico educentur*, *desuperque Reversales porrigantur*; *Magistratibus* autem: ut prolium *orphanarum* in Fide Catholica educationi singulariter invigilent; *parentibus* denique et ludirectoribus sub comminatione poenae praecepit: ne proles tales ad scholas acatholicorum mittere praesumant. [927])

§. 235.

Episcopus Agriensis Franciscus C. Barkóczy statutum de Reversalibus exigendis a. 1749. condit: Primas Nicolaus C. Csáky principium catholicum cum in Commissis Visitationis canonicae, tum in Repraesentatione ad Thronum Regium a. 1753. et 1754. insigniter sustentat.

Resolutione Regia in favorem principii catholici a. 1749. edita animati Praesules Regni, ea, quae in ordine ad sustinendam genuinam intentionem ac mentem Ecclesiae quoad mixtas nuptias vi muneris sui agere debebant, multo liberius exequi contenderunt. Quo sub obtutu duos cumprimis magnae memoriae Antistites laudamus: Comitem quippe Franciscum Barkóczy, Agriensium, et Nicolaum C. Csáky Strigoniensium Praesulem ac Primatem. *Ille* dd. 17. Martii 1749. *Statutum* edidit: *de matr. mixtis haud secus quam praestita sufficienti cautione sub vinculo pecuniario de universa prole catholice educanda*, *admittendis* [928]); tardius vero, nimirum dd. 22. April. 1749. in sensu Resolutionis Regiae nonnisi *penes securas Reversales de prolibus utriusque sexus in Rel. Catholica educandis* eadem connubia iniri indulsit [929]). *Hic* autem a) in *Commissis Visitationis Canonicae* pro *Archidiaconatu Gömöriensi* a. 1753.

927) Mon. 279. pag. 448
928) Mon. 280. pag. 448.
929) Mon. 281. pag. 449.

editis sequentem Curatis dedit instructionem: ut ipsi occasione mixtae religionis matrimoniorum primo quidem partem contrahere volentium acatholicam ad conversionem excitent, tum effectu haud secuto partem catholicam ab ineundo matrimonio tali deterreant; demum nec hoc succedente, totum negotium ad Officium Vicariale referant, indeque semper congruam praestolentur inviationem; indultu vero Officii Vicarialis ad ineundum matrimonium obtento peculiarem curam prolibus ex illo nascituris impendant, talesve utprimum confessionis capaces evaserint, ad hanc peragendam adurgeant [930]). b) In *Repraesentatione* sua *ad Thronum Regium* ex incidenti querelae super impedito mixto matrimonio *B. Simonis Lad. Révay*, dd. 16. Martii 1754. praestita, magna cum energia primum exposuit, quam tristia ex mixtis matrimoniis, non obstantibus Regiis Decretis, dimanent consectaria tum respectu salutis partis coniugum catholicae, tum prolium; quam strenue proin Episcopis invigilandum, agendumve sit, ne matrimonia talia ineantur; dein declarat, matrimonium in quaestionem adductum a se mox admittendum fore, quamprimum de educandis in Fide Orthodoxa utriusque sexus prolibus scripta cautio praestita fuerit [931]). c) Ad quaestionem de copulandis personis diversae religionis in sensu Resolutionis Regiae

930) Mon. 282. pag. 449. — Desumtum ex *Tab. Rosnav. Visitationes Ecclesiarum Parochialium Archid. Gömöriensis per Celsiss. etc. peractae mensibus Augusto et Septembri. 1753.* Similis instructio data fuit tam *Josepho C. Batthiány* Archidiacono Parochias Com. *Zoliensis* a. 1754. visitanti: velut testatum reddit Liber *nota 908.* citatus, *Part. 2. cap. 19. No. 132 — 136.* et *Matrica Eccl. Szasziensis* de an. 1754. p. XV. (in Dioec. Neosol.); quam *Alexandro Máriássy* Eppo Suffr. Scepusiensi pro visitandis Ecclesiis Terrae *Scepusiensis*, prout constat ex Actis *Tabul. Scepusiensis*, iuxta quae antelata Commissa Visitationalia in omnibus Decretis Visit. Canonicae Csákyanis continentur: in specie autem in decretis ADiac. *Liptoviensis* ubique occurrit punctum sequens: „Matrimonia Catholicorum cum acatholicis nullo modo privata auctoritate admittet, sed siquidem suavi modalitate impedire nequiverit, de casu in casum ad Officium Vicariale recurret."

931) Mon. 283. pag. 450.

per *Vicarium Scepusiensem Alexandrum Máriássy* positam, dd. 27. Jun. 1754. rescribens: hanc ei dedit instructionem, ut personae tales prius ad dandas ex se reversales de educandis in fide salvifica utriusque sexus prolibus disponantur, et tum ad earum copulationem procedatur [932]). d) Demum laudabile Parochorum *Districtus Montani in Scepusio* statutum de personis mixtae religionis nequaquam copulandis [933]), adprobavit et confirmavit. [934])

§. 236.

Reversales de educatione catholica prolium etiam a parte Graeco-non-unito Ritui addicta in Dioecesi Quinque-Ecclesiensi sub regimine M. Theresiae exigebantur.

Ex Actis Tabularii Dioecesani *Quinque-Ecclesiensis* constat: non solum a parte Protestantica, sed etiam *Graeco-Non-Unito Ritui* addicta, dum talis ad vota matrimonialia cum parte catholica transire desideravit, literas reversales super educatione catholica prolium utriusque sexus depostas fuisse. Exempli instar adferimus casum anno 1754. illic interventum: dum videlicet erga libellum supplicem sponsi Graeci-Non-Uniti, virginem catholicam, iam alias clandestine desponsatam, in vitae sociam sibi dari petentis, ea edita fuit ex parte Consistorii resolutio: ut praevie reversales super eo porrigat, „quod eam absque vexa et molestia in Ritu Romano imperturbate servare, neque extra Regnum unquam educere, et intra, si domicilium vel habitationem mutaverit, alio non, quam ubi Ecclesia R.Catholica cum Parocho fuerit, habitationem figere, omnes denique proles utriusque sexus ex Dei beneficio nascituras in ritu Romano per matrem educari velit." [935])

---

932) Mon. 284. pag. 451.

933) cf. §. 230.

934) *Tabul. Scepusiense.*

935) *Protoc. Consist. Quinqueeccles. de 10. Decembr. 1754.*

§. 237.

Resolutiones ulteriores M. Theresiae ex annis 1754, et 1756. Zelus Episcopi Weszprimiensis Martini Biró.

Inter Resolutiones Regias, quas M. Theresia in objecto disparis religionis matrimoniorum pro favore dominantis Religionis Catholicae edidit, iure numeramus eam, ope cuius, dd. 18. Martii 1754. tam *Comitatui Thuróczienst*, quam *Vicario Strigoniensi* intimatae, singulare *iuramentum de non deserenda religione Augustana* in Civitate *Cremnicziensi* per Augustanae Confessioni addictos emitti solitum interdixit. — Novum porro zeli sui in promovenda orthodoxa fide documentum dedit M. Theresia per Resolutionem dd. 30. Aug. 1756. circa proles a parentibus tum catholicis tum mixtae religionis progenitas, in haeresim prolapsas vel in indifferentismo constitutas editam et non tantum Dioecesanis, verum etiam Jurisdictionibus Civilibus intimatam. In ea nimirum piissima Imperatrix et Regina a) contra parentes catholicos, qui proles suas haud debite in Fide Catholica educant, actionem fiscalem erigi; b) parentes disparis cultus, qui reversales dederunt, ad has implendas efficacibus mediis stringi; c) Magistratuales personas ad operam ac assistentiam suam Dioecesanis et Parochis in procuranda catholica prolium istiusmodi educatione praestandam admoneri iussit [936]). — Ex tenore Regiae huius Resolutionis occasionem sumsit celebris Weszprimiensium Praesul Martinus Biró, per literam encyclicam dd. 23. Nov. 1756. tum antiquiora sua statuta adversus matr. mixta anno 1744. edita [937]), tum doctrinam Ecclesiae Catholicae de hoc argumento genuinam, singulari quoque libello a se propositam [938]), Sacris Curionibus in memoriam revocandi, opportunamque instructionem impertiendi. [939])

---

936) Mon. 285. pag. 452.

937) cf. §. 233.

938) *Angyali társaságnak szövetsége, vagyis az ájtatos keresztény lelkeknek segedelmekre és boldogitásokra figyelmező Sz. Háromság dicsérete. Győrött.* **1756.** *Cap.* **12.** *p.* **426.** *et* **437 — 443.**

939) Mon. 286. pag. 454.

§. 238.

Resolutiones anni 1761. — Primatis Francisci e Com. Barkóczy propositio de prohibendis mixtis connubiis.

Anno 1761. dd. 29. Januar. denuo moneri praecepit Apostolica Regina potissimum Sacros Curiones ad debite instruendum in orthodoxae Fidei capitibus populum, et sponsos diversae religionis eo disponendos, ut ante suam copulationem literas reversales super catholica prolium utriusque sexus educatione extradent [940]. Resolutione autem, quae die 31. Aug. 1761. emanavit, id in favorem Religionis Catholicae decisum fuit: quod tenor Resolutionis Carolinae anni 1731. quoad causas matrimoniales Acatholicorum iuxta ipsorum religionis principia diiudicandas, tunc solum applicari possit, si uterque coniux sit acatholicus, non autem et tunc, dum pars altera est catholica. [941] —

Cum non obstantibus repetitis Resolutionibus Regiis et connubia mixta de die in diem multiplicarentur, et proles ex iis natae partim in damnabili indifferentismo, partim in haeresi educarentur: Primas Franciscus C. Barkóczy in Repraesentatione ad Thronum Regium dd. 20. April. 1763. quoad negotium religionarium dimissa inter media promovendi incrementum Orthodoxae Religionis puncto XV. id quoque proposuit: *ut matrimonia sponsorum mixtae religionis prohibeantur*, praecipue si sponsa sit catholica, cum huic velut imbecilliori, eiusque prolibus plerumque periculum perversionis immineat.

§. 239.

Celebris Resolutio Regia anni 1768. de matrimoniis mixtis nonnisi cum praevie extradatis Reversalibus super catholica prolium educatione ineundis.

a) Occasio huius Resolutionis. Epocham in legislatione civili quoad matrimonia disparis religionis me-

940) Mon. 287. pag. 457.
941) Mon. 288. pag. 459.

rito constituit Resolutio Mariae Theresiae, quam anno 1768. de *Reversalibus* edidit, postquam praevie totam de matrimoniis mixtis quaestionem uberiori discussioni tum Dicasteriorum Politicorum, tum nonnullorum Dioecesanorum commisisset, horumque vota et opiniones excepisset. Occasionem quaestioni huic uberius discutiendae proximam suppeditavit *Repraesentatio Consilii Regii Locumtenentialis*, et *Cancellariae R. Aulicae* circa apostatas et parentes catholicos in *Processu Kis-Honthensi* proles suas partim in Acatholicismo, partim in Indifferentismo educantes die 13. Februar. 1767. Regiae Maiestati pro medela praestita: in cuius sequelam Apostolica Regina per *Resolutionem dd. 7. Martii 1767.* suo nomine Ordinariis quidem inculcari iussit, ut parentibus catholicis, qui liberos suos in alia quam Catholica Religione educant, omni studio invigilent, omniaque media spiritualia in instruendis cum parentibus tum liberis eiusmodi adhibeant; Cancellariae suae vero id negotii dedit, ut referat: an lex quaedam in Regno Hungariae exstet, quae proles e connubiis mixtis progenitas in Fide Catholica educandas disponat, aut in defectu legis qualisnam usus invaluerit, et observetur, quidque ultro de talium prolium religionaria educatione constituendum sit? [942])

b) **Opinio et vota Dicasteriorum Politicorum.** Ad quaestionem memorata Resolutione Regia positam, respondit dd. 11. Maii 1767. **Cancellaria Reg. Aulica**: legem quidem nullam exstare, sed compluribus Resolutionibus Regiis cautum esse, ut parentes mixtae religionis per Curatores animarum bona modalitate ad dandas super catholica prolium suarum utriusque sexus educatione reversales disponantur. Simul opinata est eadem Regia Cancellaria: optandum equidem fore, ut nulla inirentur mixta matrimonia, aut saltem nulla sine reversalibus; e ratione attamen Publici non videri consultum, ut seu penitus interdicantur talia coniugia, seu sponsi ad reversales stringantur, verum satius esse, totam rem hanc in moderno suo situ relinquere, et Parochorum ac Dioecesanorum pro-

942) Mon. 289. pag. 460.

videntiae committere, ut placidis modis et discrete in negotio hocce procedant [943]). — Reflexe ad hanc Cancellariae opinionem, et ex incidenti alterius propositionis eiusdem Regiae Cancellariae de excessibus Ministri Tiszolczensis. in Processu Kis-Honthensi dd. 17. Junii 1767. exhibitae, iussit Regia Maiestas a Commissione Religionaria informationem super eo deposci: qua ratione malo Indifferentismi in dies serpenti obviari, et an non res eo dirigi possit, *ut proles ex parentibus diversae religionis genitae, postquam annos discretionis attigerint, unam vel alteram religionem profiteri teneantur* [944]) ? Commissio Religionaria mense Augusto 1767 votum suum in his depromsit: quod, quum praecipua abominabilis Indifferentismi causa in coniugia disparis religionis reiici debeat, coniugia eiusmodi, tamquam alioquin ab Ecclesia perpetuo damnata, auctoritate Regia pro futuro contrahi nequaquam indulgenda, vel certe ad Praesules Dioecesanos releganda veniant, qui nonnisi tunc ea iniri admittant, dum a coniuge catholico et prolibus omne perversionis periculum abest. Quoad educationem religionariam prolium ex hactenus initis connubiis mixtis progenitarum plura opportuna media proposuit eadem Commissio, at simul de projecto in Resolutione Regia attacto, ut nimirum proles, dum annos discretionis attigerint, unam vel aliam religionem profiteri teneantur, opinata est: id a principiis orthodoxae religionis quam maxime alienum fore, cum sic eo ipso haeretica etiam educatio prolium adprobaretur [945]). — Cancellariae Reg. Aulicae votum ope propositionis dd. 18. Novembr. 1767. Altissimo Loco substratum cum opinione Commissionis Religionariae in eo quidem convenerat, quod causam praecipuam Indifferentismi in matrimoniis mixtis reponendam, et principium illud, ut proles attactis discretionis annis seu Catholicam Fidem sive Confessionem Protestanticam profiteri iubeantur, minime adoptandum esse ipsa quoque Regia Cancellaria censuerit;

943) Mon. 290. pag. 460.
944) Mon. 291. pag. 461.
945) Mon. 292. pag. 461.

ast in eo divergebat ab opinione Commissionis, ut matrimonia mixta vel simpliciter interdicantur, vel arbitrio Dioecesanorum pertractanda committantur, atque ad scopum magis opportuna haec fore media indicabat: si, dum sponsus est catholicus, is ante copulationem authenticas de prolibus utriusque sexus in Fide Orthodoxa educandis reversales dare; dum autem sponsa est catholica, sponsus duntaxat de non turbanda coniuge sua in exercitio Religionis Catholicae, deque prolibus sexus foeminini in Rel. Catholica educandis reversales extradare, ac a Parocho Catholico copulari iussus fuerit. [946]

c) Vota nonnullorum Dioecesanorum, qui de merito mixtorum connubiorum Regio iussu peculiariter auditi sunt. Priusquam Maria Theresia erga opiniones Dicasteriorum Politicorum in objecto gravissimi momenti Resolutionem ederet: dignum existimabat Praesulum quoque exquirere vota; quo fine *reflexiones* nonnullas circa educationem religionariam prolium e mixtis connubiis cum Dioecesanis quibusdam, signanter *Colocensi*, *Vaciensi*, *Agriensi*, *Quinqueecclesiensi*, et *Nitriensi* communicandas, horumve sententiam excipiendam iussit dd. 28. Decembr. 1767. Reflexiones hae contra intentum prohibitionem mixtorum matr. et exactionem Reversalium dirigebantur; et obtutu quidem religioso contra utrumque opponebant: mixta matrimonia rariora reddenda, ac per id occasionem, Acatholicos ad Fidem Orthodoxam convertendi, praecludendam fore, cum e contra permissis matr. mixtis non adsit occasio a Fide Catholica pervertendi ob stabilitam apostasiae poenam; insuper acatholicos in suo errore obstinatiores fore, si in posterum solis duntaxat confessio-

946) Mon. 293. pag. 467. — Si votum hoc Cancellariae cum voto prius, nimirum anno 1748. super merito mixtorum coniugiorum depromto (cf. §. 234.) combinetur: magna apparet inter utrumque differentia. Nam a. 1748. Cancellaria nuptias mixtas nonnisi sub conditione educandarum in Fide Cath. prolium admittendas censebat, a. 1767. autem multo iam indulgentiorem fecit super hoc merito propositionem.

nis suae consortibus matrimonio iungi potuerint. Obtutu autem politico Reflexiones illae opponebant: per generalem prohibitionem matr. mixtorum populationi notabile detrimentum illatum iri, metuique posse, ne Acatholici statum in statu efforment, seque a reliquo Status corpore separent, optimum proin fore, si proles omnes e principio patriae potestatis religionem patris, vel certe sexum parentum quoad religionem ipsam sequi iussae fuerint, attactis annis discretionis, alioquin plena libertate Religionem Catholicam amplectendi gavisurae [947]. — Dioecesani, quibuscum hae reflexiones communicatae erant, nimirum **Josephus Comes a Batthyán AEppus Colocensis, Cardinalis a Migazzi Eppus Vaciensis, Carolus Comes Eszterházy Agriensis, Georgius Klimo Quinqueecclesiensis, et Jounes Gusztinyi Nitriensis**, illas ad duo capita revocando, utpote a) *an in futurum matrimonia inter Catholicos et Acatholicos admittenda, et qualia media adhibenda sint, ut proles ex eiusmodi matrimoniis in una salvifica Ecclesia educentur?* b) *qualiter cum prolibus ex matr. mixtis iam progenitis agendum sit?* in memorabilibus suis Repraesentationibus sub initium anni 1768. ad Regium Thronum dimissis, communi sensu sequentia remonstrarunt: *Ad a)* Matrimonia disparis religionis velut talia, quae per sacros canones et ab universali Ecclesia semper damnata erant, quin imo ipsa quoque lege divina prohibita sunt, ob antevertendum periculum perversionis partis catholicae, et prolium inde descendentium a fide orthodoxa abalienationem, aliaque, quae exinde quotidie sequuntur, mala in Regno Hungariae decreto Regis Apostolici simpliciter interdicenda venire; quodsi autem ex generali istiusmodi prohibitione perturbatio metueretur, aut quodpiam ipsi Religioni Catholicae periculum imminere praevideretur, matr. mixta discretioni Episcoporum ea ratione subiicienda esse, ut hi attentis rerum circumstantiis connubia talia admittere quidem possint, sed

947) Mon. 294. pag. 470.

non aliter, quam penes authenticas Reversales de non turbenda parte catholica in sua religione deque prolibus utriusque sexus catholice educandis per partem acatholicam ex se dandas: hoc quippe pacto salvam mansuram partibus libertatem contrahendi talia coniugia, acatholicis autem iustam querulandi occasionem praeclusum iri, partem catholicam in sua religione tutam perstituram, et, quod summum est, sine perturbatione Reipublicae proles utriusque sexus ab indifferentismi ac perversionis periculo ereptum, atque ad tutum animarum salutis portum collocatum iri. Quoad reflexiones cum in linea religionis, tum in linea politica positas sequentia in specie iidem Dioecesani repraesentarunt: 1. Matr. mixta non esse proportionatum medium ad conversionem Acatholicorum, cum secus, si sciiicet ex iis orthodoxae Fidei maius emolumentum accessurum sperari, quam detrimentum emersurum metui posset, eadem nulla lege prohiberi potuissent; insuper tristi quotidiana experientia probari, quod si interdum unus alterve coniugum acatholicorum fidem orthodoxam amplectatur, certe alii decem et plures coniugum catholicorum non obstante fiscali actione saepe etiam in executionem deducta in apostasiam prolabantur, proles autem adhibita quacunque Curionum ss. vigilantia in partibus praesertim, ubi haeresis praevalet, maximo numero aut in damnato indifferentismo, aut in ipsa haeresi a teneris educentur, exindeque maior in dies animarum strages subsequatur. 2. Populationi nullum obicem poni prohibitione mixtorum matrimoniorum, nec metui posse, ut acatholici statum in statu efficiant; cum in iis Comitatibus, In quibus acatholici numero praevalent, nullum alioquin sit periculum, quo etsi quaepiam matrimonia reapse impedirentur, populationi praeiudicium inferatur; alii vero Comitatus ad publicam notorietatem populo adeo abundent, ut nullus futurus sit, qui, si uxorem ducere velit, suae religionis non inveniat; in Hungaria porro semper cautum fuerit, ne Acatholici distinctum statum efficiant, adeoque ex prohibitione mixtorum connubiorum, separationeque Acatholicorum a Catholicis timeri plane nequeat, ut illi periculosum quemplam statum in statu efforment. 3. Ipsis

Acatholicis bene notum esse, Regem Apostolicum in Hungaria ex ipsis patriis constitutionibus plenam in negotio religionis disponendi facultatem habere, sed neque ulla lege mixtae religionis connubia canonisata aut per Resolutiones Regias promiscue admissa esse, sed solum ex suppositione, si ineantur, Parochi Catholici adsistentiam requiri. 4. Potestatem patriam in puncto religionis et educationis religionariae prolinm tantam haud esse, ut cum exclusione matris duntaxat pater ius educandae ad arbitrium sobolis sibi privative vindicare queat, imo potius matri et ius et obligationem esse, patri contradicendi, et publica quoque auctoritate illum coërceri curandi, si proles in moribus ac religione' prave instituantur. Praeterea in Apostolico Hungariae Regno obligationem sequendi religionem Regno ipsi coaevam non e privata eaque arbitraria potestate patria, sed e praecepto Regis Apostolici in lege Christi fundato desumi oportere. 5. Pactum de prolibus pro diversitate sexus in parentum religione educandis ab Episcopis tuta conscientia adprobari non posse, et esse contra principium unius salvificae Religionis Catholicae. — *Ad b)* Proles omnes, quae ex connubiis mixtis hactenus progenitae sunt, in Fide Catholica educari debere: quum et Princeps regnans hanc ut salvificam credat, et pars quoque acatholica iuxta Confessionis suae placita admittat, in Ecclesia Catholica salutem obtineri posse, e contra pars catholica vel unius prolis in Acatholicismo educationem tuta conscientia admittere haud possit. [948])

d) **Resolutio R. dd. 28. Jul. 1768.** Repraesentationibus Dioecesanorum, et opinionibus eorumdem in Consilio Cancellariae Regiae in pertractationem sumtis, tametsi haec ad exigendas a sponsis Reversales nullo modo accedere voluerit: M. Theresia edita dd. $^{15}/_{28}$. Julii 1768. celebri Resolutione diserte praecepit: *mixtae religionis connubia in futurum haud aliter admittenda esse, quam si pars aca-*

948) Mon. 295—299. pag. 472. ss. 489. ss. 497. ss. 511. ss. 524. ss. — AEppus *Colocensis* in sua Repraesentatione id quoque insigniter deducit: ius *dispensandi* in matr. mixtis proprium esse Summo Pontifici, et nonnisi de eius indultu ab Ordinariis exerceri posse.

tholica Reversales de prolibus utriusque sexus in Religione Catholica educandis praevie extradederit [949]). Ex hoc itaque tempore matr. mixta in Regno Hungariae nonnisi sub conditione praestandae praevie ope Reversalium securitatis super catholice educandis prolibus utriusque sexus, iniri potuerunt. Ut autem circa *schismaticos* seu Graeco-Non-Unito Ritui addictos omne dubium tollatur, eos quoque sub ictum prioris Resolutionis cadere, ita, ut ipsi etiam, dum cum persona catholica matrimonium contrahere cupiunt, Reversales dare obligentur, per Resolutionem Regiam dd. 15. Novemb. 1770. dispositum fuit. [950])

§. 240.

Episcopi post Resolutionem anni 1768. quemadmodum et antea, singulos casus connubiorum mixtorum suae cognitioni ac decisioni reservabant.

Licet in Resolutione Regia, cuius historiam priori §. enarravimus, pro sustentando principio catholico sufficiens praesidium inesse, spesque adesse videretur, fore, ut et rarius ineantur mixta matrimonia, et conditiones Ecclesiae pro casu ineundorum illorum praescriptae accurate expleantur: Episcopi nihilominus, quemadmodum antea, ita deinceps quoque cognitionem et decisionem cuiuslibet casus matr. mixti sibi reservarunt, ut eo curatius circumstantias quasvis expendere, et de absentia praeprimis periculi perversionis ab orthodoxa fide sese certiores reddere valeant prius, quam indultum ad contrahenda eiusmodi coniugia elargiantur. Constat id nominatim de Episcopis Scepusiensi, et Sabariensi: quorum prior Carolus Salbeck [951]) in Commissis Clero *Liptoviensi* dd. 5. Augusti

---

949) Mon. 300. pag. 532.

950) Mon. 301. pag. 533. — In Dioecesi *Quinqueecclesiensi* iam ante hanc Resolutionem a Schismaticis aeque ac a Protestantibus Reversales exactas fuisse §. 236. ostendimus.

951) Fuit antea Vicarius et Suffraganeus Vaciensis, et de obiecto matr. mixtorum celebrem concinnavit discussionem a Cardinali Eppo Vaciensi in Mon. 296. p. 489. ss. laudatam.

1777. in S. Nicolao datis Puncto V. constituit: ut mixtae religionis personae non prius iungantur matrimonio, quam Episcopus facultatem assistendi praebuerit [952]); posterior autem Joannes Szily in Epistola Pastorali, quam cum aditu Episcopalis sui muneris a. 1777. ad Clerum dedit, matrimoniis mixtis assistentiam eousque praeberi prohibuit, donec seu ipse sive Consistorium ad id facultatem impertiantur. [953])

§. 241.

A Resolutione Regia de Reversalibus a. 1768. edita nonnumquam ipsa Dicasteria Politica recesserunt: quod singulari exemplo e Dioec. Rosnaviensi demonstratur.

Utut Resolutio Regia de 28. Jul. 1768. clare disposuerit, matr. mixta in posterum nonnisi sub conditione Reversalium de prolibus omnibus catholice educandis admittenda esse: evenit tamen nonnumquam, ut contraria plane Resolutio in favorem Protestantium per Dicasteria Politica ederetur, cuius memorabile exemplum e Dioecesi neoerecta Rosnaviensi proferimus. Ultimis scilicet regiminis M. Theresiae annis singularis illic in pertractationem cum Dioecesanam, tum Dicasterialem venit matr. mixti casus. Sponsus quippe Catholicus cum sponsa Augustanae Confessioni addicta, non tantum nullis ad exigentiam Resolutionis Regiae datis de catholica prolium educatione Reversalibus, sed plane penes sponsionem in obversum Resolutionis R. pro favore consortis suae de ipsa in exercitio suae confessionis minime turbanda et de prolibus foeminei sexus in Aug. Confessione educandis scripto elicitam, per Ministrum Aug. Conf. copulatus est. Re primo ad S. Sedem Ordinariatus, tum ad Metrop. Forum Strigoniense delata et discussa, coniuges in poena centum aureorum convincuntur; Ordinariatus autem Rosnaviensis ex parte sua nil intermittit, quo prolem foemellam ex matrimonio memorato susceptam catholice edu-

---

952) *Tabul. Scepusiense de a. 1777.*

953) Mon. 302. pag. 533.

cari procuret, facta simul ddo. 18. Aug. 1778. ad Consilium Reg. Loc. super eo remonstratione, ut Reversales in praeiudicium orthodoxae Religionis et derogamen Regiae Resolutionis pro favore lutheranae matris editae cassentur. Verum Consilium Regium per Intimatum dd. 28. Sept. 1778. decrevit: prolem in quaestionem attractam cum ob defectum Reversalium de prolibus utriusque sexus catholice educandis, tum ob scriptam cautionem Sponsi de eo, ut sexus sexum in religione sequatur, matri lutheranae in sua confessione educandam permitti debere. [954])

§. 242.

Memorabilis recursus Episcopi Rosnaviensis ad S. Congregationem Concilii super dubiis nonnullis matr. mixta respicientibus a. 1779. et obtenta inde Resolutio a. 1780.

Priusquam Epocham primam concludamus, non possumus non memorabilis illius recursus mentionem iniicere, quam celebris Rosnaviensium Praesul Antonius L. B. Andrássy, ad exemplum Episcoporum Belgii anno 1737. in obiecto mixtorum matrim. ad Sedem Apostolicam recurrentium, super dubiis et quaestionibus nonnullis mixta connubia respicientibus dd. 20. Februar. 1779. ad Sacram Congregationem Concilii Romam misit. In eo duo potissimum ex Sacra Congregatione quaesivit vigilantissimus Antistes: a) quid censendum sit de iis matrimoniis, quae absque omni quidem impedimento dirimente, sed tamen non observata lege C. Tridentini coram ministro haeretico tam ab haereticis inter se, quam, ubi contrahentium pars alterutra est catholica, ineuntur? b) quid statuendum de coniugiis cum impedimento dirimente, tam ubi utraque, quam dum alterutra contrahentium pars sectam profitetur haereticam, coram Parocho Catholico aut ministro haeretico celebratis? In specie autem sequentes adhuc posuit eidem Sacrae Congregationi ad decidendum quaestiones: 1. An matrimonia in Hungaria non servata lege Tridentina coram haeretico mi-

954) *Protoc. Consist. Rosnaviensis de an. 1778.*

nistro ab haereticis inter se, vel altera parte contrahentium catholica, inita vigore Decreti C. Tridentini sint irrita ac nulla: aut vero Declaratio Benedicti XIV. PP. pro Belgio data ad connubia in Hungaria praedicto modo inita et ineunda applicari possit? 2. An matrimonia, quae haeretici inter se in gradibus prohibitis ineuut, virtute solius Regiae dispensationis sint valida? 3. An matrimoniis eiusmodi, quae haeretici inter se ineunt, Parochus Catholicus assistere, vel saltem, ut ea coram ministro haeretico contrahi valeant, assensum suum praebere possit? 4. An, si talium coniugum uterque haeresim eiuret, fidemque Catholicam amplectatur, oporteat ab Episcopo peti dispensationem, et coniuges ad renovandum matrimonium stringi, vel si id nolint, imo separari cupiant, ad alia vota iidem liberi pronunciari possint? 5. Si unus tantum coniugum eiusmodi convertatur, altero in haeresi permanente, possitne talis a vinculo immunis, et ad alias nuptias liber declarari? [955])

Sacra Congregatio Concilii in Rescripto ad Episcopum Rosnaviensem dd. 20. August. 1780. dimisso ad quaesita sequentem edidit resolutionem: *Ad 1.* Matrimonia haereticorum inter se coram ministro haeretico inita dissimulari debere, ita, ut nec de validitate nec de invaliditate eorum disputetur et sententia feratur: cum exinde non tam utilitatis fructus, quam potius offensionis ac periculi metus in perniciem Religionis Catholicae esset exspectandus. Matrimonia vero Catholicorum cum haereticis ab Apostolica Sede in aliquibus locis, cum impediri non possint, tolerari et ecclesiastica prudentia dissimulari, eademque, si sine impedimento dirimente coram Parocho Catholico ineantur, valida quidem fore, sed Ecclesiam semper ab illis abhorruisse, nec unquam ea adprobavisse, verum per meram patientiam toleravisse, quam nempe ad graviora mala vitanda imposuit necessitas. *Ad 2.* Matrimonia eiusmodi, nisi legitima Ecclesiae auctoritate in dirimenti impedimento dispensetur, invalida esse. *Ad 3.* Matrimoniis talibus Parochum Catholicum licite assistere haud posse. *Ad 4.* Si partes post con-

955) Mon. 303. pag. 534.

versionem suam in coniugio remanere voluerint, dispensationem petendam, et consensum renovandum; secus, si obstinate a coniugio resilire velint, easdem ad alia vota liberas pronunciandas esse. *Ad 5.* Ad Sedem Apostolicam recurrendum esse. [956])

§. 243.

Literatura ex Epocha I.

386. Unicum opus ex Epocha I. commemorare licet, in quo quaestio de mixtae religionis matrimoniis nonnihil curatius discutitur: nimirum Pauli Lucae Perghold, *de sponsalibus, matrimonii impedimentis, matrimonio ac eius indissolubilitate vel secundum ipsum Jus Naturae adversus Naturalistas libri Apologetici tres, pro fide, lege, Principe, veritate editi. Budae. 1763.* In opere isto *Lib. II. §. 364. ss. pag. 283. ss.* Auctor, prolatis pluribus S. Scripturae textibus, sic argumentatur: „Etsi partium matrimonium inire volentium diversitas religionis non alia, quam illa, quae a Christiana est aliena, ut Judaismus, Gentilismus, videatur esse impedimentum matr. dirimens: si tamen textuum S. Scripturae attendatur ratio, ipsum scilicet perversionis periculum, vetita profecto defendi possunt Catholicis cum haereticis matrimonia. Non obstat, quod ut valida temporibus nostris habeantur talia matrimonia ex usu et consuetudine. Consuetudinem namque hanc iam ab Ecclesia toleratam hominum induxit perversitas, et infelicissimorum temporum nostrorum inevitabilis iam facta cum illis conversandi necessitas, quae tamen obligatio cohabitandi cum illis eousque duntaxat stringit, donec aliqua ex parte illorum conversionis spes, aut saltem nullum ex parte Catholici perversionis periculum adest. Pacta vero de eo, ut juxta sexus congruentiam in secta parentum educentur liberi, numquam est expeditum inire, cum id non sit aliud, quam polluere sanctum Domini et de semine suo dare Moloch.“ Notanda argumentatio adversus mixta coniugia!

---

956) Mon. 304. pag. 589.

EPOCHA II.

Ab aditu Regiminis Josephi II. seu an. 1780. usque legem religionariam in Comitiis a. 179$^{0}/_{1}$. latam.

§. 244.

Sub Josepho II. magna in systemate religionario evenit conversio: quoad mixta matr. primum pacta de prolibus nonnullis in Protestantismo educandis inita tamquam vera recipi iussa, dein per Decretum Tolerantiale a. 1781. usus Reversalium de prolibus utriusque sexus catholice educandis abrogatus.

Altera Periodus historiae mixtorum matr. in Hungaria brevem quidem temporis intercapedinem, quippe decem duntaxat annos, queis Josephus II. Imperator et Rex habenas Regiminis tenuit, complectitur: sed magnorum eventuum feracem. Quemadmodum enim in universo Systemate Religionario, ita speciatim in disciplina quoque, quae quoad mixtorum matrimoniorum celebrationem vigebat, magna mutatio evenit, Josepho 2. regimen Monarchiae Austriacae adeunte. Josephus nimirum et Tolerantiae Christianae quoad Protestantes, in Regno Hungariae per Resolutiones Regias definitae, limites multum extendit, et, quod ad coniugia mix-

ta attinet, per abrogationem Reversalium insignem disciplinae circa hoc punctum produxit conversionem. Mox videlicet ab aditu Regiminis Resolutiones quasvis circa objecta religionaria ante se editas pro revisione exhiberi, totumque Systema manipulationis horum objectorum remonstrari sibi iussit. Praestitit id *Cancellaria Regia* ope Repraesentationis sive Propositionis dd. 23. Martii 1781. in qua speciatim de praxi quoad matrimonia mixtae religionis remonstravit: Reversales de prolibus in Fide Catholica educandis in sensu priorum Resolutionum desideratas fuisse, orphanos vero ab acatholicis parentibus progenitos et proles penitus derelictas in dominante Religione Cath. educari debuisse, sin autem non obstantibus reversalibus proles tales in indifferentismo educari contigisset, mediis etiam strictioribus illarum, dum adhuc minorennes erant, educationem in Fide orthodoxa exactam; si demum eius iam aetatis forent, ut semet ad certam religionem profitendam determinare noverint, aut reversales exigi neglectae essent, unice suavi modo easdem ad amplectenda Sacra Catholica dispositas fuisse. 957)

Ad exhibitum sibi Systematis pertractandorum in Hungaria negotiorum religionariorum conspectum Caesar eam posuit animadversionem: in variis dispositionibus ab aequo moderamine aberratum, et iustis Protestantium querelis saepius ansam praebitam fuisse, ac proinde tam ipsius Religionis honorem quam commune Reipublicae bonum aequam hic medelam afferri exposcere: se itaque in animo constituisse, ut fundata Protestantium gravamina et nimiae coarctationes mox sufferantur. Inter haec disparis quoque religionis connubia relata sunt: circa quae Caesar in eadem Resolutione praecepit: ut Reversales mutuo ac liberrimo consensu de eo initae, quaenam proles in Protestantium doctrina educandae sint, pro veris ac validis recipiantur, et nec orphani tutoribus nec proles parentibus auferantur, modo chri-

---

957) Repraesentationis seu Propositionis huius Cancellariae R. iam superius *nota 897.* mentionem fecimus.

stianam et moralem apud eos obtineant educationem [958]).

Praealiata Resolutione Regia universum hactenus vigens Systema Religionarium immutari, Protestantibusque multos favores concedi observans Cancellaria Regia in propositione sua dd. 6. Jul. 1781. nullatenus dissimulavit: querelas nonnullas Protestantium, quae Resolutionem illam provocaverint, partim minus sincere, partim pro more cum nimia exaggeratione ad conciliandam maiorem attentionem expositas fuisse. Quoad puncta Resolutionis Regiae de matrimoniis disparis religionis, eadem Cancellaria necessarium duxit meritorias proponere reflexiones: idque reapse pleno cum candore et libertate praestitit, ostendendo: quanto cum praeiudicio orthodoxae Religionis fieret, si matr. mixta non tantum indiscriminatim permitterentur, verum plane Reversales de prolibus in doctrina Protestantium educandis per partem coniugum catholicam dari indulgerentur: id sane cum principio conservandae ac firmandae verae religionis nequaquam conciliari, partemque catholicam, quae suam religionem per unice vera ac salvifica tenet, ad eiusmodi reversales in favorem partis acatholicae dandas aut servandas sine nota apostasiae obligari haud posse, ultro confessa est Cancellaria, enixissimeque oravit Caesarem, ut a dispositione, iuxta quam seu pater sive mater Rom.Catholici per positivas reversales ad proles in diversa a Catholica religione educandas semet obstringere valeant, praescindatur. Quoad orphanos demum et proles, quae omni iure catholice educari debent, porro quoque illum usum manuteneri rogavit Cancellaria, ut tales proles, si non in Fide Catholica educari comperiantur, mediis etiam strictioribus ad sequendam Rel. Catholicam compellantur. [959])

Reflexionibus Cancellariae non obstantibus Caesar penes priorem suam Resolutionem perstitit: nimirum utrique parti contrahentium mixta matrimonia liberum esse pacto stipulari, ut sui sexus proles in sua confessione educen-

958) Mon. 305. pag. 543.
959) Mon. 306. pag. 544.

tur [960]); imo Resolutione altera dd. 25. Octobr. 1781. memorabile illud Decretum Tolerantiale edidit, cuius ope Protestantes amplis favoribus donati exstiterunt. In eo cetera inter usus *Reversalium* de prolibus utriusque sexus catholice educandis pro futuro abrogatus, et pro constanti norma ac cynosura id definitum est: *ut, dum pater est catholicus, omnes proles in Religione Catholica educentur, cum id dominantis Religionis Catholicae sit praecipuum ac praerogativa; dum autem mater est catholica, proles sexum parentum, quod est ad religionem, sequantur.* [961])

§. 245.

Contra favores Protestantibus per Decretum Tolerantiale concessos tum Jurisdictiones civiles, tum Dioecesani, et inter hos cumprimis Cardinalis Primas a Batthyán repraesentarunt, sed exiguo cum effectu.

Edictum Tolerantiale Josephi magnam in Regno excitavit animorum commotionem. *Protestantes* quidem legalitatem eiusdem in favorem Confessionum suarum evincere omnimode studebant, contendentes: per Pacificationes et leges publicas tam Augustanam quam Helveticam Confessiones pleno iure in Regnum Hungariae receptas fuisse, eaque, quae in Decreto Tolerantiali continentur, non tolerantiae titulo, sed ex legum praescripto iis deberi, liberumque religionis suae exercitium in bilaterali publico pacto fundari. At *Catholici*, signanter Jurisdictiones tam Civiles Comitatuum et Liber. Reg. Civitatum, quam sacrae, et inter has cumprimis Dioecesani in Repraesentationibus suis ad Thronum Regium tum resensum, quem Edictum Tolerantiale in concivium animis excitaverit, tum funestas illius sequelas vivis adumbrabant coloribus. *Jurisdictiones Civiles* speciatim id urgebant, ut, quum Systema Religionarium in essentialibus suis partibus inde a sua origine Diaetaliter pertracta-

960) Mon. 307. pag. 550.
961) Mon. 308. pag. 550.

tum fuisse ex combinatione Regni legum ac publicorum actorum clare pateat; illud ultro quoque in sensu earundem legum relinquatur, aut si quid eatenus innovandum ratio Status publici suaderet, hoc ad Comitia Regni relegetur. *Dioecesani* vero, et inter hos praesertim Cardinalis Primas a Batthyán in celebri sua Repraesentatione dd. 7. Martii 1782. tum in genere praeclare evolverunt, quantopere Systema Tolerantiale Josephi a genuina, quam Christiana charitas probet, tolerantia, legum quoque patriarum et Resolutionum Regiarum praesidio, item longi usus consuetudine, et Jurisdictionum obsequio sustentata, aberret; tum in specie quoad matrimonia disparis religionis absque Reversalibus in futurum contrahi permissa egregie deduxerunt, libertatem hanc ineundi matr. mixta ipsi motivo ac fini Tolerantiae — ut nempe matrimonia talia multiplicentur, et Catholici cum Acatholicis pacifice convivant — adversari: siquidem ipsi Protestantes ex ratione Status vehementer disuadeant mixtae religionis coniugia, et praeprimis in Hungaria ex eiusmodi libertate ineundi matr. mixta longe magis metui possit tepor ac indifferentismus quoad religionem, quam spes bonae harmoniae et animorum unionis concipi. [962])

Repraesentationes Jurisdictionum ipsa etiam Cancellaria R. in sua propositione dd. 12. April. 1782. suo voto secundavit: at aliud a Caesare obtineri haud potuit, quam nuda declaratio de Reversalibus ante Edictum Tolerantiale per sponsos diversae religionis editis: tales nimirum in suo vigore porro quoque persistere, et solum pro futuro earum usum abrogari, atque copulationem personarum mixtae religionis etiam citra praestitas Reversales peragendam esse. [963])

---

962) Mon. 309 pag. 552.
963) Mon. 310. pag. 558.

§. 246.

Episcopi Scepusiensis et Rosnaviensis post Decretum Tolerantiale principium catholicum in merito matr. mixtorum insigniter tueri ac sustentare non cessarunt.

Post publicatum Decretum Tolerantiale, abrogatumque in eo Reversalium usum, Episcoporum Scepusiensis Caroli Salbeck [964]) et Rosnaviensis Antonii L. B. Andrássy [965]) in tuendo principio catholico quod mixtae religionis matrimonia singularis emicuit sollicitudo. Dolendum, quod, adhibitia licet omni industria, excussisque diligenter tam Scepusiensi, quam Rosnaviensi Tabulariis, plenam actorum praerio in merito in utraque Dioecesi post publicatum Decretum Tolerantiale interventorum seriem obtinere haud potuerimus. Sequentia duntaxat ductu epistolaris commercii, quod utrique laudatorum insignium Praesulum ad invicem intercesserat, de Episcopo quidem *Scepusiensi* detegere nobis licuit: in Provincia *Arvensi* Parochos in copulandis sponsis diversae religionis admodum difficiles fuisse, et, quamvis eatenus Consilii quoque Regii Intimata copulationem peragi iubentia emanaverint, Praesulis tamen vigilantissimi opera rem eo deductam exstitisse, ut tum de parte contrahentium catholica in exercitio suae religionis neutiquam turbanda, tum de prolium nasciturarum catholica educatione omnis securitas praevie praeberetur; Episcopum Romam quoque recurrisse, et abinde Breve obtinuisse: sed nec recursum, nec Breve in Tabulario Scepusiensi praeexistere [966]). — De Episcopo vero *Rosna-*

964) cf. §. 240.

965) cf. §. 241. et 242.

966) Tantum aliquot verba Brevis huius citare possumus, quae Summus Pontifex *Gregorius XVI.* in Brevi dd. 30. April. 1841. ad Praesules Hungariae quoad mixta matr. dimisso (inferios producendo) commemorat: „Quaecunque hac de re (matr. mixtis) latae essent leges, oportere, ut Episcopus et Parochi studiose et prudenter curent, ne huiusmodi matrimonia fiant, et, si contrahantur, ut proles universa in catholica religione educetur: quoties vero, ipsis invitis,

viensi ductu Protocollorum Dioecesanorum constat: eundem, non obstante Decreto Tolerantiali, Parochos primum eo inviasse, ut occasione connubiorum mixtorum datae iam aliae Instructioni, quippe sub *Archiepiscopis Strigoniensibus Emerico C. Eszterházy*, et *Nicolao C. Csáky* [967]), sese conforment, ardentissimoque zelo partem catholicam ab eiusmodi connubio, quod Ecclesia semper detestatur, deterreant, casumque in contrarium Ordinarii consilium expetant; serius vero, cum per Consilium Regium quaestio formaretur, dataque ad Parochos instructio Altissimo Loco submittenda apud Episcopum urgeretur, eundem rescripsisse: ab se non aliam quoad copulationem sponsorum mixtae religionis instructionem SS. Curionibus datam esse, quam quae adhuc ante divisionem AEpiscopatus Strigoniensis iisdem intimata, et ab eo tempore constanter servata fuerit, ut nimirum Sacri Curiones, si suavi exhortatione partem acatholicam ad Religionis Catholicae sanctitatem adducere nequirent, negotium ad Officium Episcopale referant, et informent illud de eo: an, et quale periculum perversionis parti catholicae immineat, neque citra expetitum Officii eiusdem indultum praecipites semet in talibus sponsis copulandis exhibeant; rursum porro dd. 23. Octobr. 1782. Episcopum zelosissimum apud curatores animarum id disposuisse: „ut, quum stante Regia constitutione, solius diversae religionis titulo citra graviorum malorum pericula copulatio personarum mixtae religionis simpliciter negari haud possit, implorato quam ferventissime divino auxilio prudenti ac mansueta agendi ratione ita salubriter rem totam moderentur, quo vel utriusque saluti quam optime consulant, vel si id (quod Deus advertat) pertinacia sponsorum praepediret, suam de impenso omni pastorali conatu conscientiam immaculatam

---

secus fuerit factum, abstineant semper a nuptiali benedictione impertienda, eorumque praesentia, si necessitas urgeat, sit tandummodo materialis, neque actibus et declarationibus coniungatur, quae confirment vel approbent, prolem aliter quam in Religione Catholica posse educari."

967) cf. §. 230. et 235.

studeant conservare;" denique a. 1785. ad quaestionem cuiuspiam Parochi sequentem dedisse inviationem: ut in casu, quo pars catholica cum acatholica de Ordinarii consensu connubium init, ritus in administratione matrimonii ab Ecclesia praescriptus per omnia servetur, si vero idmodi conjunctionem dura, quae impediri non possit, imperet necessitas, ab ipsa etiam, quam in filiorum suorum matrimoniis adhiberi Rituale exigit, benedictione abstineatur. [968])

§. 247.

Controversiae Dioecesanorum cum Dicasteriis Politicis in merito dispensationum in gradibus vetitis quoad personas mixtae religionis. Cardinalis Primatis a Batthyán sententia principiis catholicis conformis a. 1785. deprompta.

Non exiquam Episcopis peperit anxietatem ea Josephi Caesaris ordinatio: *ut in posterum Episcopi in omnibus canonicis impedimentis matrimonium dirimentibus, signanter in vetitis gradibus consanguinitatis ac adfinitatis propria auctoritate dispensent, nullum eatenus ad Sedem Romanam recursum faciendo.* Facultatem hanc dispensandi in nullum casum ad matrimonia mixtae religionis extendi posse, cum vel ipsum ius dispensandi in impedimento diversitatis religionis impediente matrimonium Sedi Apostolicae constanter reservari ex doctrina Benedicti XIV. notum esset, ultro perspexere Episcopi. Ex iis, qui hoc in puncto principium catholicum egregie propugnabant, et occasione positarum a Dicasteriis Politicis quaestionum, quin plane adursoriorum Intimatorum insigniter sustentabant, nominamus primo Vicarium Strigoniensem: qui in impedimento tertii gradus cognationis cum Sponsis diversae religionis anno 1785. dispensare noluit. Re ad Consilium Regium delata, et per hoc apud Cardinalem Primatem a Batthyán quaestione posita, Cardinalis Primas in energica Repraesentatione dd. 8. Octobr. 1785. Consilio Regio rescripsit: ar-

968) *Protocoll. Dioec. Rosnav. de an. 1782. et 1785.*

gumenta, e quibus suus Vicarius memoratam denegavit dispensationem, fundata omnino esse; cetera inter affirmans: relaxationem litis matrimonialis Acatholicis per Cancellariam Regiam dari solitam ad illos solummodo casus pertinere, in quibus utraque pars contrahentium Religionem profitetur Catholicam; et pariter facultatem Episcoporum dispensandi in gradibus vetitis tantum ad Sponsos, qui ambo sunt Catholici, spectare, nec posse Episcopos tuta conscientia inter Sponsos diversae religionis quoad prohibitos gradus propria auctoritate dispensare. [969])

§. 248.

Episcopus Rosnaviensis Ant. B. Andrássy ad dispensandum pari in causa saepius licet provocatus propria auctoritate dispensare se haud posse, candide declararit a. 1785.

Episcopo Rosnaviensi Antonio L. B. Andrássy diuturnior in merito dispensationis quoad gradus prohibitos pro Sponsis diversae religionis impertiendae cum Consilio Regio intercessit anno 1785. controversia. Cum enim Episcopus laudatus in casu singulari ad impertiendam pro Sponsis mixtae religionis in gradu prohibito cognationis dispensationem Intimato Consilii Regii dd. 22. Aug. 1785. eo fundamento provocaretur, quod iuxta normalem Resolutionem R. Episcopis potestas in talibus impedimentis propria auctoritate dispensandi concessa, Acatholicis vero itidem per Regiam Resolutionem lis matrimonialis relaxata sit [970]): Episcopus dd. 17. Sept. 1785. rescripsit: facultates dispensandi a Sede Romana obtentas solum de matrimoniis, quae inter Catholicos contrahuntur, sonare, sibi proin integrum haud esse, in praeattacto matr. mixti casu dispensare [971]). Cum autem Consilium Regium, non obstante declaratione Episcopi, dispensationem novo Inti-

---

969) Mon. 311. pag. 559.
970) Mon. 312. pag. 560.
971) Mon. 313. pag. 560.

mato dd. 27. Sept. 1785. illo etiam ex motivo expediendam urgeret, quod, posteaquam Episcopo vi facultatum Romanarum cum parte contrahentium catholica dispensare integrum foret, cum parte vero acatholica Regia Maiestas dispensavisset, nullum amplius instituendae copulationi opponi valeat impedimentum [972]): Episcopus primum quidem in Responso suo ad praeadductum intimatum dd. 29. Octobr. 1785. reddito diserte enunciavit: Facultates Apostolicas in ordine ad dispensandum cum sponsis in graduum vetitorum impedimentis ad eum solummodo casum pertinere, dum ambo contrahentes sunt catholici, nec posse iuxta declarationem Benedicti XIV. fieri, ut secundum concessae Facultatis verba dispensatio super gradu aut alio impedimento concedatur in matrimoniis inter acatholicum et catholicam, et vicissim ineundis [973]); dein ope Repraesentationis alterius ordinis dd. 18. Januar. 1786. facultatem petiit ad Sedem Apostolicam recurrendi, ut etiam in matrimoniis diversae religionis dispensare valeat [974]). Verum per Decretum Regium dd. 21. Mart. 1786. facultas Romam recurrendi Episcopo denegata fuit.

§. 249.

Non minori constantia Vicarius Vaciensis a Zerdahely propugnavit: Dioecesanos sine speciali indultu Romano in gradibus prohibitis quoad Sponsos mixtae religionis dispensare non posse, a. 1786.

Quemadmodum Episcopo Rosnaviensi, ita Vicario Vaciensi Gabrieli a Zerdahely in merito dispensationis quoad gradus prohibitos pro matrimoniis personarum diversae religionis non exigua intercessit cum Dirigente Regni Dicasterio, Regio quippe Consilio controversia. Quaestionem super dispensatione hac formandi occasionem sumsit Vicarius Vaciensis in Repraesentatione, quam intuitu obtinendi Placeti Regii pro Facultatibus a Sede Aposto-

972) Mon. 314. pag. 561.
973) Mon. 315. pag. 562.
974) Mon. 316. pag. 562.

lica submissis dd. 10. April. 1786. Consilio Regio substravit. Cum enim Facultates Romanae nonnisi pro casibus matrimoniorum pure catholicorum datae essent: potestatem dispensandi ad matrimonia quoque mixta a se extendi haud posse, Vicarius ultro confessus est [975]). Repraesentatione Vicarii ad Consilium R. perlata, siquidem Regia Maiestas per Resolutionem dd. 15. April. 1786. circulariter publicatam Episcopis recursum ad obtinendas pro dispensationibus matrimonialibus, dum sponsi diversae sunt religionis, Facultates Romanas simpliciter interdixerit: idem Consilium ope Intimati dd. 22. April. 1786. Vicarium ad declarationem super eo mox edendam provocavit: qualiter praedictae Resolutioni Regiae sese conformare velit? Erga quam provocationem Vicarius dd. 11. Maii 1786. argumenta, quorum ductu Facultates matrimoniales Roma obtentas ad coniugiorum mixtorum casus nullo modo extendi a se possit, uberius remonstravit, sibique indulgeri petiit, ut pro extensione Facultatum ad praeallatos casus Romam recurrere valeat [976]). Meritum remonstrationis Vicarii Vaciensis tum in *Commissione Ecclesiastica Consilii R.* tum in Commissione Aulica Ecclesiastica Viennae pertractatum est: cuius posterioris opinio dd. 21. Junii 1786. depromta ideo etiam notari meretur, quod ex ea clare deducatur, qualia principia circa relationem Episcoporum ad Romanum Pontificem sub Gubernio Josephi Caesaris per Dicasteria Politica fota fuerint, qualemve intentionem eadem Dicasteria habuerint tunc, dum Dioecesanos ad concedendas proprio motu, et sine ullo ad Sedem Romanam recursu, dispensationes matrimoniales perducere satagebant [977]). Opinione Commissionis probata Josephus Imperator per Resolutionem dd. 9. Sept. 1786. Vicario Vaciensi petitam facultatem Romam recurrendi denegavit. [978])

975) Mon. 317. pag. 565.

976) Mon. 318. pag. 566.

977) Mon. 319. pag. 567.

978) Mon. 320. pag. 575. — Desumta sunt haec Monumenta partim ex *Tabulario Regio* $\frac{6441}{1786}$; partim ex *Archivo Dioec. Vaciensi.*

§. 250.

In Congressu Episcoporum Strigonii a. 1786. celebrato quaestio de mixtis matrimoniis, signanter de dispensatione in gradibus vetitis discussioni subjecta fuit.

Priusquam Epocham II. claudamus, intermittere non possumus, quin celebris *Congressus* ab Episcopis nonnullis *Strigonii* a. 1786. celebrati mentionem faciamus. Occassionem ei praebuere tum alia Josephi decreta reformatoria in rebus ecclesiasticis et matrimonialibus decursu quinque annorum perlata, tum et praecipue Patentales Literae Caesareae dd. 6. Mart. 1786. in causis matrimonialibus deinceps in foris civilibus pertractandis editae. Auctore itaque *Cardinali Primate a Batthyán* complures *Episcopi*, signanter *Weszprimiensis*, *Albaregalensis Rosnaviensis*, et *Sabariensis*, item *Vicarii Capitulares Vaciensis* et *Nitriensis* mense Septembri anni 1786. Strigonii convenientes super eo consilia faciebant, quo pacto rebus ecclesiasticis, ac praesertim matrimonialibus, queis per memoratas Patentales magnum praeiudicium illatum dolebant, consuli posset? In hoc Congressu de disparis quoque religionis connubiis quaestio agitata, nominatim vero de iure dispensandi in gradibus vetitis inter sponsos diversae religionis longa pro et contra pugnantium argumentorum discussio instituta fuit. Pluribus Antistibus videbatur, in subversantibus admodum arduis pro Ecclesia circumstantiis, si graves adsint dispensandi rationes, nec aliud quidpiam obstet, praemissa ad persuasionem coniugum de agnitione et professione unius salvificae fidei omni industria, dispensationem in casu praeallato tribui posse: ast *Episcopus Rosnaviensis* ab hac opinione dissensit, seque propria auctoritate numquam dispensaturum declaravit. [979]

---

979) Desumsimus haec ex *Tabulario Agriensi,* in quo praesto sunt originales Correspondentiae Cardinalem Primatem inter et Episco-

EPOCHA III.

A lege religionaria in Comitiis a. 179⁰/₁. lata usque novam quaestionis de mixtis coniugiis discussionem in Comitiis a. $18\frac{25}{27}$ et deinceps institutam.

---

1. Historia legis religionariae in Comitiis a. 179⁰/₁. conditae.

§. 251.

Praeliminaria quaedam ad historiam legis religionariae in Comitiis a. 179⁰/₁ latae spectantia. [980]

Novam ordimur temporis periodum, quam in *lege religionaria* per Comitia anni 179⁰/₁. regnante *Leopoldo II.* lata merito figimus: nam prout universum religionarium sy-

---

pum Agriensem Carolum C. Eszterházy super Congressu hoc Srigoniensi. Notari insuper potest: Cardinalem Primatem per Dicasteria Politica ad onus responsionis de Actis memorati Congressus attractum, ope Repraesentationis dd. 8. Nov. 1786. rescripsisse: Congressum hunc instar *Synodi* haberi non posse, sed fuisse duntaxat fraternam inter praesentes Episcopos consultationem, quae nec praesentibus, multo minus absentibus Prosulibus legem quampiam posuerit.

980) In concinnanda historia conditae legis huius religionariae

stema, ita speciatim meritum mixtae religionis matrimoniorum, antea per meras Resolutiones Regias regulata, in praedictis Regni Comitiis lege determinata exstiterunt. In Comitiis his, quae in diem 6. Junii 1790. Budam indicta, die vero 3. Novembr. eiusdem anni Posonium translata, demum die 13. Martii 1791. conclusa fuerunt, et in quorum negotia tum pax cum Turca nondum plene inita, tum Borussi minae non parum influxere, de merito Religionis primum ea occasione acriter disputabatur: dum Puncta, quae Diplomati per Regem tempore inaugurationis suae subscribendo et iuramento firmando inserenda erant, discuterentur. Sed neque de eo convenit mox inter Status: an negotium Religionis in Comitiis assumi, aut potius decisioni Regiae Majestatis relinqui debeat? *Clerus Catholicus* diserte declaravit: se ad nullam in praesente Religionis negotio discussinem et accomodationem accedere velle et posse; at maior Statuum pars argumentis potissimum istis, quod Rex ipse ad ritus Confessionis Evangelicorum iuxta tenores Pacificationum Viennensis et Lincensis accomodandos propensus sit, quod Religionis negotium unam e praecipuis Potestatis Legislativae partibus constituat, quod in Diplomatibus inauguralibus Leopoldi et Caroli VI. meritum Religionis insertum sit, quod denique consensio mutua, Regnique felicitas exigat, ut notabili adeo populi portioni sua tribuatur etiam respectu religioso securitas, legalisque consistentia — conclusit: negotium Religionis diplomaticae sanctioni inserendum esse [981]. Ab hoc itaque tempore meritum religionarium universim, et in eo caput quoque de matrimoniis disparis religionis magna animorum contentione in Comitiis disceptatum discussumque fuit.

---

praeter Diarium et Acta Comitiorum magno adiumento nobis erant *Acta* etiam *secretiora* partim in Regio partim in *Primatiali Tabulario* inventa.

981) *Diarium Comitiorum Regni Hung. a. 1790/1 Budae. 1791. pag 121. ss.*

§. 252.

Diversa projecta et propositiones Statuum Regni circa meritum mixtae religionis connubiorum.

Merito religionis, et signanter puncto quoque de matrimoniis disparis religionis in pertractationem Dietalem assumto, diversa per Status et Ordines Regni projecta et propositienes, maxime quod est ad educationem religionariam prolium ex eiusmodi coniugiis gignendarum, substernebantur. Status Evangelicorum in proiecto, iuxta quod iura libertatesque Augustanae et Helveticae Conf. addictorum declarari Regioque Diplomati inferi postulabat, de matr. mixtis proposuit: ut proles ex talibus coniugiis genitae usque annos discretionis in ea religione, de qua inter ambos parentes convenit, secus autem pro diversitate sexus, in religione parentum educentur; post annos discretionis vero religionem libere eligere valeant [982]. — Status Catholicorum circa Judicatum causarum matrimonialium, dum matrimonia occasione copulationis iam erant mixta, eundem sedibus spiritualibus Episcoporum deferri; circa proles vero id projectavit: ut eae absque sexus discrimine in Fide Catholica educentur, mixtaeque nuptiae haud aliter, quam penes Reversales a parte acatholica dandas contrahi indulgeantur [983]. — Deputatio porro Mixta, cui articulum de universo negotio Religionis elaborandum Status commiserunt, educationem prolium religionariam in coniugiis mixtis iuxta sexum ita dirigi optabat, ut filii patris, filiae matris religionem amplectantur, salvo tamen contractu inter coniuges libere incundo; causas autem matr. mixtorum, quae iam tempore copulationis talia erant, Sedibus Catholicis Spiritualibus secundum principia catholica diiudicandas, illorum vero, quae primo per transitum alterutrius partis coniugum ad Sacra Catholica mixta evase-

982) Mon. 321. pag. 576.
983) Mon. 322. pag. 576.

rant, foris Secularibus decidendas committi cupiebat [984]). — Verum projecta haec Deputationis Mixtae in Sessione Diaetali 5. Sept. 1790. asservata Statuum ac Ordinum calculum haudquaquam tulerunt: nam Circulorum quidem Danubianorum Nuntii legem eo modo condi proposuere: ut matr. mixta, in futurum non impedienda, semper per Parochum Catholicum copulentur, proles vero utriusque sexus religionem partis catholicae sequantur, non obstantibus ullis in contrarium conventionibus, causae demum matrimoniales omnes ad Fora Consistorialia Episcoporum pertineant [985]); Nuntii autem Circulorum Tibiscanorum meritum mixtorum connubiorum per legem in eum sensum decidi poscebant, ut omnes proles religionem patris ceu familiae capitis profiteantur, iudicatus causarum matrimonialium projecto Deputationis Mixtae conformiter stabiliatur. [986])

§. 253.

Regia Maiestas negotium religionis primum post suam inaugurationem se decisuram pollicetur: Praesules vero et Catholici seculares pluribus Repraesentationibus demustrant, postulata et proiecta Evangelicorum in praeiudicium Religionis Orthodoxae dirigi, eaque proinde acceptari haud posse.

Quantumcunque egerint Evangelici, ut meritum Religionis secundum praevia projecta in ipsum Diploma Coronationale inseratur, ac decidatur: id tamen impetrare non poterant. Nam Regia Maiestas in Resolutione dd. 20. Sept. 1790. diserte edixit: se Diplomati Carolino inalterabiliter insistere, nullumve aliud iureiurando firmare, meritum autem religionarium primo post suam inaugurationem expen-

---

984) Mon. 323. pag. 577. — *Acta Comitiorum a. 179⁰/₁ Budae. 1791. pag. 123. No. XX.*

985) Mon. 324. pag. 577.

986) Mon. 325. pag. 578. — *Acta Comit. l. cit. p. 171. 173.*

dere et decidere velle. — Interea Status Catholicorum, et cumprimis Regni Praelati sub auspiciis **Cardinalis Primatis** a **Batthyán** iteratis Repraesentationibus ad Regium Thronum dimissis ea, quae suarum forent partium, facere non intermiserunt, atque contra postulata religionaria Evangelicorum complures meritorias formarunt reflexiones. Signanter Cardinalis Primas in Repraes. dd. 22. Sept. 1790. nomine universorum Catholicorum declaravit: postulata Evangelicorum in re religionis talia esse, quae ipsi principio Reformationis de iure reformandi Principibus tributo, et iuri maiestatico civitatis repugnant; Religionis porro Catholicae certum fere interitum, si, uti projectatur, proles in mixtis connubiis secundum mutabilem parentum conventionem, aut non attentis iuribus matris semper in patris confessione educatae, attactis dein discretionis annis libertate eligendi quamcunque religionem donatae fuerint [987]) — Cum autem **Evangelici** etiam suas contra intentam omnium prolium in Religione Cathalica educationem reflexiones Regiae Maiestati submittere, libertatemque praeprimis iurium exercitii religionis pro se allegare non dubitassent [988]): laudatus Cardinalis Primas nova Repraesentatione dd. 7. Octobr. 1790. ad Regem exarata, rursum animadvertit: per admittenda sine omnibus cautelis matrimonia mixta id certo certius sequuturum, ut mater quidem acatholica proles in Fide Catholica alioquin numquam sit educatura, mater vero catholica easdem in confessione, quam scit veram non esse, aeque educare non possit, sicque funestissima consectaria profluere debere. [989])

---

987) Mon. 326. pag. 578.

988) Mon. 827. pag. 579.

989) Mon. 328. pag. 579.

§. 254

Resolutio Regia de prolibus patre catholico genitis semper in Religione Catholica, matre vero catholica progenitis nonnisi illis, quae sexus foeminei sunt, catholice educandis. Contraria sensa Catholicorum in id consentire nolentium, ut Resolutio isthaec in Legum tabulas inferatur.

Terminatis inaugurationis solemniis, Rex objectum Religionis, uti promiserat, peculiari Resolutione dd. 7. Novemb. 1790. decidit, et speciatim de matrimoniis disparis religionis constituit: *ut proles, dum pater est catholicus, omnes absque sexus discrimine, religionem catholicam patris sequi teneantur; si autem mater fuerit catholica, proles quidem foemellae in religione matris educandae sint, proles vero masculae patris confessionem sequi possint;* indicatus porro causarum matrimonialium mixtarum, cum de veri nominis Sacramento agatur, Sedibus Spiritualibus Catholicorum deferatur [990]). Resolutio haec Regia, quod tum in universum multos favores in praeiudicium dominantis Religionis Catholicae Protestantibus concesserit, tum quoad rem mixtorum matr. in specie non exiguam eidem dominanti Catholicae Religioni iniuriam intulerit, Catholicos admodum contristavit: qui etiam in Repraesentatione dd. 30. Novembr. 1790. sensa sua in obversum praeattactae Resolutionis candide aperuerunt, confitendo: *„grave praeiudicium Religioni suae infligi, quum praeter mentem et tenores Pacificationum proli masculae indulgeatur, ut, si mater catholica fuit, religionem patris sequi possit, contra principia evidentissima infallibilis Religionis Catholicae".* Cardinalis Primas quoque qua scripto, qua verbo in frequentibus Conferentiis plures adversus Resolutionem Regiam formabat animadversiones, palam confitens: punctum XV. Resolutionis de educatione religionaria prolium principiis catholicis repugnare, ac idcirco iam tempore Augustae M. Theresiae declaratum fuisse, quod matr. mixta ab Episco-

990) Mon. 329. pag. 580. — *Acta Comitiorum. No. 38. pag. 262. ss.*

pis haud aliter admitti possint, quam datis praevie per partem acatholicam Reversalibus. In Conferentiis die 6. Dec. 1790. Status Catholicorum unanimi consensu determinavit: punctum laudatum Resolutionis nonnisi tunc in tabulas legum inferendum esse, si ita modificatum fuerit: ut omnes proles semper in Religione Catholica educentur. Quod ipsum Catholici ope Repraesentationis dd. 7. Dec. 1790. ad Regiam Maiestatem dimissae eo addito declararunt: Resolutionem Regiam et Religioni Catholicae in Regno Hungariae Constitutionali perquam derogare, et ex illa correlationem Statuum ad invicem, ipsinsque Corporis Politici consistentiam facillime simul ac periculose mutari posse. — In Conferentiis porro 7. 9. et 13. Decembr. 1790. in Paliatio Primatiali asservatis nonnulli instar medii obtinendae coalitionis proponebaut quidem, ut personae differentis religionis occasione ineundi matrimonialis contractus pacta incremento Fidei Catholicae deservitura celebrare qaeant; verum Clerus Catholicus constanter declaravit: se in alia pacta et contractus, quam quorum ope universa soboles in Fide Catholica educanda stipuletur, consentire haud posse. In hoc rei situ, siquidem in Sessionibus Diaetalibus 7. et 9. Decemb. 1790. habitis Catholici Resolutionem, in praeiudicium Religionis Catholicae multa continentem in Legum tabulas inferri recusarent, Evangelici contra eandem in sua integritate in formam Articuli redigi postularent: per Repraesentationem Statuum et Ordinum dd. 10. Dec. 1790. totum negotium pro ulteriori decisione Regiae Maiestati substratum fuit. 991)

§. 255.

Altera Resolutio R. in qua munus assistendi matr. mixtis Parochis Catholicis defertur, nulloque sub protextu matrimonia talia impedienda esse, cavetur.

Repraesentationibus Catholicorum adversus Resolutionem Regiam de 7. Nov. 1790. item Remonstratione Statuum

991) *Diarium Comit. p. 272. ss. — Acta. Comit. p. 419.*

ac Ordinum, qua totum hoc religionis negotium Regiae Maiestatis decisioni substernebatur, Viennae in pertractationem sumtis, Regia quidem Cancellaria in propositione sua dd. 23. Dec. 1790. fundamento ex illo, quod relate ad prolium educationem maxime ad ius patriae potestatis respiciendum veniat, hocque ius per normam in Resolutione Regia de 7. Nov. 1790. contentam cum commodis Religionis Catholicae bene cambinatum sit, demum in ipsis expressionibus suis praeallata Resolutio peculiarem Rel. Catholicae favorem tribuat, opinabatur rem totam in tenoribus prioris Resolutionis relinqendam esse. Ast in Conferentiis 24. Dec. 1790. et 15. Januar. 1791. sub Praesidio *Archi-Ducis Francisci* (qui dein Leopoldo in Regimine successit) habitis Resolutio prior quoad normam quidem de religionaria prolium educatione stabilitam porro quoque in statu suo relicta, quoad quaepiam tamen puncta ita modificata fuit: *ut matrimonia mixta semper coram Parocho Catholico ineunda, et impedimenta eisdem nullo sub praetextu ponenda esse*, declararetur. Cuiusmodi modificatione per Regiam etiam Maiestatem ratihabita, dd. 18. Januar. 1791. nova in merito Religionis ad Status et Ordines Regni dimissa est Resolutio Regia, in articulum legis referenda. [992])

§. 256.

Ex Repraesentationibus Jurisdictionum contra Resolutionem Regiam in merito religionis ad Regem exaratis peculiariter notanda Repr. Comitatus Saarossiensis dd. 27. Januar. 1791.

Non tantum Status Praelatorum et aliorum Catholicorum in Diaeta congregatorum, verum aliae quoque singulares Jurisdictionis Comitatuum adversus Resolutionem Regiam, magnis multisque favoribus Protestantes prosequentem, meritorias suas ad Thronum Regium depromebant reflexiones, eo collimantes: ut ostendatur, favores illos Protestantibus ultra legum tenorem, et in praeiudicium unius salvificae Religionis Catholicae concedi, funestaque con-

992) Mon. 330. pag. 581. — *Acta Comit. No. 69. p. 512.*

sectaria habituros. Ex Repraesentationibus huiusmodi unam pro omnibus nominamus eam, quam Comitatus Saarossiensis ex Generali sua Congregatione dd. 27. Januar. 1791. ad Suam Maiestatem Regiam dimisit, admodum energicam, et quemadmodum parte ex una siuceri studii, quo Status et Ordines Provinciae huius in defensionem Fidei Catholicae exarserunt, testem, ita parte ex altera multis titulis summopere commendandam: quippe in qua singula puncta Resolutionis Regiae de 7. Nov. 1790. resummuntur et demonstrari intenditur: omnia et Singula, quae in Resolutione ista pro exercitio religionis Protestantibus conceduntur, in derogamen Religionis ac Ecclesiae Catholicae vergere; speciatim autem ad punctum de matr. mixtis animadvertitur: longe salubrius pro tranquillitate quoque domestica familiarum provisum iri, si mixta connubia prorsus interdicerentur, tanto magis, quod matrimonia haec ad libertatem exercitii Confessionis Protestanticae haud pertineant, quippe ex sententia Protestantium tamquam meri civiles contractus et nequaquam sacramenta. [993])

§. 257.

Articulus Legis in merito matr. mixtorum, non obstante contradictione Cleri, in sensu Resolutionis Regiae concinnatus et sanctione Regia munitus.

Resolutione Regia posteriori in merito Religionis ad Status et Ordines Regni perlata, cum ea non modo nullum levamen rei, per Clerum et Catholicos, ut vidimus, strenue propugnatae, adferri, sed in Sessione Diaetali 56. die 8. Febr. 1791. celebrata de eadem in formam Articuli Legis redigenda agi videret Cardinalis Primas: suo et totius Cleri nomine dd. 8. Febr. 1791. solemnem adversus quosvis Tractatus in Comitiis istis in negotio Protestantium habitos, atque adversus condendum Articulum Religioni Catholicae, et iuribus ac immunitatibus ecclesiasticis quomodocunque praeiudicantem, interposuit Contradictionem, una declarando: ex subscriptione Articulorum huius

993) Mon. 331. pag. 581.

Diaetae nullo modo consensum Cleri ad Articulum religionarium inferri posse [994]). Licet autem huic Contradictioni nonnulli Seculares quoque Catholici accesserint, ea tamen non obstante, Articulus in negotio religionis Resolutioni Regiae conformiter concinnatus, in Comitiis publicatus, sanctioneque Regia munitus in legem XXVI. Comitiorum a. 179⁰/₁. abivit: vi cuius nimirum *proles e mixtis matrimoniis, nullo sub praetextu impediendis, et semper coram Parocho Catholico ineundis, si pater fuerit catholicus, omnes in Rel. Catholica educandae erant, si vero mater sit catholica, masculae tantum religionem patris sequi poterant* [995]). Atque hic est Articulus ille, instar *Magnae Chartae* Protestantium habitus, qui deinceps in pertractandis quaestionibus matr. mixtorum normam posuit.

---

2. De praxi, quae in celebratione matr. mixtorum post legem anni 179⁰/₁. viguit.

§. 258.

a) De Reversalibus post legem quoque suo in vigore relictis, et per Regimen manutentis.

Licet lex religionaria anni 179⁰/₁. matrimoniis mixtis nullo sub praetextu impedimenta poni, sed illa semper coram Parocho Catholico iniri caverit, ac una religionem, quam proles e talibus connubiis susceptae ac suscipiendae sequi debeant, clare determinaverit: ex parte nihilominus Ecclesiae Catholicae porro quoque certae *cautiones* in celebratione mixtorum idgenus matrimoniorum adhibebantur. Harum praecipuae erant R e v e r s a l e s de prolibus utriusque sexus in Fide Catholica educandis a sponsis Protestanticis exigi solitae. Cum nimirum laudata lex id contingat, ut, dum pater est acatholicus, proles masculae eius religionem sequi *possint:* Reversales per legem minime abrogatas

---

994) Mon. 332. pag. 584. —
995) Mon. 333. pag. 585.

esse, pronum erat concludere; unde reipsa connubia mixta etiam post legem illam cum Reversalibus potissimum contrahebantur: quas ipsum Regimen Civile insigniter manutenebat. Sic iam *Leopoldus* Rex, sub quo lex toties memorata pro favore Protestantium condita erat, per Resolutionem *Comitatui Zoliensi*, et *Civitati Breznobányensi* dd. 17. Nov. 1791. intimatam decrevit: usum Reversalium, lege haud abrogatum, ultro conservandum esse, sed sic, ut omnis absit coactio, ac proinde subtrusae, extortae, aut mox post initum matrimonium reclamatae Reversales pro invalidis habeantur [996]). Porro *Franciscus*, qui Leopoldo successit, memorabili Intimato dd. 25. Sept. 1792. diserte enunciari fecit: *Reversales per legem anni 179⁰/₁. nequaquam abrogatas, earumve vigorem ultro conservandum esse* [997]). At hoc Intimatum in Comitatibus, ubi Evangelici praevalent, ingratam excitavit sensationem, pluresque provocavit Repraesentationes, in quibus exponebatur: leges interpretandi potestatem soli Diaetae reservatam, hincque cautum esse, ne Regnum Hungariae per Rescripta et sic dictas Patentales gubernetur, porro lege religionaria anni 179⁰/₁. quasvis Resolutiones, imo et leges Pacificationibus Viennensi ac Lincensi contrarias sublatas haberi, proinde etiam Reversalium tamquam unice Resolutionibus innixarum et perraro e libera voluntate descendentium vim ac vigorem cessavisse [998]). — Interea principia huiusmodi adversus Reversales per Jurisdictiones Comitatuum proposita *Cancellaria Regia* egregie refutabat, Resolutio Regia autem dd. 12. Febr. 1793. tam Comitatibus quam Dioecesanis intimata, et illam priorem de 25. Sept. 1792. explanans, eam fecit provisionem: ut deinceps Reversales quolibet in casu decisioni Regiae via Consilii Regii substernantur [999]). Quod, docentibus Tabulariis Episcopalibus, eo cum effectu praestitum est: ut non modo

996) Mon. 334. pag. 586.

997) Mon. 335. pag. 587.

998) Ex Comitatibus contra Reversales maxime pugnarunt: *Pestiensis* ope Repraes. dd. 17. Nov. 1792. et *Bereghiensis* dd. 26. Nov. 1792.

999) Mon. 336. pag. 588.

Reversales in genere per crebras Resolutiones Regias manutentae, sed parentes in obversum Reversalium proles in acatholica confessione educantes Processibus quoque ad implementum illarum Regio Jussu conventi ac puniti fuerint. — Omne vero dubium de valore et usu Reversalium etiam post legem anni 179⁰/₁. retinendo sustulit Resolutio Regia dd. 12. Octobr. 1807. disponens: *ut in casu, quo pater est catholicus, nullae Reversales acceptentur, cum ceteroquin omnes proles catholice vi legis educari debeant; in casu autem quo pater est acatholicus, Reversales eiusdem de prolibus utriusque sexus in Fide Catholica educandis sponte motuque proprio, et citra ullam coactionem aut persuasionem datae acceptentur, cum iuxta art. 26. a. 179⁰/₁. proles masculae patre evangelico genitae eius religionem sequi possint quidem, sed non debeant* [1000]). Nec obstitit huius Resolutionis vigori Repraesentatio nonnullorum Comitatuum, signanter **Pestiensis** dd. 28. Januar. 1808. id ostendere satagentium, quod Reversales per legem anni 179⁰/₁. manifeste abrogatae existant [1001]); nam in Rescriptis Regiis, ad similes Comitatuum Repraesentationes editis, uti exempli causa in illo ad Com. Pestiensem dd. 12. Mart. 1808. diserte declaratum est: Reversales coactas duntaxat spiritui legis religionariae adversas, e contra spontaneas per eandem legem minime abrogatas esse. [1002])

§. 259.

b) De modo assistendi matrimoniis mixtis per Parochos Catholicos observato.

Alterum, quod de praxi post legem religionariam anni 179⁰/₁. quoad celebrationem matr. mixtorum observata notandum venit, est *modus assistendi* his matrimoniis, quae scilicet semper *coram Parocho Catholico* ineunda esse, lex praecepit. Equidem prout antea sub regimine Mar. Theresiae, dum ma-

---

1000) Mon. 337. pag. 589.

1001) Mon. 338. pag. 590.

1002) Mon. 339. pag. 592. — Vel ex iis, quae de Reversalibus per Regimen mox post conditam legem religionariam ann.

trimonia mixta nonnisi sub conditione Reversalium inire licuit, Parochi ritu Ecclesiae consueto matrimoniis his assistebant, illaque benedicebant, ita post legem quoque religionariam coniugia mixta cum Reversalibus inita alioquin benedicebantur per Parochos; sed fatendum est, ritum istum benedicendi etiam tunc adhibitum fuisse in Regno Hungariae, dum nullae per Sponsos acatholicos praevie praestitae fuerant cautiones super catholica prolium educatione. Modum hunc celebrandi mixta matrimonia, eademque indiscriminatim benedicendi, principiis Ecclesiae Catholicae oppido repugnantem partim defectui congruae instructionis Praesuleae post conditam et publicatam legem religionariam pro directione Sacrorum Curionum deserviturae adscribimus, partim illi circumstantiae, quod verba legis: „*coram Parocho Catholico*" eo sensu accepta fuerint, ut matr. mixta semper Parochus ritu alias in celebratione connubiorum consueto copulare et benedicere sit obstrictus. Et reipsa copulationem matr. mixtorum per Parochos Catholicos absque discrimine suscipiendam complura Regia iusserunt Intimata: speciatim illud dd. 9. Augusti 1792. Parochos eo invians, ne copulationi sponsorum mixtae religionis praecise ex eo, quod sponsus vel sponsa acatholici ad amplectendam Religionem Catholicam se difficiles exhibeant, impedimenta ponant [1003]); item alius dd. 9. April. 1799. de copulatione ob non praestitas Reversales haud deneganda. [1004]) — Cum tamen prohibitio legis de impedimentis matrimonio mixto nequaquam ponendis nonnunquam eo plane extenderetur, ut nec ob neglectam a parte catholica *Sacram Confessionem* copulatio licita differri vel negari potuerit: ad huiusmodi Intimata Or-

---

179⁰/₁. manutentis diximus, apparet: in errore versari Auctorem libelli: *Historia Ecclesiae Evangelicae Augustanae Confessioni addictorum in Hungaria universe, precipue vero in Tredecim Oppidis Scepusii. Halberstadt. 1830.* pag. 95. s. asserentem: Reversales et lege et Intimatis ex ann. 1792. et 1793. prohibitas, primum a. 1807. restitutas fuisse.

1003) Mon. 340. pag. 593.

1004) Mon. 341. pag. 593.

dinariatus Hungariae ex strictissima sui muneris, suaeque in rebus religiosis potestatis conscientia repraesentationes in obversum adornaudas censuerunt. Id constat nominatim de Vicario Agriensi, qui per Intimatum Consilii Regii dd. 17. Aug. 1802. ad copulationem sponsorum diversae religionis ob non peractam a sponsa catholica Confessionem Sacramentalem tantisper dilatam mox peragendam inviatus, ope Repraesentationis dd. 10. Octobr. 1802. doctrinam Ecclesiae Catholicae de matrimonio tamquam Sacramento vivorum, in statu gratiae suscipiendo, praeclare, evolvit, Parochosque ob neglectam a Sponsis Catholicis Confessionem copulationem denegantes id, quod ratio officii ab ipsis exigit, facere declaravit. [1005]) Idem fecisse constat Episcopum Rosnaviensem in Repraesentatione dd. 4. Mai 1821. pari in merito ad Consilium Regium dimissa, id praeprimis evolvente: a Concilio Tridentino non tantum suaderi sed praecipi, ut sponsi ante matrimonium Sacram peragant Confessionem. [1006])

§. 260.

e) De recopulatione Sponsorum mixtae religionis dum copulatio per Ministrum Protest. facta fuit.

Tertium in praxi circa connubia mixta post legem anni 179%. observandum est: Recopulatio sponsorum mixtae religionis. Pars nimirum ea legis anni 179%. quae matrimonia mixta semper *coram Parochis Catholicis* ineunda disposuit, eo sensu intellecta fuit: ut, si personas disparis religionis Minister Acatholicus copulavisset, copulatio pro illegali haberetur, et recopulatio a Parocho Catholico instituenda decerneretur: quod etiam tunc observari debuit, dum personarum contrahentium pars altcrutra Ritui Graeco-non-Unito addicta erat, nam ad quaestionem per *Episcopum Csanadiensem Emericum Christovics* dd. 30. Octobr. 1792.

1005) Mon. 342. et: 343. pag. 594. 595.
1006) Mon. 344. pag. 597.

eatenus positam Intimato dd. 31. Dec. 1792. decisum est: copulationem personarum mixtae religionis etiam tunc, dum pars alterutra Graecum-non-Unitum Ritum profitetur, ad Parochum Catholicum pertinere, frustraque in obversum per Episcopos Graecos Canonem quempiam de copulatione semper a parocho sponsae peragenda allegari. [1007] — Necessitatem recopulationis Sponsorum mixtae religionis Resolutio Regia dd. 26. Aug. 1806. circulariter intimata, diserte praescripsit, regulas pro quibuslibet casibus opportunas una proponens. [1008] Cum autem adversus Resolutionem hanc plures Comitatus, et cum primis *Thuróczienis* reflectiones posuissent [1009]: nova Resolutione primum quidem Comitatui Thuróczienis dd. 16. Januar. 1807. [1010] dein circulariter omnibus Jurisdictionibus dd. 6. Octobr. 1807. [1011] intimatum fuerat: Recopulationem non ideo ordinari, quasi matrimonium inter personas Evangelicae Confessioni addictas copulante Ministro Evangelico invalidum apud Catholicos haberetur; sed ideo, ut matrimonium, quod inter personas diversae religionis in obversum legis a Ministro Evangelico illegitime copulatum exstitit, legitimum evadat, securitatique prolium ex tali connubio suscipiendarum prospiciatur. [1012]

1007) *Protocoll. Dioec. Csanadiensis de anno. 1792. et 1793.*

1008) Mon. 345. pag. 598.

1009) Mon. 346. pag. 600.

1010) Mon. 347. pag. 603.

1011) Mon. 348. pag. 604.

1012) *Consistorium Agriense* in merito instituendae recopulationis personarum mixtae religionis anno 1810. sequentes cautelas praescipsit: a) ut in trinis promulgationibus tali occasione semper dispensetur, b) ut, in quantum fieri potest, omnia quae ex parte sponsi aut sponsae catholicorum ad Sacramentum digne suscipiendum requiruntur, agantur; si tamen contingeret, partem catholicam usque adeo renitentem et obfirmatum animum gerere, ut nullis seu monitis sive adhortationibus et consiliis Parochi ad salutaria subsidia amplectenda flecti inducique se patiatur, recopulatio quidem exemplo illorum temporum, quibus olim sponsi ambo quoque acatholici per parochum catholicum matrimonio iungebantur, non differatur, *benedictio tamen Sponsorum omittatur.*

§. 261.

Episcopi Rosnaviensis Antonii B. Andrássy insignis constantia et apostolica fortitudo in defensione Ecclesiae Catholicae doctrina et iurium Episcopalium, occasione peculiaris casus mixti matrimonii a. 1794. et sqq. contestata.

Instar Supplementi ad Epocham III. proponimus insigne exemplum apostolici zeli ac libertatis, quod in propugnanda quoad rem matrimonialem catholica doctrina et asserendis iuribus Episcopalibus, ultimo superioris Seculi decennio praebuit celeberrimus Rosnaviensium Praesul Antonius L. B. Andrássy [1013]). Rei gestae seriem ex Tabularii Dioecesani Rosnaviensis Actis, et praesertim ex memorabili *Repraesentatione* Cleri Rosnaviensis super ea ad *Cardinalem Primatem a Batthyán* dd. 28. Mart. 1797. dimissa [1014]), plene licuit nobis eruere. Contigit nimirum a. 1794. ut vir quidam catholicus cum persona Helv. Confessioni addicta, et a viro suo aeque Helveticae Confessionis ex defectu consensus et implacabilis odii per Sedem Judiciariam Comitatus Neogradiensis divortiata, matrimonialiter iungi cupiens, sui copulationem apud Episcopum urgeret; cuiusmodi postulato quum Episcopus tamdiu deferre recusaret, donec causa haec divortialis per altius forum revisa, et, siquidem ductu etiam Art. 26. 179%₁. Episcopi nullitatem vinculi coniugalis per fora civilia enunciatam agnoscere nequaquam tenerentur, sibi quoque pro inspectione et ulteriori examine exhibita fuerit: desiderio Praesulis iustissimo, et in Sacris Canonibus ita prout in lege patria fundato minime acquiescens sponsus, coram Parocho proprio, quum sub specioso praetextu ad domum suam vocavit, et in praesentia duorum testium declaravit: quod ipse personam memoratam in uxorem suam accipiat, haecque vi-

1013) Praesulem hunc a praeclaro et prorsus heroico animo in tuenda Ecclesiae Cath. doctrina ac libertate identidem iam celebravimus. cf. §. 241. 246. 248.

1014) Mon. 349. pag. 606.

cissim enunciavit, se illi nubere, elicitove hac ratione reciproco in matrimonium consensu vir personae huic, tamquam uxor eius esset, cohabitare non dubitavit. Scandalosum et temerarium hunc convictum Praesul vigilantissimus e medio sublaturus, primum partem catholicam paterne monere, tum levata voce pastorali corripere necessarium duxit: monitis vero ac correptionibus in vanum recidentibus, die 8. August. 1794. ad Clerum suum circulares dimisit literas super eo: quod antelatus vir, qua notorius concubinarius, donec concubinam dimiserit, in sensu legum Ecclesiasticarum in Sacramento Poenitentiae nequaquam possit absolvi et a S. Mensa repelli debeat; insuper Clerum Curatum hortatus est, ut populum fidelem de fidei capitibus circa matrimonium in Syn. Tridentina propositis sedulo instruat, quo omnes ac singuli intelligant, per neminem Catholicorum agnosci posse nullitatem vinculi coniugalis a Judicio Civili secundum principia Protestantica assertam. [1015]) Re per sponsos et Jurisdictionem Civilem ad Thronum Regium delata, Episcopo primum revocatio Circularium iniungebatur, sed cum id salva conscientia ab se fieri prorsus nequire intrepidus Praesul profiteretur: ad audiendum verbum Regium Viennam evocatur, et non obstante favorabili ipsius Regiae Cancellariae super eo, quod, prout Evangelici ad actus conscientiae suae adversantes cogi nequeunt, ita nec Episcopi conscientiae vis inferenda sit, opinione, nomine Regio denuo ad retractandas Circulares provocatur: verum data ad Regiam Majestatem energica Repraesentatione, se id nullo modo facere posse, facturumque numquam esse invicta fortitudine declaravit. [1016]) Imperator igitur per Resolutionem dd. 14. Dec. 1796. Episcopum ad obtemperandum mandatis Regiis sequestratione bonorum temporalium indilate stringi iubet: quo comperto Episcopus datis ad Regni Palatinum literis, pronissimam suam ad sequestrationem bonorum, et ad quidvis aliud patiendum voluntatem testatus est, se enim varitati Catholicae

---

1015) Mon. 349. *Provoc. sub A.* pag. 618.

1016) *Provoc. sub B.* pag. 619.

id debere aiebat, ut non tantum docendo ac agendo, sed etiam patiendo testimonium illi perhibeat; relictaque die 9. Februar. 1797. Residentia Episcopali, ad Claustrum PP. Franciscanorum se contulit, indeque Dioecesim gubernavit. [1017])

Post hunc eventum Capitulum et Clerus Dioecesis Rosnaviensis memorabilem illam, quam superius laudavimus, ad Cardinalem Regni Primatem dimisit Repraesentationem: in qua, praemissa succincta rei gestae serie, item solenni subjectionis obsequiique erga Regiam Majestatem in illis, quae civilis sunt ordinis, professione, sensa sua de praesenti objecto matrimoniali, quod scenae usque adeo tragicae occasionem praebuit, candide et liberrime enunciat, duabus cumprimis veritatibus catholicis insigne testimonium perhibendo: nimirum a) quod legitimi consummatique coniugii vinculum nulla humana potestate solvi possit, b) quod quaestiones de vinculo matrimonii ad examen et discussionem Jurisdictionis Ecclesiasticae pertineant. In harum veritatum comprobationem adferunt in sua Repraesentatione Rosnavienses duas memorabiles *Pii VI.* PP. literas: alteram ad Ducem Würtembergicum, ad Episcopum quemdam ditionum Austriacarum alteram. [1018]) In *priori* Summus Pontifex hortatur Principem, ut a connubio cum persona per tribunal heterodoxorum a primi coniugii vinculo soluta desistat; in *posteriori* Episcopo eam dat instructionem, quod sententiae de vinculi matrimonialis dissolutione per fora secularia et Consistoria Acatholicorum latae nullius sint roboris ac momenti, sed prius ad examen revocandum veniat, an non aliquod canonicum impedimentum dirimens intervenerit, e quo nullitas matrimonii declarari possit.

1017) cf. *Rosnyói Egyházi Töredékek. VIII. Rosnyón. 1839. p. 47. ss.* — Juxta seriem rei gestae in opusculo isto ex Actis genuinis Tabularii Dioecesani desumtam et propositam corrigenda sunt ea, quae de captivitate et reclusione Episcopi ad Claustrum Franciscanorum in Ephemeridibus Darmstadtiensibus: *Allgemeine Kirchenzeitung 1838. No 109.* et *187.* vulgata fuerunt, refutata iam in *Sion. Augsburg. 1838. No. 139.*

1018) Mon. 349. *Provoc. sub C.* pag. 622. et 624.

§. 262

Literatura ex Epocha III.

387. 388. Ex seculo superiori unicum opusculum de matr. mixtis e professo tractans nobis innotuit: *Reflexiones in Resolutionem Regiam de educandis in Fide Cath. mixtae religionis matrimonii prolibus*, Moguntiae, uti fingitur, a 1793. editum. Auctor libelli, valde multa contra Catholicos in primis ob assertum: *fidem catholicam solam esse salvificam* profert, mandata vero Regia Protestantibus odiosa Cleri motu, neglectis aliis omnibus Reipublicae necessitatibus ac institutis, etiamsi illa plurium civium fortunas tangerent, expediri ait: quorum in numerum refert Resolutionem de a. 1792. quae Reversalibus super educatione catholica prolium mixtae religionis matrimoniorum vigorem tribuit; de his censet, objectum illarum et impurum esse, et illicitum, cum sit in obversum iuris naturalis, et contra omnes iusti, aequi et boni regulas. — In libellum hunc plures reflexiones vulgavit *Parochus* quidem, ut se nominavit, *Cis-Montanus* a 1793 et detexit: Auctorem prioris opellae ideo, quod ampliora Judicatu Nobilium subsellia, malis licet artibus et cum perturbatione unius Regni Provinciae virorum quaesita, adipisci nequiverit, furentem in Catholicos calamum striuxisse. Refellit cuncta auctoris huius dicteria, et dogmate de una salvifica Ecclesia propugnato, Resolutionem anni 1792. de Reversalibus tamquam iustam ac aequissimam defendit.

389. 390. In historia literaria de matr. mixtis silentio praeterire haud possumus opus posthumum Gregorii Berzevitzy, supremi Evangelicorum August. Confess. Cis- et Trans-Tibiscum inspectoris, sub hoc titulo: *Nachrichten über den jetzigen Zustand der Evangelischen in Ungarn. Leipzig. 1822.* in lucem editum. In eo Auctor, malo in Ecclesiam Catholicam animo, productis plurimis casibus religionariis, in quibus illustres zeloque apostolico pleni Ecclesiarum Antistites pro munere suo et fundamento legis

ac Resolutionum Regiarum proles e parentibus mixtae religionis genitas in Fide Catholica educari procurabant, eosdem casus in deterrimam partem detorquet, et summa temeritate, grandique summorum Ecclesiae Praesulum, ac Regni Dicasteriorum cum derogamine persuasum pergit: Clerum Hungariae cum Dicasteriis non modo in legis religionariae, sed ipsius adeo patriae Constitutionis subversionem intoleranti livore ac persecutione ad Evangelicorum in Hungaria internecionem conspirasse. Signanter quoad mixta matrimonia pag. 73. ssq. haec adhuc profert: Josephum II. Imp. ex nobili fine uniendarum Christianarum Confessionum matr. mixta protexisse; at illo mortuo mixtas nuptias factas esse pomum dissidiorum, copulationem illarum arbitrio Parochorum Cath. relictam, in Reversalibus plurimos abusus commissos, quae insuper ex se invalidae sint, cum parentes careant iure confessionem religiosam prolium suarum in praeiudicium libertatis earumdem et convictionis pro tota vita determinandi, Reversales denique per legem anni 179⁰/₁. abrogatas fuisse, nonnisique per sophisma e lege ista aequitatem earum evolvi posse. — Contra auctorem operis huius, per Regimen alioquin gravissime prohibiti, et in plurimis exemplaribus mox suppressi, in arenam descendit Dr. Laurentius Hohenegger, *Beleuchtung der Gregor v. Berzevitzy'schen Schrift: Nachrichten etc. Gran. 1825.* et prolatis adversus ipsam historicam deductionem Auctoris quoad fata Protestantium in Hungaria plurimis animadversionibus, ad ea, quae idem contra doctrinam Ecclesiae Cath. de matr. mixtis, atque praxim Hungaricae Ecclesiae adstruxit, pag. 125. ss. sequentia observat: Ecclesiam iustissime et rationibus ex gravissimis mixtas nuptias reprobare ac prohibere, nec rationis tantum postulata, sed ipsam experientiam pro eius parte pugnare; Reversales vero alioquin tantum illas, quae libere dantur, acceptari in Hungaria, easque extradandi perfectum ius habere Protestantes, bonaque conscientia dare posse; nec esse easdem ex se invalidas, cum post superatos annos discretionis cuilibet, transitum ad Aug. vel Helv. Confessionem petenti,

talis, servatis de lege et consuetudine servandis, et e rationibus sufficientibus concedi soleat. [1019]

EPOCHA IV.

A discussione quaestionis de matr. mixtis in Comitiis a. $18\frac{25}{27}$ et sequentibus usque ad eventum recentissimum Coloniensem.

§. 263.

In Comitiis a. $18\frac{25}{27}$ et 1830. inter gravamina religionaria praeprimis Reversales de prolibus mixti matrimonii in Religione Catholica educandis relatae.

Quod *Comitatus Saarosiensis* in celebri sua Repraesentatione a. 1791. in merito Religionario ad Imp. ac Regem Leopoldum directa [1020] praedixerat, Protestantes scilicet favoribus per Resolutionem Regiam, in Articulum quoque

---

1019) Recensiones: Besnard, *Literaturzeitung für die Kath. Geistl. XX. Jahrg. 1829. IV. B. p. 178.* — Benkert, *allgemeiner Religions- und Kirchenfreund. 1830. p. 334.*

1020) cf. §. 256.

legalem subin relatam, quoad meritum religionis ipsis concessis nequaquam contentos futuros, sed plura adhuc subin postulata propposituros esse: id reipsa eventu comprobatum est. Concessionibus enim Articuli 26. a. 179⁰/₁. minime contenti Protestantes, non tantum ampliores adhuc favores postulare, sed id plane desiderare pergebant, ut conditio eorum religionaria ad parem cum illa Regnantis Principis et Status, nimirum Catholica ponatur. Hinc profectae sunt multiplices illae Repraesentationes, quas partim a Superintendentiis immidiate, partim medio Jurisdictionum Comitatensium ad Dicasteria Regni et ad ipsum Thronum Regium adversus Resolutiones Regias in materia religionis dimittebant Protestantes, in iisque tam reflexiones contra Regia intimata formabant, quam nova postulata ultra ea, quae lex anni 179⁰/₁. eisdem attribuit, proponebant. Postulatorum horum in formam systematicam redactorum seriem Acta Comitiorum Regni a. 18²⁵/₂₇. exhibent: nam inter *Gravamina et Postulata*, quae Deputatio Regnicolaris, adhuc per Art. 67. a. 179⁰/₁. exmissa, collegit, et in Sessione Diaetali diei 30. Novembr. 1825. retulit, sequens occurrit Nr. XXXII. „de prolibus mixti matrimonii et materia religionis Evangelicorum" per Jurisdictiones partium Regni *Cis-Danubianarum* propositum: quod in materia religionis saepe saepius differentes intervenire soleant Resolutiones Regiae, ob earumque difformitatem in specie in casibus mixti matrimonii proles prius conceptas ac per subsequens matrimonium legitimatas semper in religione matris, etiamsi pater alteri, Evangelicae nempe addictus sit, educari eveniant; ideoque ad evitandas collisiones fixa quaepiam principia pro edendis in negotio religionis Resolutionibus praestitui oportere eaedem Jurisdictiones censebant. Jurisdictiones vero partium *Trans-Tibiscanarum* id querulose exponebant, quod negotia religionaria Evangelicorum utriusque Confessionis partim in mixtis matrimoniis, partim in casibus transitus ad aliam religionem crebro haud iuxta praescriptum Art. 26. a. 179⁰/₁. tractari experiantur. [1021]) Postulatis his et gravaminibus in

1021) *Acta Comitiorum a.* $18\frac{25}{27}$ *Posonii T. 1. p. 415.*

Sessione Diaetali 3. Febr. 1827. in pertractationem assumtis, Status opinabantur: Reversales tamquam illegales abrogandas esse; Comitatus vero *Zepliniensis* Nuncius projectavit: proles e matr. mixtis semper in religione patris educari debere. — Postulata Evangelicorum in Comitiis a. 1830. Sess. 36. die 14. Dec. 1830. celebrata rursus in deliberationem sumta et praecipue contra usum Reversalium exceptiones formatae existiterunt [1022]): sed nec sub prioribus, nec sub his Comitiis ulla catenus edita fuit Resolutio Regia, resque tota in priore suo situ permansit.

§. 264.

In Comitiis a. 183²/₆ quaestio de Reversalibus, Recopulatione, et Judicatu causarum matrimonialium denuo suscitata, diu discussa, sed plena inter Tabulas Statuum, et Procerum coalitio minime obtenta fuit.

In prioribus duobus Regni Comitiis praeludia duntaxat continebantur acris illius tempestatis, quam adversus praxim ac disciplinam Ecclesiae Hungaricae, mixta connubia penes Reversales de catholica prolium utriusque sexus educatione copulandi, item contra Recopulationes horum matrimoniorum, dum eadem coram Ministro Evangelico iniri contigit, demum adversus Judicatum causarum matrimonialium Sedibus Sacris Cathol. addictum Diaeta a. 183²/₆. excitavit. Magna animorum contentione agebatur res ex utraque parte: multaque inter utramque Tabulam, Statuum quippe et Magnatum, *Nuncia* et *Renuncia* de modificationibus articuli religionarii a. 179⁰/₁. signanter autem respectu quoque connubiorum mixtorum in favorem Protestantium suscipiendis intercesserunt [1023]). Ex mutuis his Nunciis ac Renunciis praecipua solum commemoramus. Primum e Sessione XV. die 8. Febr. 1833. celebrata ad Proceres

---

1022) *Diarium Comitiorum a. 1830. pag. 232. ss. — Acta Comit. 1830. p. 306. ss. 465. 510.*

1023) cf. *Diarium et Acta Comitiorum a. 183²/₆. Tom. 1. et 2.*

transmissum a) *Reversales* universim abrogari proposuit, velut conventiones Pacificationibus Viennensi et Linciensi, item legi religionariae a. 179⁰/₁. contrarias, parentum praeterea libertatem circa educandas proles coarctantes, proles ipsas annos discretionis attingentes naturali legalique iure religionem quam velint sequendi exuentes, sed et substrato prorsus carentes. Idem Nuncium ad stabiliendam inter cives Regni perpetuam harmoniam, exemplo aliarum Europae Provinciarum, legum patriarum tenori non minus quam spiritui aevi opportunum id fore censuit: si statueretur, proles quasvis e matr. mixtis, quemadmodum patris in omnibus conditionem sequuntur, ita religionem quoque patris usque annos discretionis sequi debere; b) *Recopulationes* mixtorum matrimoniorum, ceu in lege a. 179⁰/₁. haud memoratas, praeterea Confessionis Evangelicae principiis adversantes, et inamoenis quoad legitimitatem prolium ante recopulationem susceptarum quaestionibus ansam praebentes, sufferri projectavit; c) Demum quoad *Judicatum* causarum in matr. mixtis id commendavit: ut ad casum divortii perpetui quoad torum et mensam per Sedes spirituales Catholicorum pronunciati pars evangelica novum matrimonium inire valeat [1024]). — Verum Proceres ad projecta Statuum neutiquam accesserunt: sed in Renuncio suo e Sess. XXXIX. dimisso observarunt: Reversales nec cum lege a. 179⁰/₁. pugnare, nec, si spontanee ac libere edantur, sufferri posse; principium vero, ut proles e matr. mixtis semper patris religionem sequantur, tamquam legi et Religionis Catholicae doctrinae adversum, nequaquam probari, Judicatum denique Sacrarum Sedium in causis matr. mixtorum numquam eousque extendi posse, ut pars evangelica ad ineunda nova vota matrimonialia libera pronuncietur, cum apud Catholicos omne matrimonium sit indissolubile. Ad id nihilominus se accedere Proceres declararunt: ut pro futuro Reversales omni vigore destitutae enuncientur, et Recopulationes in eo casu, quo Minister Evangelicus bona fide ac sine fraudis vel doli interventu copu-

---

1024) Mon. 350. pag. 626.

lavit, omittantur [1025]). — Reflexiones Procerum per Tabulam Statuum haud acceptatae, sed per alterum Nuncium nova in primis contra Reversales argumenta proposita fuerunt, praecipue autem id, quod, quum una tantum pars contrahentium sit libera, quippe Reversalibus semper nonnisi in favorem Religionis Catholicae extradari queuntibus, eae pro veri nominis pacto haberi non possint [1026]). Cum vero nec Proceres a sua sententia recederent, sed oppositis novis animadversionibus argumenta Statuum refellere niterentur [1027]); nec Status a principiis ac postulatis suis vel in minimo deflecterent, iisdemque se constanter inhaesuros solenniter profiterentur [1028]): factum est, ut, non obstantibus pluribus Nunciis ac Renunciis, coalitio inter duas Tabulas nequaquam obtenta, totumque negotium religionis sepositum fuerit.

§. 265.

Sub decursu Comitiorum anno 183²/₆. Episcopi Quinqueecclesiensis et Rosnaviensis fideles suos de vetitis ab Ecclesia nuptiis mixtis Catholicorum cum haereticis edocent: ob idque non exigua adversus eosdem movetur tempestas.

In historia Epochae IV. matr. mixtorum reticere non possumus memorabilem eam circumstantiam, quod Episcopi *Quinqueecclesiensis* Ignatius L. B. Szepesy, et *Rosnaviensis* Joannes Scitovszky per Encyclicas ad Clerum literas, ex incidenti Jubilaris Indulgentiae a Summo Ecclesiae Pontifice Gregorio XVI. ad implorandum Divinum auxilium indictae et concessae, a. 1833. dimissas, fideles ab ineundis matrimoniis mixtae religionis dehortandos iusserint. Posterior in primis in Encyclica sua litera dd. 9. Maii 1833. doctrinam Ecclesiae Catholicae de vetitis eiusmodi nuptiis,

1025) Mon. 351. pag. 629.
1026) Mon. 352. pag. 631.
1027) Mon. 353. pag. 633.
1028) Mon. 354. pag. 635.

sequentibus gravissimis verbis Clero suo et per hunc fideli populo proposuit: „Ex erroneo de Matrimonii Sacramento sensu, Ecclesiae filios faciles esse ad ineunda cum *haereticis* connubia, quae juxta Benedictum XIV. Ecclesia Catholica semper reprobavit, et juxta Pium VII. ob perversionis periculum, quod parti catholicae, prolibusque inde imminet, Sancta Dei Ecclesia incessanter fuerat aversata; demum indifferentismo animos fidelium occupante, invaluisse *iniquissimam* illam inter Catholicos et haereticos coniuges conventionem, ut mascula proles patris, foemina matris religionem sequatur, et taliter funestam christianae educationi perniciem induci, palam adversando ipsis Religionis Catholicae principiis, quae cum una sit sancta, una vera, una divina, ceteras quaslibet reiicit professiones, neque id committere potest, ut ex nuptiis sua auctoritate conciliatis proles succrescat, quae in Christi grege non censeatur." Gravissima haec de vetitis nuptiis mixtis institutio Praesulea, quae in reliquo ipsis verbis Summorum Pontificum concepta est [1029]), et praesertim adhibitum in ea *haereticorum* vocabulum vehementer displicuit Protestantibus: qui plane ope Repraesentationum ad Thronum Regium per Superintendentias suas directarum, adversus Episcopos laudatos, quod Protestantes acrius perstrinxerint, et haereticos compellaverint, expostulare non dubitarunt. [1030]) Quae res occasionem una praebuit agitandae illius quaestionis: *an non ordinationes Episcoporum, quibus Clero et Populo Dioecesano, vel saltem parti utriusque novae obligationes imponuntur, quaeve in publicas Status correlationes influxum habent, antequam ta-*

1029) Verba illa desumta sunt ex Constit. *Benedicti XIV.* dd. 4. Nov. 1741. „Matrimonia, quae in locis"; item e Brevi *Pii VII.* ad Vicar. Hommer dd. 23. April. 1817. et dd. 31. Oct. 1819. demum ex Encycl. *Leonis XII.* ad Epp. dd. 19. Dec. 1825. Vid. Monum. 60. pag. 49. — Mon. 138. et 139. pag. 164. 166. — Mon. 160. pag. 197.

1030) Adversus Encyclicam *Episcopi Rosnaviensis* charta dentata vulgata est anno 1838. in Ephemer. *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt 1838. No. 109.* sed in: *Sion, Augsburg. 1838, No. 139.* refutata. cf. *not. 1017.*

les scripto vel in typo edantur, Placeto Regio *submittendae sint*? Verum posteaquam per nonnullos DD. Dioecesanos, super quaestione hac praevie sententiam depromere iussos, libertas Ecclesiasticae Potestatis in iis, quae ad doctrinam et sacra pertinent, insigniter propugnata fuisset, nulla ulterior de Encyclicis Praesulum Placeto Regio subiiciendis quaestio formata exstitit. 1031)

1031) Repraesentatio adversus Placetum R. per *AEppum Agriensem* dd. 9. Maii. 1834. ad Thronum Regium dimissa sequentis erat tenoris: „Muneris Episcopalis indoles non minus quam independentiae, qua Potestas spiritualis et temporalis suo modo utraque gaudent, ratio postulat: ut Episcopi plena, commissos sibi fidelium greges in spiritualibus gubernandi, libertate perfrui, ordinationesque suas ad Clerum Populumque Dioecesanum, citra ullam praeviam censuram, edere permittantur. Quemadmodum enim inde ab origine Ecclesiae nostrae ex divina institutione ad Episcopos semper spectabat potestas Verbum Divinum suis in Dioecesibus praedicandi, aliis ad hoc ipsum faciendum licentiam dandi, salutarisque Ecclesiae disciplinae observantiam adurgendi, ac eam pro rerum ac temporum necessitate novis etiam statutis communiendi: ita ius quoque de eo decernendi, num huius vel illius doctrina viva voce prolata fidei ac bonis moribus, nec non, quantum ad disciplinae capita, universalibus aut particularibus Ecclesiae Hungaricae canonicis sanctionibus sit conformis vel minus, ac proinde ius de eadem doctrina fidei ac morum, si typis vulganda sit, sententiam ferendi, muneris Episcopalis institutioni adnatum est. Episcopi porro, hoc praesertim tempore, quo tanta sentiendi, loquendi, et scribendi libertas, tanta librorum perniciosorum copia invaluit, dum multa sacrosanctae Religionis nostrae mysteria in dubium vocantur, et adversarii motiva verae religionis ac christianae caritatis, tollendorumque abusuum praetexunt, dum disciplinae ecclesiasticae per increscentem quotidie prave sentiendi ac vivendi libidinem tot tantaque inferuntur vulnera: vocationi suae tunc nonnisi bene respondere poterunt, si illis, quos quippe ipsa muneris Pastoralis ratio supremos posuit morum arbitros, plena et irrestricta tum de rebus fidei ac morum dicendi, tum ea, quae ad sempiternam creditorum curae suae gregum salutem opportuna fore in Domino iudicaverint, ordinandi, potestas reliquatur, ipsique taliter in hac quoque divini sui muneris parte officio suo imperturbate uti sinantur. — Independentia potestatis spiritualis a temporali id ipsum summopere efflagitat. Si enim Encyclicae Episcopales inspectioni Civili primum submittendae sunt, ac proinde prius, quam a Principe Civi-

§. 266.

Controversia Episcopi Rosnaviensis cum Comitatu Gömöriensi quoad matr. mixta. a. 1836. et 1837.

Multo acrior erat priori ea tempestas, quam *Jurisdictio Comitatus Gömöriensis* adversus *Episcopum Rosnaviensem Joannem Scitovszky*, Pastorem pro saluta gregis sui vigilantissimum, ex capite matrimoniorum mixtae religionis a. 1836. et sequenti excitavit. Initium controversiae dedit que-

li discutiantur, et discussae promulgandae concedantur, fideles dioecesanos obligare nequeunt: protinus consequitur, potestatem clavium, quam Ecclesiae nostrae Auctor Deus Episcopis fecit, a Summorum Terrae Principum beneplacito pendere, itaque frustraneam esse, praesertim quod pro Catholicis Principibus quoque stet praesumtio, illos non temporalem duntaxat, verum etiam spiritualem sempiternamque populorum salutem promotam cupere, huinsque officii conscientia ad disponenda cuncta, quae hunc in finem opportuna putaverint, obligari. Alioquin etiamsi eae duntaxat Episcoporum Encyclicae Placeto substernendae forent, in quibus novae sivoClero sive Populo obligationes imponerentur, haec ipsa obligatio necessitatem subin importaret omnes sine discrimine Episcoporum Circulares praeviae politicae inspectioni substernendi, quo diiudicari possit, an non fortassis eaedem novam quampiam in se contineant dispositionem. — Horum iam motivorum consideratione ducti Divi Hungariae Reges publica quoque pro libertate ecclesiastica in subversante merito posuerunt testimonia, in legibus Patriae nostrae, Regumque Decretis obvia. Signanter S. Stephani Decr. lib. II. cap. 2. disertis verbis enunciatum legitur: „Episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas providere, regere, et gubernare atque dispensare secundum canonum auctoritatem." Item Colomanni Decr. lib. I. cap. 65: „Episcopus solus habeat potestatem in Ecclesia." Juxta Tit. IX. Prol. Trip. „statutum seculare conctra libertatem Ecclesiarum diuturnam nec non statuta, quae salutem animae respiciunt, non valet." Et in genere ex spiritu tenoreque legum nostrarum videre est: Reges nostros, si quas in materiis mero spiritualibus leges condiderant, has duntaxat prioribus canonicis sanctionibus superinduxisse, neque profocto inde a condito Regno Episcopos libertate ferendi et exequendi statuta ecclesiastica privare voluisse. — Nec id pro adserendo iuro Inspectionis Civilis Gubernii intuitu Encyclicarum Episcopalium adduci potest, quod ordinationes Episcoporum in publicas Status

rela, quae adversus unum alterumve e Parochis C. Gömöriensis matrimonia inter Catholicos et Protestantes praetensive impedientes, copulationemque personarum mixtae religionis tantisper differentes, Jurisdictioni antelati Comitatus dd. 12. Sept. 1836. pro medela substrata est. Qua occasione in Generali Congregatione Statuum Provinciae Gö-

correlationes suum influxum habere possint, consequenter saltim illae, queis novae obligationes Clero Populoque Dioecesano imponuntur, prius quam publicentur, Placeto R. submittendae esse censeantur. Dum enim de Episcopis in genere praesumendum est, eos et ampliori religione, et vocationis suae sanctitate continuo eo duci, ut non solum ipsi nil in leges civiles committant, verum etiam populo sibi credito cum aliarum virtutum, tum praecipue fidelitatis et devotionis erga Principem et Regnum exemplo praeeant: idem profecto de Episcopis Hungariae quuque iure hocque magis supponere licet, quod ipsi legislationis civilis partem capere jussi, avitarumque institutionum bene gnari nihil omnino seu per se seu per alios admissuri sint, quod vel Regiae Auctoritati, vel Regni constitutionibus quaqua ratione officeret; demum Imperio Civili numquam desunt meda, illos, qui his non obstantibus exerrare dignoscerentur, ad obsequium revocandi. — Porro cum Episcopi tum vi sui muneris, tum etiam e praescripto Resolutionum Regiarum sint omnium Scriptorum rem Cath. Religionis concernentium censores: minime congruum esse videtur, ut, quibus incumbit invigilare, ne quid fidei, moribus, ac disciplinae Ecclesiae dissonum ab aliis vulgetur, ipsi non sine auctoritatis suae derogamine Pastorales suas Literas praevie Politicae Jurisdictionis censurae substernant. Sane si quoad Evangelicos vigore Art. 26. a. 179⁰⁄₁. §. 4. statuitur, ut in rebus religionis unice a suis Superioribus dependeant; si eiusdem Art. §. 5. disponitur, ut Evangelicorum libri religionem concernentes per Censores e medio eorum deligendos revideantur, neque huiusmodi libri ulteriori censurae unquam substernuntur; si denique Evangelicorum Superintendentes ac ipsi etiam Graeci R. non Uniti Episcopi ad concernentes animarum pastores literas suas circulares libere et absque ulla altiori inspectione dimittere possunt: evidens est, conditionem Episcoporum Catholicorum hoc sub respectu ac quantum ad spirituale suorum regimen, sorte Superintendentium ac G. n. U. R. Episcoporum longe deteriorem futuram esse. E quibus rationum momentis censeo: Episcopos penes pristinam, ac per ipsum etiam Augustum Josephum 2. Imperatorem intacte relictam in dimittendis ad Clerum et Populum Encyclicis libertatem ultro quoque relinquendos esse." . .

möriensis enunciatum est: apud Clerum Catholicum universim iam invaluisse abusum, ut matrimoniis mixtis omnia, quae tantum cogitari possunt, ponantur impedimenta, nec secus illa admittantur, quam sub conditione conversionis partis protestanticae, vel reversalium de catholica prolium utriusque sexus educatione. Igitur Comitatus ad Praesulem dedit literas, ut Clerum Curatum a ponendis impedimentis quoad matr. mixta inhibeat. Cumque ad hanc provocationem Praesul nil responderet, e Congregatione die 11. April. 1837. alterius ordinis literis dimissis, iam et poenas Parochis copulare personas mixtae religionis detrectantibus infligendas minabatur idem Comitatus. Respondit ad literas utriusque ordinis Episcopus dd. 10. Junii 1837. ea, qua decebat, gravitate, et apostolica libertate: primum quidem adspersam Parochis violati Articuli religionarii matr. mixta impediri vetantis labem ab iisdem amoliendo, tum contra iudicatum Comitatus in personas ecclesiasticas exerceri intentum solenniter protestando, demum doctrinam Ecclesiae Catholicae intrepide enunciando, in iisque, quae religionis sunt, irrestrictam pro se suoque Clero libertatem vindicando. Responso Episcopi offensum se existimans Comitatus e Generali Congregatione 11. Dec. 1837. ad Regiam Maiestatem contra eundem repraesentavit: Episcopum ceu legum divinarum aeque ac humanarum contemtorem et violatorem, publicae tranquillitatis turbatorem, hominum non aeque secum sentientium osorem et persecutorem, ipsius adeo Regiae Maiestatis vilipensorem magna cum emphasi verborum et stylo admodum vehementi coram Throno Regio adducendo; in primis autem tria haec Episcopo et Clero Curato obiiciendo: a) quod in obversum articuli 26. a. 189$^{0}/_{1}$ matr. mixtis nunc ad sacra evangelica linquenda, nunc ad reversales extradandas partem evangelicam stimulando, impedimenta ponat; b) quod iurisdictionem Comitatus in personas ecclesiasticas universim neget; c) quod Bullas Pontificias sine Placeto Regio publicaverit: quorum ex obtutu contra Episcopum congrua in sensu legum disponi supplicat idem Comitatus. — Repraesentatione Comitatus cum Episcopo via Consilii Regii dd. 15. Maii 1838. scopo exhibendae clarificato-

riae declarationis communicata, Episcopus depostam praestitit et dd. 26. Nov. 1838. Regiae Maiestati substravit declarationem, in eaque ostendit: quam infundate, et posthabito iustitiae sensu, quantisve cum detorsionibus gravissimam et atrocissimam contra se clerumque suum Comitatus fecerit expostulationem. Speciatim quoad objectionem de impedimentis celebrationi matr. mixtorum positis, producit Praesul doctissimus fidedigna documenta, ex iisque ad lucis meridianae claritatem adducit: homines, eosque utplurimum Protestantes ad fassiones in causa propria contra Clerum Catholicum promendas attractos omnia poene a vero alliena locutos fuisse; cum per Clerum nulla, sub ictum legis religionariae cadentia, impedimenta mixtae religionis coniugiis posita fuerint; — proponit dein doctrinam Catholicam de nuptiis mixtis ab Ecclesia constanter reprobatis; et cum interea Comitatus Gömöriensis e Gen. Congregatione sua dd. 18. Jun. 1838. ope singularium literarum circularium populum de legalitate matr. mixtorum edocendum, simulque id disposuisset, ut sponsi diversae religionis apud concernentem parochum catholicum semet insinuaturi semper duos testes adhibeant, sique a parocho pars acatholica seu ad amplectendam fidem catholicam, sive ad dandas reversales provocaretur, hoc ipsum mox Judici Nobilium pro ferenda medela detegant: hanc quoque circumstantiam Episcopus in sua repraesentatione pro merito perstringit, et pleno cum candore a Regia Maiestate exorat: ut praedictae Comitatus Currentales cassentur, privilegium fori Clericalis legibus etiam patriis expressum sed per Comitatum evidenter posthabitum et laesum Regia auctoritate sustentetur, indifferentismus religiosus in literis Comitatus ad Regiam Maiestatem directis evidenter defensus perstringatur, idemque Comitatus a principiis Religionis Catholicae subsumendis ot vellicandis inhibeatur. [1032])

1032) Mon. 355. pag. 637. — Juxta genuinam rei huius inter Episcopum et Comitatum controversae historiam ex Repraesentatione Episcopi clare propositam corrigenda sunt ea, quae de eadem in Ephemeridibus: *Allgemeine Kirchenzeitung. Darmstadt. 1838. No. 187—189.* et: *1839. No. 201. 202.* minus sincere, et vehementi contra Praesulem stylo vulgabantur.

§. 267.

Literatura ex Epocha IV.

391. 392. Quemadmodum in Literatura prioris Epochae [1033]) opusculi de statu Evangelicorum in Hungaria a *Gregorio Berzevitzy* editi mentionem fecimus: ita in Literatura praesentis Epochae quartae praeterire silentio haud possumus paris argumenti libellum: **Ferd. Friederich**, *vertraute Briefe über die äussere Lage der evangelischen Kirche in Ungarn. Leipzig 1825.* in quo status religiosus Protestantium Hungariae in forma epistolari proponitur, et cum in aliis punctis, tum in capite de mixtis matrimoniis praxis Ecclesiae Catholicae vellicatur, Protestantesve ultra tenores legis religionariae a. 179⁰⁄₁ per Clerum Catholicum et Regimen vehementer premi, adstruitur [1034]). — Libellus hic eundem quem opus Gregorii Berzevitzy, nactus est oppugnatorem, munere suo insigniter functum, **Laurentium Hohenegger** [1035]), *Bemerkungen über Ferdinand Friederich's vertraute Briefe über die äussere Lage der evangel. Kirche in Ungarn. Gran. 1828.* [1036])

393. **Gózony György** (D. Albaregalensis Presbyter.) *szózat: milly kilátás, minő lépés Katholikus és Protestansra nézve a' Vegyes Házasság? Székes-Fejérvárott. 1835.* erudite non minus quam solide refellit ea, quae in favorem matrimoniorum mixtorum proferri solent; porro enumerat pericula salutis, in quae pars catholica tam sui quam prolium respectu se coniicit, ostendit item, partem Protestanticam, etiam spectatis suae confessionis placitis, in id tuto consentire posse, ut proles omnes in Religione Ca-

---

1033) cf. §. 262. No. 389.

1034) Recensio: *Leipziger Literatur-Zeitung. 1826. No. 102. p. 813.*

1035) cf. §. 262. No. 390.

1036) Recensiones: Benkert, *allgemeiner Religions- und Kirchenfreund. Würzburg. 1830. p. 334. 344. ff.* — Besnard, *Literatur-Zeitung für die kath. Geistlichkeit, 1829. IV. B. p. 178. 180. ff.*

tholica educentur; demum Reversales seu transactiones de prolibus utriusque sexus catholice educandis inter coniuges disparis religionis, multis ex obtutibus defendit.

394. Franc. Szkalnik, Canc. Hon. et Paroch. Svedlér. in Dioec. Rosnav. *de mixtis matrimoniis paraenesis ad Catholicos. Leutschoviae. 1835.* Egregium opus de hoc argumento: in quo primum demonstratur, in mixtis matrimoniis finem coniugii perfecte non obtineri; tum argumenta adversus coniugia ista ex ratione non minus quam Revelatione praeclare evolvuntur, objectiones adversariorum solide refutantur; demum energica ad Catholicos paraenesis continetur, salutaribus monitis ab ineundis matr. mixtis dehortantibus plena; atque universim commendatur: ut ad exemplum Ecclesiae Graecae, quae Can. 72. C. Trullani matr. mixta pro invalidis declaravit, lex quoque civilis eadem si non invalida, adminus illicita statuat, quo sic iis, alioquin numquam ex zelo religionis aut studio pietatis iniri solitis, interdictis ad pacem ac harmoniam inter diversae religionis, eiusdem tamen regionis concives conservandam conferatur, multarum querelarum occasio praecidatur, et pacis turbationum radix evellatur. [1037])

1037) In Literatura Epochae IV. commemorari insuper possunt duo libelli: alter anno quidem adhuc 1825. ex fontibus Msscriptis concinnatus, sed primum a. 1830. editus: *Historia Ecclesiae Evangelicae Aug. Confessioni addictorum in Hungaria universe, praecipue vero in tredecim oppidis Scepusii. Halberstadt. 1830.* — alter post Comitia a. 183$^{2}/_{6}$. typis Lipsiensibus procusus: *Die Religionsbeschwerden der Protestanten in Ungarn, wie sie auf dem Reichstage im J. 1833. verhandelt worden. Von Elias Tibiscanus. Leipzig. 1838.* Utriusque scopus fuit: statum religiosum Protestantium in Hungaria sic describere, ut lectores ad compassionem super deploranda jeorum conditione provocet.

EPOCHA V.

Ab eventu Coloniensi usque exitum anni 1841.

I. Historia eorum, quae usque Comitia Regni a. 18$\frac{39}{40}$. celebrata ex incidenti eventus Coloniensis gesta sunt.

§. 268.

Eventus Coloniensis in Hungaria quoque salutaria produxit consectaria. Primus ex Praesulibus Regni erat Magno-Varadinensis Lat. Ritus, qui matr. mixta, sine praestitis cautionibus, ab Ecclesia Cath. defideratis inita, benedici prohibuit.

Quae in Regno *Borussiae* circa matrimonia mixtae religionis annis 1837. et 1838. gesta sunt, sed praesertim iteratae Summi Ecclesiae Pontificis *Allocutiones*, queis omnem praxim quoad ineunda connubia mixta praeter aut contra veteris Ecclesiae institutum ab Apostolica Sede multiplici occasione confirmatum invalescentem damnavit: nec Regni Hungariae Clerum latere poterant, sed in eius quoque corda potenter agebant, avidissime exspectantem, ut Episcopi, qui fidei depositum ex munere divinitus eisdem collato defendere tenentur, iteratis Visibilis Ecclesiae Capitis declarationibus conformes circa matrimonia mixta edant Instructiones, tanto magis, quod, uti suo loco diximus, in

Hungaria etiam praxis invaluerit, eadem matrimonia tunc quoque ritu Ecclesiae consueto benedicendi, dum cautelae, per Ecclesiam pro matrimoniis huiusmodi praescriptae, nequaquam praestitae fuerant. Primus fuit Episcopus Lat. Rit. Magno-Varadinensis Franciscus Laitsák, qui matrimonia sponso Acatholico, et sponsa Catholica, non obtenta valida sponsione de prolibus utriusque sexus catholice educandis, promiscue benedicendi consuetudinem identidem expendens, et conscientiae suae angores ferre diutius non valens, Allocutionibus Summi Pontificis in causa Borussica admonitus, et moniti S. Pauli: „depositum custodi" memor, Literas Pastorales dd. 15. Martii 1839. ad Populum Dioecesanum dimisit: in iisque institutionem in re matrimoniorum mixtae religionis, qua essentialem et constitutivam Doctrinae Fidei Catholicae partem, fidelibus spirituali suae curae commissis hoc praesertim tempore gravissimis ex rationibus summe necessariam, impertitus est, quam etiam per Parochos ad communem omnium notitiam medio publicae ex Sacro suggestu annunciationis perferri iussit: probe perspiciens, privatam et quasi occultatam in hoc Religionis negotio agendi rationem certo certius suspicionem et inquietudinem aliter sentientium excitaturam. In Pastoralibus his Literis Apostolico zelo plenus Praesul, fideles suos sacrae unctionis plena voce et libertate catholica instruit: foederis coniugalis, quod Deo placeat, et ad salutem animae ducat, primam praecipuamque conditionem esse *fidei unitatem*; nec posse Ecclesiam aliud foedus coniugale materno cum gaudio intueri, illique sacramentalem suam benedictionem impertiri, quam ex quo tum fidei verae custodiam, tum verae religionis conservationem et incrementum sperare licet; porro tristes matr. mixtorum sequelas tam respectu felicitatis coniugum aeternae ac domesticae, quam relate ad religiosam educationem prolium exponit, et Ecclesiae Catholicae constantem de matrimoniis istis reprobatis, nec nisi sub certis conditionibus, tum partis catholicae tum prolium salutem in tuto ponentibus, admissis proponit, candideque declarat: omne id, quod praeter, aut contra hanc Ecclesiae Catholicae doctrinam et

§. 269.

In Dioecesi Neosoliensi Parochi praxim promiscue benedicendi matr. mixta ocyus corrigi, et Declarationibus Sedis Apostolicae conformari pluribus Repraesentationibus apud Praesulem suum sollicitabant a. 1838, et 1839.

Prius adhuc, quam Episcopus Magno-Varadinensis Pastorales literas ad fideles, et Instructionem ad Parochos in negotio matr. mixtorum dedisset, in Dioecesi Neosoliensi plerorumque Districtuum Decanalium Parochi ex incidenti eventuum Coloniensis ac Posnaniensis quaestionem de praxi promiscue benedicendi mixtas nuptias, quam regulis Ecclesiae per Summum Pontificem repetitim declaratis haudquaquam conformem esse ultro perspexere, apud Ordinariatum formaverunt. Acta, quae hoc in merito in Dioecesi Neosoliensi intervenere, in historia recentissima mixtorum coniugiorum memorabilem locum optimo iure sibi vindicant, cum pro praeclaro Curatorum zelo insigne praebeant documentum. Primam quaestionem posuerunt Parochi Districtus *Libethbányensis* e Congregatione sua dd. 6. Nov. 1838. repraesentando: praxim promiscue benedicendi matr. mixta, etiamsi nulla cautio ac sponsio de prolibus catholice educandis praecesserit, tum in dogma Ecclesiae de una ac sola salvifica, tum in pervetustam disciplinam offendere, ac proinde optandum esse, ut quo ocyus auctoritate Ordinariatus disponatur, ne Curati absque speciali eiusdem licentia mixtas nuptias, in quibus cautela nulla de prolium educatione catholica intervenit, benedicere praesumant [1041]). Verum cum ad positam per Parochos quaestionem ea dd. 30. Nov. 1838. emanaret *Resolutio Episcopalis*, „ut usus semisecularis virtute Articuli 26. a. 179⁰/₁. benedicendi matr. mixta etiam sine praestita de prolibus utriusque sexus ca-

---

prodiit sub titulo: *Eugen von Beöthy und der Bischof von Grosswardein. Altona. 1840.*

1041) Mon. 358. pag. 663.

tholice educandis cautione porro etiam conservetur, idque hoc magis, quod in Regno Hungariae matr. mixta lege Regni admissa, nulla vero Concilii Oecumenici lege vetita, plane reprobari et damnari haud possint"[1042]): Parochi altera vice supplices Episcopo facti sunt, ut, quum quaestio haec non ex obtutu civili ac politico, sed praeferenter ecclesiastico pensanda, lex vero Ecclesiae matrimonia catholicorum cum haereticis prohibens nec nisi sub certis cautelis admittens tum ex Canone Concilii Gen. Chalcedonensis, tum in Patria ex canone Synodi Nationalis Posoniensis a. 1309. certa sit: accomodam inviationem circa qualiter celebrandas mixtas nuptias impertiri velit [1043]). At neque hac vice aliud rescriptum est ab Officio Dioecesano parochis: quam quod eousque, donec universaliter quidquam hoc in merito constitutum fuerit, satius sit usui immemoriali insistere, quam per denegationem benedictionis partem catholicam ab Ecclesia prorsus abalienare; porro sub quaestione adhuc positum esse, an Canones Conc. Chalcedonensis et Posoniensis ad Evangelicos tardioris aevi applicari possint [1044])? Quare Curati tertia quoque vice repraesentarunt, candide iam declarando: se in conciliandis mixtis nuptiis in posterum Constitutiones Summorum Pontificum omnimode servaturos, nullamque legum civilium quoad spiritualia in collisione cum sacris Ecclesiae canonibus praecedentiam agnituros [1045]); et siquidem nec ad tertiam repraesentationem desideratum a Praesule obtinuissent responsum, sed et nunc ad obtutus politico-ecclesiasticos relegati fuissent [1046]): data postrema remonstratione, in qua disciplinae Ecclesiae circa matr. mixta fundamentum praeclare evolverant, suam ad Decreta Apostolicae Sedis adhaesionem denuo solenniter professi sunt, seque iuxta il-

---

1042) Mon. 359. pag. 665
1043) Mon. 360. pag. 666.
1044) Mon. 361. pag. 672.
1045) Mon. 362. pag. 673.
1046) Mon. 363. pag. 677.

la unice in matr. mixtorum celebratione processuros declararunt. [1047])

2. Historia eorum, quae quoad matr. mixta in Comitiis a. $18\frac{39}{40}$. acta sunt.

§. 270.

In Comitiis a. $18\frac{39}{40}$. quaestio de matr. mixtis denuo assumta, et ex incidenti recentissimorum eventuum cum in Borussia, tum alibi, et signanter in nonnullis Hungariae quoque partibus sese evolventium maiori, quam unquam alias, animorum contentione agitata, atque quoad quaepiam puncta coalitio etiam inter duas Tabulas, Statuum quippe ac Procerum obtenta fuit.

In Comitiis Regni, quae ad diem 2. Junii. 1839. Posonium indicta, et usque 12. Maii. 1840. celebrata fuere, multa acta sunt: quae in historia matrimoniorum mixtorum valde notabilem locum occupant. Tabula nimirum *Statuum ac Ordinum* Regni, negotium religionis, et speciatim meritum quoque mixtae religionis connubiorum, in prioribus iam Diaetis, praecipue in postrema de an. 183⅚. discussum, sed ob non secutam inter duas Tabulas, Statuum quippe et Procerum, coalitionem, sepositum denuo in pertractationem Diaetalem assumsit, atque e Sessione 56. die 9. Novemb. 1839. celebrata non tantum sublationem quorumlibet gravaminum religionariorum, cumprimis autem abolitionem Reversalium de educatione catholica utriusque sexus prolium e connubiis mixtis genitarum apud Proceres potenter ursit, verum in specie id etiam proposuit: *ut ma-*

1047) Mon. 364. pag. 678. — Exemplum Parochorum Districtus Libethbányensis sequuti sunt aliorum Districtuum Curati, signanter Distr. *Neosoliensis* dd. 6. Nov. 1838. tum dd. 30. April. et 5. Nov. 1839. porro *Breznobányensis* dd. 5. Maii. 22. Oct. 1839. et 2. Jun. 1840. repraesentationes suas ad Ordinarium dimittentes.

trimonia mixta ineundi plena concedatur libertas, cum per ea mutuus inter homines diversarum Confessionum religiosarum amor insigniter promoveatur; porro *ut ope legis in his Comitiis ferendae determinetur*, *proles e connubiis mixtis omnes absque discrimine sexus in religione patris educari debere*, *post annos vero discretionis religionem*, *quam velint*, *profiteri posse*; pariter ut *recopulatio* personarum mixtae religionis abrogetur, poena in Curatum, qui illam suscipere praesumeret, constituta; tandem ut in processibus divortialibus pronunciata pro divortio ad torum et mensam sententia, parti evangelicae liberum sit nova inire vota matrimonialia [1048]). — Tabula *Procerum*, quemadmodum sub Comitiis a. 183²/₆. [1049]) postulatis et proiectis Statuum de modificationibus quoad articulum religionarium a. 179⁰/₁. suscipiendis meritorias opposuit reflexiones: ita ad praesens Nuncium eorumdem Statuum minime accessit, sed quoad sublationem Reversalium etiam pro praeterito id speciatim animadvertit: ea plurium familiarum et generationum tranquillitatem perturbatum iri, atque incongruum esse, ut, dum pars Catholica sub conditione Reversalium matrimonium mixtum ineundo eidem exacte satisfacit, pars altera ab huiusmodi obligatione penitus liberetur [1050]). — Non minus difficilem se exhibuit Procerum Tabula relate ad aliud Statuum ac Ordinum postulatum: ut contra *Episcopos Magno-Varadinensem* et *Rosnaviensem*, quorum prior Encyclicas ad fideles de vetitis connubiis mixtis, et Instructionem ad parochos de iisdem nonnisi sub conditione Reversalium benedicendis dimiserit; posterior autem aeque per Circulares literas diversa matr. mixtis cum per se tum per Curatos impedimenta posuerit, ea, quae iuris sunt, agantur, signanter ut ambo Episcopi Circulares suas literas retractare iubeantur, et Articuli religionarii a. 179⁰/₁. per

---

1048) Mon. 365. pag. 692.
1049) cf. §. 264.
1050) Mon. 366. pag. 695.

eosdem violati sanctimonia vindicetur [1051]). Post plures attamen, easque magna cum animorum contentione agitatas concertationes, in eo demum Tabulam inter utramque coalitum est: ut lege sub his adhuc Comitiis roganda sequentia determinentur: a) Literas reversales de educatione prolium e connubiis mixtis in quanam religione instituenda omni vigore destitui; b) matrimonia mixta, quae hactenus coram parochis catholicis sine benedictione inita fuerunt, valida, prolesve inde natas legitimas esse; c) sponsos diversae religionis in posterum semper a Ministro illius religionis, cui sponsus est addictus, copulandos fore; d) proles e talibus coniugiis in religione patris educandas esse [1052]). Projectum interim isthoc rogandae legis per Regiam Maiestatem nondum adprobatum est. [1053])

§. 271.

Exponuntur ea, quae Praesules Regni in arduo meriti religionarii situ sub decursu Comitiorum a. $18\frac{39}{40}$ ad manutenendum principium catholicum praestiterunt.

Dum res religionaria, et praeprimis mixtorum matrimoniorum quaestio, causaque Praesulum Magno-Varadinensis et Rosnaviensis in Comitiis anni $18^{39}/_{40}$. tanta, ut dictum est, animorum contentione ageretur: *Praesules Regni* sub auspiciis **Principis Regni Primatis et Archiepiscopi Strigoniensis Josephi Kopácsy** ea,

---

1051) De Episcopi M. Varadinensis Pastoralibus et Instructione superius §. 268. egimus; Rosnaviensis vero Praesul praeter ea quae vi muneris sui in merito matr. mixtorum egit, nullas Circulares literas, prout in Tabula Statuum praetendebatur, ad Clerum dimisit. cf. §. 266.

1052) Mon. 367. pag. 696.

1053) Acta quaevis ad meritum discussionum Diaetalium super objecto mixtorum matrimoniorum pertinentia reperiuntur in *Actis Comitiorum* a. $18\frac{39}{40}$ Tom. II. p. 220, 382. T. III. p. 6. 10. 104. 112. 158. 162. 304. 307. T. IV. p. 26. 28. 81. 83. 160. 194.

quae ad defendendam principii catholici causam suarum erant partium, nequaquam intermiserunt, sed potius mox in frequentibus Conferentiis apud praelaudatum Primatem habitis ea, quae Episcopalis muneris poscebat ratio, in futurum sancienda et agenda constituerunt; mox in publicis Comitiorum consessibus pro defensione Fidei orthodoxae, et praesertim catholicae quoad mixtae religionis connubia doctrinae ac universalis disciplinae in arenam descenderunt, hocve munere suo prorsus insigniter defuncti sunt. Inter ea, quae sub ipsis Comitiis edidere, praeclari apostolici zeli monumenta, referimus: a) **Enunciationem Primatis** in Sessione Diaetali 64. die 30. Dec. 1839. celebrata ex incidenti Nuncii Statuum de Reversalibus pro futuro vigore omni destituendis per Tabulam quoque Procerum acceptati factam: ope cuius Primas cum suo tum Co-Episcoporum nomine palam declaravit: *se illosque, vi muneris divinitus ipsis crediti custodiendi ac defendendi Catholicam Fidem, subseque in mixtis matrimoniis prout ex una parte legum civilium postulata, in quantum intra sphaeram propriam versantur, adimplere connisuros, ita parte ex altera in spiritualibus, signanter in sacrorum rituum administratione id acturos esse, quod Religionis ac Ecclesiae principia vere intellecta et per Sedem Apostolicam recentissime constanter defensa poposcerint.* [1054]) — b) **Repraesentationem Episcoporum ad Regiam Maiestatem** dd. 12. Januar. 1840. in qua ex incidenti attentionis publicae per Literas Pastorales Episcopi Magno Varadinensis excitatae, item Conclusi Comitialis de abolendis Reversalibus, demum diversarum ex parte Districtuum Vice-Archi-Diaconalium et singularium Parochorum interpellationum circa normam in emergentibus matr. mixtorum casibus observandam, sensa sua in Sessione Diaetali iam enunciata uberius Regiae Maiestati exponunt, idque praeprimis evolvunt: valori matr. mixtorum coram parocho catholico initorum per hoc nil decedere, quod, non praestita cautione de prole universa in Fide Cath. educanda, eadem haud benedicantur, nec in artic. 26. a. 179⁰⁄₁. per id pec-

1054) Mon. 368. pag. 697.

cari: cum parte ex una articulus hic non aliud praecipiat, quam ut matr. mixta semper coram parocho catholico ineantur, benedictionis autem velut extra sphaeram suam positae ne meminerit quidem; parte vero ex altera impedimenta per denegatam benedictionem matr. mixtis non ponantur, cum nemo impediatur, quominus etiam in casu, quo sine cautelis per Ecclesiam requisitis matr. mixtum inire vult, tale coram parocho proprio inire possit; usum demum plurium annorum pro impertienda sine discrimine benedictione matr. mixtorum frustra allegari: cum usus hic unice indulgentiae Cleri Catholici e sincero pacis colendae studio profectae, porro paucitati mixtorum matr. et vel maxime possibilitati per Reversales aut alio modo obtinendi id, quod Catholica Ecclesia desiderat, innixus fuerit. [1055]) — c) *Alteram* Repraesentationem eorumdem Praesulum sub finem Comitiorum ad Altissimum Locum dimissam, et reflexiones adversus projectum articuli novi religionarii continentem: in hac Praesules primum plura contra praetensam per Protestantes perfectam in negotio Religionis cum Catholicis aequalitatem ac reciprocitatem apposite monent, tum demonstrant: praecipua Articuli projectati puncta cum principiis Religionis Catholicae componi non posse, aut esse ei valde praeiudiciosa; signanter Reversales in principiis catholicis apprime fundari et legi patriae nequaquam repugnare, illarum proin abolitionem non esse pronunciandam. [1056]) — d) C o n t r a d i c t i o n e m P r i m a t i s adversus projectatum novum articulum religionarium in Sessione 147. die 6. Maii 1840. suo et Cleri Catholici nomine solenniter interpositam. [1057])

1055) M o n. 369. pag. 698.
1056) M o n. 370. pag. 703.
1057) M o n. 371. pag. 716.

3. De iis, quae in merito matr. mixtorum post conclusa Comitia gesta fuerunt.

§. 272.

Praesules ex Comitiis ad gremium dioecesium suarum reversi primum solidam institutionem de Sacramento Matrimonii ad Clerum Curatum dimittunt.

Quod sub Comitiis Regni die 12. Maii 1840. conclusis Praesules circa rem matr. mixtorum conformiter sensui universae Ecclesiae Catholicae per orbem dispersae decernendum et pro norma praescribendum mutuis consiliis praevie constituerunt: id post conclusa Comitia ad gremium Dioecesium suarum reversi reipsa in effectum deduxerunt. Primum et ante omnia *solidam et nervosam de Sacramento Matrimonii*, quod Apostolus in Christo et Ecclesia magnum dixit, *institutionem* ad Clerum Curatum, praeeunte Principe Primate Regni, dimiserunt. In ea qualitates coniugiis christiano-catholicis proprias praeclare evolverunt, de Ministro Sacramenti Matr. dicendo: in utraque sententia, tam illa nempe, quae ipsos contrahentes, quam ea, quae Presbyterum Sacramenti facit ministros, coniuges, modo in vera fide fundati, animoque rite dispositi, ac proinde institutioni Christi conformiter ad ineundum matrimonium accedant, gratiae sanctificantis, aliorumque Sacramenti effectuum participes reddi posse; illos e contra, qui et ipsi in vera fide vacillant, et praecipuam suam obligationem, liberos in una divina et salvifica Religione educandi, implere detrectant, et mundanis duntaxat considerationibus ducti ad nuptias convolant, seu hi suo ipsorum ministerio, sive per sacerdotem qua ministrum matrimonio iungantur, in eo statu morali constitui, ut matrimonium ipsorum possit quidem esse perpetuum ac indissolubile, sed gratiae sanctificantis aditum tales ipsi sibi praecludant. De *benedictione* demum Sacerdotis matrimonio impendenda id proponunt: hanc per sacerdotem non nutu suo, sed qua fidelem dispensatorem vi divi-

nae suae missionis impendi, ac proin eundem Sacerdotem Ecclesiae auctoritate agere, hocque suo actu matrimonium tamquam divinae institutioni, finique suo et Ecclesiae legibus consertaneum huius nomine adprobare et confirmare, eoque ipso cum rationibus rectae conscientiae, fidelisve dispensationis componi haud posse, si benedictio illis tribuatur, qui, quod suae propriae vel nasciturarum prolium aeternae salutis cura non tangantur, imo legibus Ecclesiae opposite agant, in gravi peccato ad hoc sacramentum vivorum se accedere non obscure produnt. [1058])

§. 273.

Tum dd. 2. Julii. 1840. Encyclicas ad eundem Clerum mittunt literas de matr. mixtis non aliter, quam praestita cautione super catholica prolium educatione, ritu Ecclesiae solito benedicendis.

Praeparatis per praeviam de Matrimonio institutionem animis, die 2. Julii 1840. totius Regni Praesules celeberrimas illas de mixtis connubiis vulgarunt *Encyclicas literas,* quae tantam subjn Jurisdictionum Civilium attentionem excitarunt. In Literis his Encyclicis postquam expositum fuisset, quali studio Sedes Apostolica recentissimo cumprimis tempore cautelas circa matrimonia personarum Catholicarum cum Non-Catholicis per vetustissimos Canones praescriptas exacte observari inculcaverit, abususque ac errores hac in parte invalescentes corrigere emendareque adnisa fuerit: ipsae illae cautelae uberius evolvuntur, ac tamquam in praecipuis Fidei Catholicae principiis fundatae proponuntur, deque coniuge catholico, qui, quantum in se est, futuras soboles ab Ecclesia et Religione pro unice vera ac divina agnita alienas reddit, dicitur: talem crudelem in illas esse, sublimique Sacramenti Matrimonii indoli nequaquam respondere, ac proin eundem coniugem ad Sacramentum Matrimonii digne suscipiendum minime rite dispositum, beneficiorum etiam, quae conditiones ab Ecclesia requisitas sequun-

1058) Mon. 372. pag. 717.

tur, sua se culpa facere expertem. Ut itaque Curati cautelas has in celebratione mixtorum matr. exacte observent, iisdem maiorem in modum iniungitur, argumentoque non uno ostenditur, per exactam idmodi observantiam nec in Articulum 26. a. 1790/1. impigni, cum is de administrandis ritibus Sacramenti Matrimonii velut extra sphaeram suam positis nil decernat, nec decernere potuerit; nec mixtis matrimoniis impedimenta poni, cum non obstante eo, si quis mixtum matrimonium sine praeviis cautelis contrahere cupiat, tale inire non prohibeatur aut impediatur; usum denique plurium annorum matr. mixta etiam sine praestitis cautelis ritu sacro administrandi frustra allegari, cum is non per legem civilem introductus, sed unice ex indulgentia Cleri repetendus sit. Demum diserte praecipitur: ut occasione mixtorum matr. pars cumprimis catholica solide instituatur, moneaturque: extra Fidem Catholicam non esse salutem, se igitur strictissime obligari tum ad propulsandum sua ex parte omne periculum prodendae fidei, tum ad filios in Catholica Religione educandos; si autem studia parochi in irritum cadant, declaretur: parochum lege Ecclesiae prohiberi, quominus tales nuptias quocunque ritu sacro honestet, easque benedicat [1059]. — Encyclicis literis adnexa etiam fuit *Instructio* ad parochos de modo assistendi talibus matrimoniis, quae sine cautelis ab Ecclesia praescriptis contrahi contingeret: nimirum promulgationes quidem consuetas institui, ipsum tamen matrimonium non in Ecclesia, sed in loco honesto, e. g. aedibus parochialibus, ineundum esse, per mutuam consensus coniugum declarationem, vitata omni benedictione. [1060]

§. 274.

Ulterior instructio in eodem merito Parochis data.

Praevideri potuit, plures quaestiones in merito introductae praeviae circa ineunda matrimonia mixta disciplinae,

1059) Mon. 373. pag. 720.
1060) Mon. 374. pag. 727.

quod est ad modum assistendi per Curatos observandum, ab his apud Ordinariatus formandas esse, quae in Encyclicis literis, eisque subnexa Instructione nequaquam resolutae continentur. Id reipsa evenit: unde nova et uberiori Instructione atque inviatione opus erat, qualem *Princeps Primas* Regni dd. 16. Nov. 1840. eoque praeeunte alii quoque Dioecesani ad Clerum suum ultimis anni 1840. mensibus dimiserunt. In altera hac Instructione potissimum circa duas has quaestiones opportuna tribuitur inviatio: a) *an sponsa catholica, quae sciens, masculas suas proles in Confessione Acatholica educandas esse, viro acatholico nubit, in Tribunali poenitentiae sacramentaliter absolvi possit*? b) *num mulieri catholicae post matrimonium cum viro acatholico initum benedictio postnuptialis, ac introductio in Ecclesiam post partum administrari possit*? Ad *priorem* quaestionem responsum fuit: sponsam catholicam in casu posito, in sanctiones canonicas non minus, quam in legem naturalem ac divinam gravissime peccantem, absolvi non posse, eoque praevie inviandam esse, ut in hoc statu nequidem Confessionem peragat; ast si inito matrimonio in cor suum redeat, de commissoque reatu sincere doleat, absolvendam venire. Ad *posteriorem* autem: Benedictionem postnuptialem et introductionem tam parum adhiberi posse, quam parum adhiberi potuit benedictio tempore initi matrimonii, cum utraque adprobationem auctoritate Ecclesiae factam indicet. [1061])

§. 275.

Jurisdictiones Comitatuum antesignano Pestiensi, magnam adversus Clerum ob inductam praeviam disciplinam movent tempestatem. Primatis et ceterorum Praesulum heroica in tuendis Ecclesiae iuribus, doctrinaeque catholicae principiis studia, per nonnullos Comitatus quoque, ac in his praecipue Strigoniensem, secundata.

Magnam adversus Sacros Curiones, ipsosque Praesules excitarunt tempestatem Jurisdictiones Comitatuum ob publicatam et in effectum deductam disciplinam circa matr.

1061) Mon. 375. pag. 728.

mixta praeviis Encyclicis et Instructionibus Praesulum comprehensam. Praeivit ceteris Comitatus Pestiensis, qui in Gen. Congregatione ultimis mensis Augusti 1840. diebus asservata Parochos Catholicos, qui matr. mixta hactenus usitato ritu nequaquam benedicerent, fundamento eo, quod sic agentes articulum religionarium 26. a. 179⁰/₁. matr. mixtis nullo sub praetextu impedimenta poni decernentem violarent, in causam Actore Fisco Magistratuali attrahendos, et siquidem Parochi benedictionem matr. mixtis impendere recusantes, articulumve memoratum a. 179⁰/₁. violantes legi religionariae sese diserte opponant, eosdem ductu artic. 14. a. 1647. poena 600. fl. toties quoties desumendorum mulctandos determinavit, Appellata ab huiusmodi sententia nonnisi ad Regni Comitia admissa. — Insolito hoc vigore Comitatus Pestiensis aeque ac illegalitate determinationis permotus Princeps Regni Primas primum datis die 9. Septemb. 1840. ad universos Parochos suos literis eos tum de illegalitate determinationis C. Pestiensis, tum de praepostera legis anni 1647. ad praesentem casum adplicatione uberius edocuit, atque paterne hortatus est, ne metu poenae a Comitatu intentatae a regulis principiisve catholicis divellantur, imo his firma constantia adhaerendo comprobare satagant, ea ipsis prae quibuslibet lucris vel damnis potiora esse [1062]); dein reflexe ad transmissam sibi a Comitatu determinationem memoratam, dd. 12. Novembr. 1840. ad Status et Ordines Comitatus istius memorabiles dimisit literas: in iisque solidissime evicit, determinationem praeviam Comitatus legali consistentiae Ecclesiae Catholicae in Hungaria summe adversari, et benedictionis in connubiis mixtis administrationem Legislationis civilis objectum constituere haud posse; in horum itaque nexu solennibus verbis professus est, iurisdictionem Comitatus quoad Personas Ecclesiasticas in sphaera sui officii item in res religiosas ac spirituales a se pro legali agnosci non posse, sed eidem

1062) Mon. 376. pag. 734.

tamquam Potestatis Ecclesiasticae violationi a se contradici. [1063])

Licet autem in sententiam Comitatus Pestiensis plures Jurisdictiones Comitatenses abiverint, determinationesque eidem conformes ediderint: non erat tamen eadem omnium Comitatuum mens ac sententia; imo non deerant e gremio ipsarum Jurisdictionum harum Civilium, quae pro defensione veritatis Catholicae, et Potestatis Ecclesiasticae in iis, quae religionis sunt ac sacrorum, independentia in arenam descenderunt. His praeluxit Comitatus **Strigoniensis** ex Generali suo Conventu die 14. Dec. 1840. ad Regiam Majestatem repraesentationem dimittens: cuius ope Encyclicas literas Praesulum Hungariae circa rem matr. mixtorum editas nec legibus patriis adversari, nec eum scopo et institutionibus Civitatis collidere, ac proinde sanctionem poenalem per nonnullos Comitatus pro Parochis Catholicis dictatam ad casum praesentem nullo modo applicari posse praeclare evolvit, simulque Regiae Maiestati supplicare non intermisit, ut Praesulum Regni in rebus religionis et rituum sacrorum independentiam per Comitatus aliquos in discrimen adductam, Regia sua Auctoritate tueri dignetur. [1064])

Ex Repraesentationibus, quas complures Comitatus adversus dispositiones in merito mixtorum matr. a Praesulibus Regni factas ad Thronum Regium dimiserunt, Praesuleasve ordinationes instar gravaminis proponendo medelam abinde sollicitarunt, inter Monumenta nostra referimus illam Comitatus **Zaladiensis**, quia haec ceteris palmam praeripit et ad speciem multa argumenta in se continet. In illa nimirum a) instar praeludii praemittitur, quantopere bella religiouaria Patriae nocuerint, qualiterque spiritus discor-

1063) Mon. 377. pag. 738. — Similem protestantionem et contradictionem AEpiscopus quoque Colocensis et Episcopi Vaciensis atque Alba-Regalensis ad Comitatum Pestiensem dederunt, cum ipsi plures in eodem Comitatu Parochias habeant. — Contradictionem Primatis aegerrime tulit Comitatus Pestiensis, et de Eodem plane dignitate sua privando propositionem facere, Regiaeque Maiestati eatenus repraesentare non dubitavit.

1064) Mon. 378. pag. 744.

diarum rursum exsurrexerit; b) Adstruitur: articuli religionarii a. 179$^{0}/_{1}$. dum matr. mixta semper coram Parochis Catholicis ineunda praecipit, non eum esse sensum, ut parochus duntaxat qua testis adsit, sed potius hunc, ut is qua Sacerdos vi muneris Sacramentum administret; sensumve istum praxi quoque inde a condita lege religionaria hactenus ininterrupte continuatae prorsus conformem, per eamque confirmatum esse; c) dicitur: sententiam Encyclicarum Praesulearum, quod matr. mixta sine reversalibus inita non solum ecclesiasticae, verum etiam divinae ac naturali legi adversa, seu peccata sint, iniuriosam esse tot Hungariae Antistitibus, qui eadem hucusque absque discrimine benedicenda iusserunt; d) affirmatur: legibus patriis connubia mixta protegi, dum disponunt, ne illis ullo sub praetextu impedimenta ponantur; cum autem gravissimum impedimentum sit, illa peccati instar proclamare, et personae catholicae ritum benedictionis denegare, hinc per dispositiones Praesuleas manifeste in legem patriam offendi, ipsique legi huic maculam peccati inuri; e) demum contenditur: religioso non minus quam morali respectu valde funesta fore novae per Praesules introductae procedurae consectaria, signanter matrimonii auctoritatem ac puritatem apud populum vilescere, venerationem populi erga Clerum minui, religiositatem labefactari debere. [1065]) — Repraesentatio haec Comitatus Zaladiensis innumera, uti mox in Literatura dicetur, scripta peperit.

---

§. 276.

Literatura ex Epocha V.

a) Literatura ex annis 1838 — 1840. Pauca duntaxat opuscula de matr. mixtis tractantia ex his annis commemorare licet, nimirum

395. *A' korszellem* Békeházi Incze (Beke Kristóf) *által fejtegetve. Második kiadása ezen czimü munkának: Igaz*

1065) Mon. 379. pag. 751.

é, hogy mindenben hátra vagyunk? Pesten. 1838. Auctor libelli huius magnam celebritatem consequuti Parte praesertim tertia de re matrimoniali, et signanter de matr. mixtis multa praeclare disserit, Reversales insigniter defendit, et cum singulari ad enunciationes in Comitiis a. 183⁵⁄₆. contra disciplinam Ecclesiae Catholicae factas attentione, adversus objectiones adversariorum tuetur.

396. *Die heilige Dorothea. Dichtung und Wahrheit aus dem Kirchenleben in Ungarn. Leipzig. 1839.* libellus hic ideo commemorandus, quod in decursu historiae in forma dialogi complures personas inducat de matr. mixto disserentes, quod ob reluctantiam sponsi acatholici Reversales dare nolentis non coaluerit: quo ex incidenti contra has, ex adverso vero in favorem sic dictae mitioris praxis in Hungaria invalescentis plura monet. [1066])

397. G e o r g. F e j é r, *Rationes Ecclesiae Catholicae adversus matrimonia mixta irrestricta. Augustae. Vindel. 1840.* occasionem scribendi, ut ipse Auctor fatetur, sumsit ex eventu Coloniensi, ob quem quaestio de matr. mixtis facta sit universalis, ac proin etiam sensus Ecclesiae Hungaricae palam fieri debeat. Tam historiam matr. mixtorum in Hungaria inde a temporibus Mariae Theresiae, breviter quidem, proponit, quam rationes, e quibus Ecclesia a matr. mixtis constanter abhorruerit, evolvit, ac cetera inter asserit: „vehementer erraturum eum, qui matrimonia inter Catholicos et haereticos indiscriminatim haud contrahenda, nefariaque esse, ad fidem pertinere inficiaretur: quae enim Verbo Dei fulta, communi Ecclesiae consensu aut Conc. Generalis edicto sunt proposita, ad fidem Cath. non possunt non pertinere".

398. V e s z t r ó c z y F e r e n t z, *rövid értekezés N. Pest Vármegyének 1840. évi Aug. és Nov. hónapokban tartatott Köz-Gyülései alkalmával a' vegyes házasságok' érdekében költ*

1066) Recensiones: *Allgemeine Literatur-Zeitung. Halle. 1839. E. B. No. 106. p. 848.* — *Hallische Jahrbücher. 1840. No. 282. p. 2255.* — *Theol. Liter. blat. zur Allgemeinen Kirchenzeitung. Darmstadt. 1841. p. 120.*

határozatai fölött. Esztergam. 1840. Determinationes Com. *Pestiensis* in causa matr. mixtorum in examen revocat, et a) demonstrat: easdam in nulla lege patria fundari, legesque per Comitatum productas ad casum praesentem applicari non posse; b) praeclare ostendit: de benedictione nuptiarum providere non ad Civilem, sed Ecclesiasticam pertinere iurisdictionem.

399. *Lehet é a' vegyes házasságoktúl a' beszentelést törvényesen megtagadni, vagy Reversálist elfogadni? Budán. 1840.* etiam contra determinationes C. Pestiensis: quas omni iuris legisque fundamento destitui, et nec Reversalium a sponsis mixtae religionis exactionem lege patria vetitam, ne benedictionem indiscriminatim in nuptiis mixtis adhiberi praeceptam esse, multis egregie comprobat argumentis.

---

b) Literatura anni 1841. potissimum per Repraesentationem Com. Zaladiensis provocata. Ex incidenti Repraesentationis, quam C. Zaladiensis adversus Encyclicas Praesuleas ad Thronum Regium dimisit, multa, ut superius iam innuimus, opuscula literaria decursu anni 1841. lucem publicam adspexerunt: quae in sequentibus recensere volumus.

400. *Felelet N. Zala Megyének vegyes házasságokat tárgyazó feliratára. K. J. által. Pesten. 1841.* singula puncta et adserta Repraesentationis Zaladiensis resumit et enervat: haecque duo praeprimis demonstrat: a) Episcopos Hungariae nec coeci zeli nec passionis impetu abreptos ea constituisse, quae in Encyclicis et Instructionibus eorumdem continentur, sed duntaxat principia per Ecclesiam constanter tradita in memoriam fidelium revocasse; b) Protestantes in Hungaria inde a prima lege religionaria anno. 1523. condita numquam cessavisse pomoeria sectae suae extendere, et plurima postulata in praeiudicium Religionis Catholicae proponere.

401—407. Non exigua erat pugna literaria, quam aeque Repraesentatio Zaladiensis inter C. Carolum Zay Aug. Confessioni addictum eiusdem strenuum assertorem,

et alios pro defensione principii catholici calamum acuentes excitavit. Initium pugnae dedit *anonymus Dioecesis Jaurinensis Presbyter: Vegyes házasságok' ügyében. Egy Györmegyei Pap. Századunk. 1841. No. 28.* repraesentationem Zaladiensem ea cumprimis sui parte examini subiiciendo, qua argumentis ex obtutibus religioso-moralibus petitis rem suam adversus Praesules Regni agebat. Inter cetera vero notamus sequentia adserta ab anonymo Auctore propugnata: a) Ecclesiam Catholicam non damnare in universum matrimonia mixta qua matrimonia absque ulla prorsus exceptione b) statui non posse, quasi personae catholicae mixtas nuptias ineuntes nunc primo observarent, se peccatum per contractum eiusmodi connubium commisisse, c) aeque falsum esse, quasi personae tales numquam amplius veniam peccati istuis consequi valerent, d) impium esse, adstruere, quod per dispositiones Praesulum de non benedicendis mixtis matrimoniis irreligio promoveatur. — Contra Presbyterum Jaurinensem pro defensione Repraesentationis Zaladiensis in arenam descendit Comes Carolus Zay: *általányos nézetek Zala megye vegyes házassági felirása ügyében Századunk. 1841. Nro. 34.* praeter plures adsertis prioris Auctoris obmotas reflexiones, id potissimum praetendens, quod, licet Protestantes benedictione Sacerdotis Catholici non indigeant, eius tamen in matr. mixtis denegationem tamquam dignitati suae Corporationis adversam aegre ferre merito debeant. — Verum dissertatiuncula C. Caroli Zay multorum subiit censuram: signanter Emerici Matics, *válasz Zay Károly Grófnak Századunk 34. számábani „általányos nézetek" czikkére. Századunk. 1841. Nro. 41.* et notionem, indolem vimque benedictionis sacerdotalis nuptiis impendi solitae, et principii catholici de sola salvifica rectam ideam exponentis; porro Mólnár, *czáfolati nézetek Gróf Zay Károly általányos nézeteire. Századunk. 1841. No. 46.* cuncta Comitis adserta refutantis; dein Georgii Juranits, *általányos válasz Gr. Zay Károly felléptére. Századunk. 1841. Nro. 49.* [1067]); tum auctoris anonymi:

1067) Est idem Auctor cum illo, quem supra No. 401. velut anonymum *Presbyterum Jaurinensem* recensuimus.

Általányos észrevételek grof Zay úrnak közzé tett általányos nézeteire. Századunk 1841. No. 49. plura in defensionem principiorum Ecclesiae Cath. per Comitem sugillatorum proferentis; demum Francisci Szenczy, Professoris Sabariensis, *észrevételek gróf Zay Károly általányos nézeteire. Budán. 1841.* adserta Comitis contra doctrinam Ecclesiae de una salvifica refutantis.

408. Csajághi Sándor, *Glossák N. Zala Megyének a' vegyes házasságok ügyébeni felirására. Europai hirü Rotteck Károly nézetei szellemében. Pesten. 1841.* [1068]) egregie refutat cum ea, quae historice, tum illa, quae dogmatice ac iuridice in Repraes. Zaladiensi proponuntur.

409. Szabó János, *oldallapok N. Zala Vármegye fölirásához. A' magyar igazság szeretetnek szentelvék. Pesten. 1841.* ea, quae in praeiudicium Catholicorum et cumprimis Praesulum Regni quocunque sub obtutu in Raepraes. C. Zaladiensis exposita sunt, contrariis assertis refellit.

---

410. *Lehet é a' vegyes házasságoktúl a' beszentelést törvényessen megtagadni, vagy Reversálist elfogadni? Második kiadás módositva, és némelly ellenvetésekkel bővitve. Pesten 1841.* meritum dissertationis in altera hac editione [1069]) multo uberius evolvit et complures obiectiones bene resolvit auctor.

411. Almássy István, *a' vegyes házasságok tárgyában mondott két közgyülési beszédje. Budán. 1841.* sermones in Gen. Congreg. CC. Pestiensis et Strigoniensis in merito mixtorum matr. a se habitos evolvit, et tam determinationem C. Pestiensis ex obtutu iuridico legalique impugnat, quam reflexe ad Repraes. C. Zaladiensis opportunas animadversiones subiicit.

412. (Beke Kristof) *a' vegyes házasságok' egyházi ünnepélyitése körül fenforgó kérdések megfejtve. Pesten. 1841* [1070])

1068) In deductione historica sequitur opus: *Ribini, memorabilia Aug. Confess. in Hungaria 1787—1789.* in iuridica vero opus *Caroli Rotteck*, de quo §. 206. No. 206. et §. 215. No. 311 sermo nobis fuit.

1069) cf. No. 399.

1070) cf. No. 395.

cum in genere momenta rationum contra matr. mixta, tum in specie quoad Hungariam ex ipsis Protestantium effatis et statutis synodalibus proponit. Praecipuus autem libri scopus est: refellere eos, qui benedictionem nuptiis mixtis indiscriminatim impertiendam esse propugnant, legumque patriarum praesidium implorant.

413. Besze János, *szózat a' haladás barátihoz. Budán. 1841.* relate ad coactionem per nonnullos Comitatus in merito impertiendae a parochis benedictionis nuptialis projectatam accomodas continet reflexiones, praecipue id ostendens, quantopere coactio talis et tendentiae huius aevi progressivae, et libertati conscientiarum repugnans, et prorsus illegalis sit.

414. *Válasz a' korszerű kérdésre. Századunk. 1841. Nro. 12* [1071]). Est responsum ad quaestionem in pagellis Pestiensibus: *Társalkodó. 1841. Nro. 8.* positam: „quandonam sublata sit auctoritas Decr. Colomànni R. Lib. 2. cap. 15. de desponsatione coniugali in facie Ecclesiae instituenda?" [1072]) Respondetur itaque in memorata disquisitiuncula: Decretum Synodi sub Colomanno habitae ad praesentem de connubiis mixtis quaestionem applicari non posse: cum verba: *in facie* (conspectu) *Ecclesiae* non in sensu literali sumenda sint, ne sequatur, omnia illa connubia, quae in domibus privatis contrahuntur, meras esse fornicationes; sed Decretum Synodi de matrimoniis pure catholicis sonet.

415. *Egy két jegyzet Vas megyének a' katholika nő reversális nélküli vegyes házasságának megnemáldatása felett közgyülési tanácskozására. Társalkodó. 1841. Nro. 18. 19.* [1073]) egregias ponit animadversiones ad objectionem tam per Comitatum Castriferrei, quam alias quoque Jurisdictiones formatam, quasi denegata benedictione reipsa impediatur mix-

1071) Exstat etiam recusum in: *Egyházi Tudósitások 1841. No. 8.*

1072) Hoc quoque Decretum in patrocinium determinationum suarum evocarunt Comitatus, signanter *Gömöriensis*, ut persvadeant: matr. mixta in Ecclesia et penes consuetum benedictionis ritum ineunda semper esse.

1073) Extat etiam in: *Egyházi Tudósitások 1841. No. 12.*

tum matrimonium, sicque lex violetur; nam non bene formari disjunctionem ostendit Auctor: cum supersit adhuc tertium, nimirum passiva parochi assistentia, ac proin tali in casu non impediri denegando benedictionem; sed potius per id promoveri matr. mixtum, quod in praesentia parochi reipsa contrahatur; in reliquo legem anni 179%. de positivis solum impedimentis posse intelligi, cum negative seu moraliter semper impedire debeant Curati mixta connubia, quae quippe Ecclesia universa constanter reprobat.

416. 417. Berger János, *kérdés és felelet: vajjon azon intézkedések, miszerint némelly Vármegyék a' vegyes házasságoknál szóban lévő áldásmegtagadás' érvénytelenségét Szolgabirák által a' népnek megfejteni, 's azt e' pontban felvilágositani rendelék, törvényesek e', üdvösek vagy károskövetkezményüek e'? Társalkodó. 1841. Nro. 23.* [1074]) tum illegalitatem tum periculosas sequelas determinationis Comitatuum nonnullorum de publicatione sententiae per eosdem Comitatus adversus Encyclicas Praesuleas et passivam Parochorum assistentiam perlatae bene proponit: in anonymo auctore articuli: *Észrevételek Perger János kérdés és feleletére. Társalkodó. 1841. Nro. 33.* adversarium quidem nactus, sed argumenta realia nequaquam obmoventem.

418. Szegedi Kilit, *a' katholika egyház' philosophiája a' vegyes házaságok' ügyében. Egyházi Tudósitások. 1841. Nro. 17.* in defensionem Praesulum id profert, quod, quum sponsio sive cautio de catholica educatione prolium sit instar medicinae ad sanandum vulnus legi ecclesiasticae matr. mixta damnanti inflictum, benedictio nonnisi eousque in usum deduci potuerit in Hungaria, donec Reversales seu cautiones eiusmodi datae per coniuges fuerant: nunc autem Reversalibus sufferri projectatis, iustum esse, ut Episcopi quoque benedictionem denegent: sicque actionis per Jurisdictiones Comitatuum contra vim legis anni 179%. reversales nequaquam prohibentis erectae consectarium esse reactionem ex parte Ecclesiae, quippe denegatam benedictionem; neque in eo, quod benedictio deuegetur, sed potius in hoc

---

1074) Prodiit quoque in: *Egyházi Tudósitások 1841. No. 13.*

laedi legem religionariam, quia contra reversales per ipsam legem tacite admissas consurgitur.

419. *Ellenészrevételek egy a' Weszprémi télutó 1-ső napján 1841. tartatott közgyülés alkalmakori beszédre. Budán. 1841.* argumenta, queis in Gen. Congr. Com. Weszprimiensis necessitas absoluta benedictionis ad validitatem matrimonii propugnata fuit, refellit.

420. Zimmermann Jakab, *vegyes házassági ügy. Századunk. 1841. Nro. 38.* Ecclesiam Catholicam denegando benedictionem non agere crudeliter in personam catholicam, cum haec ipso facto, quo in educationem acatholicam prolium consentit, fidei renunciet; nec Praelatos Hungariae seu inconsequenter egisse, sive novum peccati genus pro sponsa catholica in matr. mixtis invexisse bene deducit, habita constanti reflexione ad enunciationes in Comitatibus eatenus factas.

421. *A' vegyes házasságok polgári, egyházi, és erkölcsi szempontbúl tekintve. Egy hazafitól. Egerben. 1841.* triplici, ut titulus profert, ex obtutu rem matr. mixtorum expendendo, infert: legislationem civilem non potuisse nec posse unquam in iis, quae ad sphaeram eius haud spectant, legem aliquam independenter ab Ecclesiae Potestate vel plane huic oppositam ferre: ex talium genere vero esse benedictionem connubiis mixtis impertiendam vel denegandam, de qua decernere sola possit Ecclesiastica Jurisdictio.

422. Szalay Imre, *észrevételek a' vegyes házasságokról. Weszprémben. 1841.* opus inter ea, quae in Patria nostra de hoc argumento lucem adspexerunt, facile princeps: in quo doctissimus Auctor argumenta, quae in publicis Comitatuum, cumprimis Zaladiensis ac Weszprimiensis, Conventibus contra dispositiones Praesulum Regni obtutu violatae legis civilis promebantur, solide refutavit: et in *notis* de relatione genuina inter Ecclesiam ac Rempublicam, de una et sola Fide salvifica, de necessitate communionis Catholicorum cum Romano Pontifice multa praeclare proposuit.

423—425. In Literatura patria praeterire non possumus tres egregios articulos, qui super argumento quaestio-

nis istius de matrim. mixtis in Ephemeridibus latinis Pestiensibus: Sion, vulgati fuerunt. a) *Vindiciae Praelatorum ac Cleri Hungariae adversus recentissimas accusationes. Sion. 1841. Nro. 11. ss.* praeprimis adversus Repraes. Com. Zaladiensis dirigitur hic Articulus: et Praesules ab objectis in ea violatarum legum civilium accusationibus strenue defendit; in reliquo affirmat: praxim in Gallia et Italia usitatam, matr. mixta nequidem praestitis cautionibus super educatione prolium catholica benedicendi, magis consonam esse principiis catholicis, quam eam, iuxta quam benedictio penes Reversales tribuitur. b) *Auctoritas Concilii Tridentini. Sion. 1841. Nro. 18.* In hoc Articulo incidente ex eo, quod in controversia de matr. mixtis saepissime ad Conc. Tridentini decretum provocetur; decretum isthoc quoad ritum administrandi matrimonii, et praesentiam parochi duorumve testium propugnatur, ab eoque nec in matr. mixtis recedendum esse suadetur, tanto a fortiori, quod decreta Concilii istius etiam quoad disciplinam in Hungaria recepta sint. c) *De matrimoniis mixtis, et prolium educatione. Sion. 1841. Nro. 25.* principia catholica praesertim de necessitate stipulandi ante omnia catholicam omnium prolium educationem bene proponit.

426. Matics Imre, *a' Catholicismus életkérdése a' vegyes házasságok körül. Századunk. 1841. Nro. 40.* [1075]) ad praecipuam Comitatuum objectionem, quod Clerus Hungariae inde ab annis 50. legem religionariam de praesentia parochi catholici in mixtis connubiis pro benedictione casu in omni adhibenda facto interpretatus sit: respondet, id vitium fuisse atque abusum, et post interatas solennes Capitis Ecclesiae declarationes sine labe inobedientiae a Clero Hungarico ultro committi nullatenus potuisse; ac, siquidem leges Ecclesiae dogmaticae et doctrinales immutabiles sint, civiles potius leges Ecclesiasticis accomodandas, non autem Clerum eo cogendum esse, ut se a Capitis Ecclesiae declarationibus separet.

1075) cf. huius §-i. Nrum. 401—407.

427. Fejér György, *egyházi fejtegetések mostani szükségekre nézve. Pesten. 1841.* [1076]) Prior harum disquisitionum continet sacrum sermonem a celeberr. Auctore ipso Festo Resurrectionis Domini a. 1841. super eo habitum: quod Ecclesia Catholica gravissimis ex causis in nonnullis casibus mixtis matrimoniis benedictionem impendi prohibeat, et expostulationes ob id factae prorsus infundatae sint. Cuiusmodi thema reipsa egregie pertractat doctiss. Auctor, insignem ad cor catholicarum sponsarum allocutionem dirigens: ut credant, se, nisi fidem suam negare ausint, consentire nullo modo in id posse, quo vel una prolium suarum pars in confessione non-catholica educetur.

428. *Törvényes és politikai vizsgálat a' vegyes házasságok ügyében honunkban fenlévő legújabb kérdésekre nézve, mellyet politikus és egyházi férfiak használatára följegyzett egy hazafi. Budán. 1841.* obtutu iuris naturalis benedictionis denegationem non esse impedimentum matr. mixtorum censet; obtutu vero politico complura damna ex iisdem matrimoniis resultantia evolvit, praeprimis indifferentismum religiosum tam in coniugibus, quam prolibus; sicque concludit: Civitatis interesse, ut Ecclesiam tueatur potius quam ei contradicat.

429. *Szerény emlékeztetés a' haladás' képviselőihez. Pesten. 1841.* bonas continet reflexiones adversus agendi rationem comitatuum in merito matr. mixtorum.

430. Bobory Károly, *mit tart szabad szellem és természeti jog a' vegyes házasságok' ügyében? Pesten. 1841.* pro defensione praxeos per Praesules Regni recentissime introductae argumenta ex ratione ac iure naturali profert.

431. Titus Mólnár, Benedictinus Pannonius, *quid sensit semper, ac sentit nunc quoque Ecclesia de mixtis matrimoniis? item: an matr. mixta sine discrimine benedici possint? Fasciculi Ecclesiastico-Literarii. 1841. T. I. p. 304—355.* doctrinam Ecclesiae circa matr. mixta semper pro illicitis habita, nec nisi sub certis conditionibus bene-

1076) cf. §-i. huius Nrum. 397.

dici admissa, reflexe quoque ad Ecclesiam Hungaricam, proponit.

432. Franc. Szaniszló, *epistola consolatoria ad amicum de persecutionibus et adversitatibus hoc tempore Ecclesiam Dei ferientibus querulantem. Fasciculi Eccles. Lit. 1841. T. I. p. 359. 372. ss.* praeclare evolvit: ea omnia, quae in negotio matr. mixtorum in Hungaria ex parte Jurisdictionum Civilium in obversum ordinationum Praesulearum aguntur, talia esse, e quibus Ecclesiae Catholicae copiosa consolationis argumenta exsurgere possint.

433. Szalay Antal (Saasdi Plébanos), *Octavia' vegyes házassága. Pécsett. 1841.* in forma dialogi cum sponsis matr. mixtum inire cupientibus doctrinam catholicam super hoc merito egregie tradit.

434. *Ein Gespräch zu seiner Zeit über die gemischten Ehen. Ofen. 1841.* aeque in forma dialogi varias quaestiones de mixtis connubiis populari stylo et methodo resolvit eo pertinentes: quid e spiritu Ecclesiae, quid e iure naturae et patrio in re matr. mixtorum aequum sit? [1077])

435. *Verletzt der katholische Clerus Ungarns den §. 15. des Art. 26. von 179$^0/_1$. wenn er die gemischten Ehen nicht einsegnen will? Tyrnau. 1841.* ostendit: Clerum, dum matr. mixta indiscriminatim benedicere recusat, non tantum in legem patriam non offendere, sed potius illi conformiter agere, cum per verba: *coram parochis catholicis* lex aliud, quam eorumdem praesentiam intelligere haud potuerit.

---

c) Praeter illos, quos in praecedentibus iam recensuimus, doctrinae et disciplinae Ecclesiae Catholicae quoad matr. mixta adversarios [1078]), sequentes adhuc notamus ex an. 1841. contra eandem Ecclesiae doctrinam ac disciplinam

---

1077) Versio hungarica opusculi huius prodiit sub titulo: *Korszerű párbeszéd a' vegyes házasságokról Pesten. 1841.*

1078) cf. §-i. huius Nros. 401—407. et 416. 417.

potissimum in Ephemeridibus Politicis: „Pesti Hirlap" et „Századunk" scribentes, una eos subiungendo, qui iisdem in Ephemeridibus adversarios illos mox refutarunt.

436. 437. In Ephemeridibus; *„Pesti Hirlap"* 1841. Nro. 16. in defensionem eorum, quae Comitatus Regni in merito mixtarum nuptiarum agebant, vulgabatur opinio Ignatii Henr. de Wessenberg pro favore mixtorum connubiorum praestita [1079]: erga quam non paucas reflexiones adornavit, simulque denegationem benedictionis promiscuae in connubiis istis per Praesules Regni vi strictae obligationis dispositam esse, commonstravit Joannes Fekete, D. Sabariensis Presbyter, in articulo: *Észrevételek a' Pesti Hirlap 16. sz. közlött Wessenberg J. H. véleményére. Századunk. 1841. Nro. 45.*

438. 439. *Egy szó a' maga idején a' vegyes házasságokról. Századunk. 1841. Nro. 25.* praemissis multis de eo, quod passiva assistentia Parochorum legi religionariae a. 1790/1. adversetur: ad tollendas differentias et collisiones id tamquam opportunissimum projectat: ut semper Minister religionis, cui sponsus addictus est, copulet ac benedicat matr. mixtum, secus copulatio secundum utriusque religionis ritum peragatur. Sed projectum isthoc in examen vocavit Georgius Fejér [1080], *még egy szó a' maga idején a' vegyes házasságokról. Századunk. 1841. Nro. 31.* principia Ecclesiae quoad id, quantum ipsa in re matr. mixtorum indulgere possit, succincte et clare proponens, ac simul id votum suum exprimens: ut negotium determinandae educationis religionariae conscientiae contrahentium relinquatur, speciatimque sponsae a iure paciscendi haud excludantur.

440—442. *Békeszó a' vegyes házasságok ügyében egy Protestanstól. Századunk. 1841. Nro. 39.* Equidem Auctor hic, etsi Protestans, ultro confitetur: iniuriam inferri Clero Hungariae ab illis, qui eundem ad benedictionem matr. mixtorum cogere non verentur, cum id reapse libertati con-

---

1079) cf. §. 219. Nro. 347.

1080) Vid. Nri. 397. 427.

scientiae repugnet. Id tantum iure desiderare posse censet Protestantes, ut per legem enuncietur: sponsos disparis religionis etiam a Ministro Evangelico copulari posse. — Auctorem hunc ob testatam impartialitatem in iudicio de coactione Cleri Catholici ad benedicendum depromendo meritis extollit laudibus doctiss. Georgius Fejér, *üdvözlet a' Békeszó protestans irójához. Hirnök. 1841. Nro. 42.* et uberius ostendit: quantopere Comitatus, Clerum ad benedicendum conjugia mixta cogere volentes libertatem conscientiarum laedant. — Contra argumenta Georgii Fejér Comitatuum agendi rationem defendere satagebat Joannes Balogh, famosus Cottus Barsiensis ad Comitia a. $183^2/_6$. Ablegatus: *Visszatorlás F. Gy. iratára. Pesti Hirlap. 1841. Nro. 61. p. 514.*

443—445. Anonymus auctor Articuli: *Vegyes házasság. Kis csengetyű. Pesti Hirlap. 1841. Nro. 24. p. 197.* maiorem in modum detonat adversus Praesules Hungariae tum ob Encyclicas quoad matr. mixta ad Clerum dimissas, hasque veras legis patriae transgressiones canonisat; tum ob nisum eorumdem se Ecclesiamve Hungaricam iugo Servilismi subiiciendi, cum potius exemplo magnorum Germaniae Antistitum Dallbergi, Wessenbergi, etc. compedes Romanos abiicere deberent, eo magis, quod Ecclesia Hungarica a Curia Romana sit prorsus independens. Adserta extravagantia Anonymi huius refutavit Carolus Liszkay, in pagellis: *Társalkodó. 1841. Nro. 37. p. 146.* sed prior anonymus in defensionem sui rursus calamum strinxit in: *Pesti Hirlap. 1841. Nro. 41. 42. p. 343. 353.* affirmando: a se non Primatum Romanae Sedis, sed duntaxat Ultramontanismum perstrictum fuisse. Quoad connubia mixta in posteriore hocce articulo asserit: Potestatem Civilem optimo jure pro se legislationis in matrimoniis mixtis auctoritatem vindicare, nec esse de his ex aevi posterioris historia et Jure Canonico vel Paparum decretis, sed ex interna matrimonii indole et primorum temporum historia iudicandum; numquam vero in Hungaria sperari posse, ut cessent fluctus, nisi id, quod in Bavaria enunciatum est, domi quoque nostrae per legem decidatur: nimirum ad casum non

copulati per parochum catholicum matrimonii mixti, copulationem per Ministrum Protestanticum legitime et valide instituí posse.

---

d) Pro coronide Literaturae anni 1841. recensemus *Versiones*, quas nonnulli ex celebratioribus operibus Germanicis adornarunt, utpote

446. *A' vegyes házasságok protestans és katholikus vallásmézetből tekintve. Századunk. 1841. Nro. 24. p. 191.* 1081)

447. *Lelkipásztori oktatások a' vegyes házasságokról különös szemügyelettel az illető mátkákra. Egerben. 1841.* 1082)

448. *A' vegyes házasságok megáldásárúl theologiai szavazat* Mack Márton Józseftől. *Budán. 1841.* 1083)

449. *Miért ellenzi az Anyaszentegyház a' vegyes házasságokat? Egyházi beszédekben fejtegetve* Viser *után. Posony. 1841.* 1084)

1081) Est versio Articuli; qui Ephemeridibus Augustanis: *Allgemeine Zeitung. 1838. Beil. dd. 4. Januar.* insertus fuit.

1082) Versio operis: *Seelsorgliche Belehrungen über gemischte Ehen, besonders beim Brautexamen Augsburg.* 1839. cf. §. 217. Nro. 327.

1083) Versio libri celieberrimi: Mart. Jos. Mack, *über die Einsegnung der gemischten Ehen. Ein theologisches Votum. Tübingen. 1840.* cf. §. 220. No. 351.

1084) Versio operis: Joh. Th. Wiser, *die gemischten Ehen, in Kanzelvorträgen betrachtet. Regensburg. 1841.* cf. §. 223. Nro. 380.

B). In Transsilvania.

§. 277.

Post invectam in Transsilvaniam Reformationem pauca mixta matrimonia stricte sic dicta. Sub Principibus Austriacis, praeprimis Maria Theresia eadem nonnisi sub conditione Reversalium iniri admissa. Zelus Episcoporum, cumprimis Josephi Ant. B. Bajtay.

In Transsilvania, ubi sic dicta sacrorum *Reformatio* Seculi XVI. mox aditum invenit, inque varias sectas et errores ita descivit, ut vix aliquot Ecclesiae Catholicae in tota Transsilvania remanserint, de mixtae religionis matrimoniis stricte ita dictis nec sermo tunc esse poterat. Universim etiam ipsum Religionis Catholicae exercitium admodum constrictum fuit, satisque diu miserrimus hic Orthodoxae Fidei cultorum status duravit: donec tandem sub glorioso *Principum Austriacorum* regimine Catholicae Religionis professoribus laetior epocha illuxisset, et signanter sub Leopoldo Rege a. 1699. erga multiplicia Catholicorum gravamina ac postulata ea emanavisset Resolutio Regia: ut in posterum Catholici cum Acatholicis praesertim Reformatis communi privilegiorum usu fruantur, et prorsus par ac integra sit inter Religiones in Transsilvania receptas libertas ac aequalitas. — Matrimonia mixtae religionis, parte una catholica, primum, insciis potissimum Ordinariis et Parochis Catholicis, apud Ministros partis acatholicae contrahebantur, prolesve ex eis susceptae in haeresi educabantur. Ast apostolico Antistitum zelo et vigilantia subin effectum est, ut matrimoniorum talium celebratio cognitioni ac decisioni Episcopali reservata fuerit: qui nonnisi tunc facultatem talia connubia ineundi dabant, dum per sponsos sufficiens de catholica prolium educatione cautio per Rever-

sales praestita erat [1085]). Zelum Praesulum insigniter adiuvit pietas Reginae gloriosissimae memoriae Mariae Theresiae, quae ope Rescripti dd. 19. Augusti 1751. ad Gubernium Transsilvanicum dimissi et in Apostatas seu a Fide Catholica deficientes poenam dictavit, et legem tulit: *ut dehinc matrimonia inter diversarum religionum personas, si una earum sit catholica, sine licentia Episcopi haud copulentur* [1086]). Ex hoc tempore Episcopi Transsilvaniae nullum acatholicum cum persona catholica matrimonium contrahere permiserunt prius, quam iuratis literis reversalibus haec spopondisset: a) *quod coram Sacerdote Catholico, et ritu catholico matrimonium initurus*, b) *proles utriusque sexus in Fide Catholica educaturus*, c) *coniugem suam catholicam in exercitio religionis suae nullo unquam tempore impediturus, minus turbaturus, sed potius, si has conditiones transgrederetur, poenis arbitrio Ordinarii infligendis se submissurus sit:* prout haec uberius e Relatione per magni nominis Episcopum Transsilvaniensem Josephum Antonium Baronem Bajtay dd. 20. Junii 1768. super matr. mixtis ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide praestita intelligere licet. [1087])

§. 278.

Josephus II. Imp. Reversales abrogavit, norma quoad educationem religionariam prolium simul constituta. Episcopus C. a. Batthány autem principia catholica insigniter tuebatur.

Sub Josepho II. Imp. et Rege prout in Hungaria [1088]), ita in Magno Principatu Transsilvaniae quoque ope *Decreti Tolerantialis* sub dd. 8. Nov. 1781. ad Transsil-

1085) In *Tabulario D. Transsilvaniensis* plurima adsunt exempla pro eo: quod Seculo XVIII. matr. mixta cum licentia ac dispensatione praevia Episcopi, et quidem cum Reversalibus iniri debuerint.

1086) Mon. 380. pag. 758.

1087) Mon. 381. pag. 759. — Nec literas Sacrae Congregationis ad quas Eppus provocat, nec Quid ad literas Eppi rescripserit Sacra Romana Congregatio, ex Actis Tabularii Alba Carolinensis diligenter licet perquisitis eruere valuimus.

1088) cf. §. 244. ss.

vaniam extensi, circa matr. mixtae religionis magna rerum conversio instituta fuit. In eo nimirum *Reversalium* de prolibus utriusque sexus catholice educandis usus pro futuro sublatus, ac una instar normae hoc in merito constanter observandae constitutum est: *ut filii patris, filiae matris religionem sequantur* [1089]). Rescripto autem altero dd. 20. Aug. 1783. ad Gubernium Transs. dimisso idem Imperator decrevit: ut proclamationes quidem sponsorum diversae religionis tam per parochum catholicum, quam ministrum alterius confessionis, copulatio tamen semper per parochum catholicum instituatur: proles vero per Ministrum illius religionis baptisentur, in qua iuxta Decretum Tolerantiale educari debent [1090]). — Utut autem per Caesarem usus Reversalium abrogatus fuerit: testibus tamen Protocollis Dioecesanis sub ipsius Josephi regimine matrimonia mixta fere semper nonnisi obtento praevio Episcopali indultu et cum Reversalibus contrahebantur, per ipsa Dicasteria Politica sustentatis. Id, quod insigni zelo magnae memoriae Praesulis Ignatii Comitis a Batthyán tribuendum: qui ope *Instructionis* ad Curatos dd. 31. Dec. 1781. adeoque mox post Decretum Tolerantiale dimissae partes officii eorumdem circa sponsos mixtae religionis, item genuinam Ecclesiae Catholicae mixta eiusmodi connubia constanter reprobantis doctrinam egregie exposuit, diserte una constituens: ut matrimonia mixta Parochi propria auctoritate numquam copulent, sed praevie semper ad Episcopum referant [1091]). — Quantacunque nihilominus fuerit Episcopi et Parochorum vigilantia: impedire non potuit, ut et frequentia inirentur mixta coniugia, et iisdem Ministri quoque Acatholici adsisterent, personasque copularent; adeo, ut querelae Parochorum de usurpata per Ministros Acatholicos iurisdictione parochiali ad Episcopum pro medela saepius deferrentur: quemadmodum e literis apparet, quas *Consistorium Alba Carolinense* dd. 11. Dec. 1782. intuitu

1089) Mon. 382. pag. 761.
1090) Mon. 383. pag. 762.
1091) Mon. 384. pag. 763.

quaestionis circa valorem mixtorum connubiorum a Ministris Evangelicis copulatorum ad Episcopum dedit: in iis nimirum tum abusum sic copulandi Regia Auctoritate tollendum proponit, tum quoad laudatam quaestionem sensa sua depromit. [1092])

§. 279.

Lege in Comitiis Transsilvanicis a. 1791. condita, et a. 1792. confirmata Reversales abrogatae, et educatio religionaria prolium juxta Edictum Josephinum ita regulata: ut filii in patris, filiae in matris religione institui debeant.

Quod Josephus 2. Imperator in Decreto Tolerantiali sanxit: ut nimirum Reversales sive contractus de educatione religionaria prolium mixti matrimonii sufferantur, et proles quidem masculae patris, foemellae autem matris religionem sequantur: id in Comitiis Transsilvanicis anno 1791. in legem, articulo 57. expressam abivit. [1093]) Et ab eo tempore, quemadmodum in Hungaria, ita et in Transsilvania mos invaluit, matrimonia mixtae religionis indiscriminatim copulandi ac benedicendi, ea unice essentiali cum differentia, quod lex religionaria a. 179⁰/₁. pro Regno Hungariae condita Reversales nequaquam abrogaverit, sicque etiam deinceps ibidem cum Reversalibus connubia mixta inire licuerit; at in Transsilvania Reversales a nupturientibus exigere per legem cautum fuerit. Lex Comitiorum anni 1791. in subsequa Diaeta anni 1792. art. 63. confirmata, [1094]) et iteratis Regiis, Gubernialibusque Rescriptis tam exacte observari iussa fuit: ut Sacerdotibus Catholicis expresse interdiceretur, occasione copulationis matr. mixtorum haec quaqua ratione impedire, aut plane super educatione

---

1092) Mon. 385. pag. 770.

1093) Mon. 386. pag. 780.

1094) Vid. Acta Comit. a. 1792: *Az Erdélyi három Nemzetektől álló Rendeknek 1792. eszt. Kolosvárra hirdettetett Közönséges Gyűléseikben lett végzéseknek jegyzőkönyve. Kolosváratt. 1792. p. 522. ss.*

catholica prolium utriusque sexus a sponsis Reversales exigere. Circa copulationem sponsorum diversae religionis parte una catholica sub cautela clandestineitatis id dispositum exstitit: ut copulatio semper a Parocho Carholico instituatur. [1095])

§. 280.

Post eventum Coloniensem, tardius quidem quam Regni Hungarici Praesules, quippe primum dd. 20. April. 1841. Episcopus quoque Transsilvaniensis mixta matrimonia secus, quam praestitis cautelis ab Ecclesia depostis, benedici prohibuit.

Post eventum *Coloniensem* nec Episcopus Transsilvaniae muneris sui rationibus defuit: sed ad exemplum Praesulum Hungariae ea, quae in merito matrimoniorum mixtorum, signanter autem corrigendi abusus de iisdem sine discrimine et absque praeviis cautelis benedicendis, Declarationibus Sanctae Sedis Apostolicae conformiter agenda erant, agere minime intermisit, et datis die 20. April 1841. ad Clerum Curatum Circularibus literis, doctrinam Ecclesiae Catholicae de mixtis nuptiis exposuit, easque ritu catholico tunc tantum benedici admisit, si ex parte sponsorum conditionibus Ecclesiae, cumprimis de universa sobole in Religione Catholica educanda, satisfactum haberetur, his usus verbis: „literas quidem reversales nequaquam postulabitis, quae

---

1095) Mon. 387. pag. 781. — cf. *Statuta almae Dioec. Transsilvanicae a. 1822. die 17. April. in Synodo Dioecesana publicata et concordibus votis approbata. Claudiopoli. 1822. p. 132. ss. 136. ss.* Cum in Statutis his, sub immortalis memoriae Episcopo Ignatio Bar. Szepesy conditis, leges et dispositiones civiles circa matr. mixta contineantur: factum est, ut exteri existimarent, per ipsum Episcopum circa mixta connubia eiusmodi principia proposita fuisse, quae doctrinae et disciplinae Ecclesiae nequaquam consonant. Vid. *Katholik. XII. B. 1824. pag. 384. — Kerz, Kathol. Lit. Zeit. XV. Jarhg. 1824. 1. B. p. 119. — Kutschker, die gemischten Ehen. Wien. 1838. p. 189.*

ceteroquin inoperose exigerentur, neque talium prolium catholicam educationem importune urgebitis; attamen privatam coniugum voluntatem, in quantum legi praeattactae contraria non fuerit, exquirentes intentioni matris Ecclesiae obsecundare atque disciplinae ecclesiasticae hoc in puncto iam satis conspicuae conformiter agere vestrae obligationis esse noveritis." [1096])

§. 281.

Literatura ex Transsilvania.

450. Petrus Bod, V. D. Minister in Transs. *Synopsis Juris Connubialis, seu tractatus de Jure Connubiorum. Cibinii. 1763.* Tit. V. de copulatione desponsatorum p. 29. asserit: hierologiam seu benedictionem sacerdotalem aut copulationem ita esse ad valorem matrimonii necessariam, ut absque ea matrimonium sit nullum, et liberi illegitimi: posse attamen Principem diuturniorem cohabitationem sponsorum confirmare et pro legitimo matrimonio declarare, etsi non accedat copulatio ministri. Coniugia mixta Tit. XI. p. 54. ss. censet prohibenda, cum fieri vix possit, ut si odio sit religio coniugis, id non redundet in personam. In reliquo Auctor hic Protestans ideo quoque notandus est, quod praxim matrimonialem Transsilvanicam proponat.

451. Salamon József, (Prof. Reform. Claudiopol.) *az elegyes házasságok kérdése, különösen az Erdélyi törvényeck szempontjából. Hon és Külföld. Kolozsvár. 1841. Nro. 44.* magnum gravamen constituere in Transsilvania denegationem benedictionis in matr. mixtis, iniuriamque non levem utrique coniugum parti per id inferri persuadere studet. [1097])

452. *Az Erdélyi hirlapokban a' vegyes házasságok ügyében közlött hirek hontörvényszerü észrevételek által iga-*

1096) Encyclicas Episcopi Transsilv. obtinere haud potuimus, unde nonnisi verba citata ex opusculo: *Az Erdélyi hirlapokban a' vegyes házasságok ügyében közlött hirek igazitra. 1841. pag. 9.* desumsimus.

1097) Auctor edidit a. 1840. Claudiopoli *Commentationem theologico-historicam de statu Ecclesiae Evangelico-Reformatae in Transsilvania.*

sitva. Kolozsvártt. 1841. tum rumores falsos circa praxim quoad matr. mixta in Transsilvania inductam sparsos refellit, tum in defensionem Ordinarii eiusque Encyclicarum quaepiam profert.

C). In Austria.

§. 282.

In Austria primis post Reformationem temporibus matr. mixta prohibita. Seculo XVIII. occasione matrimonii Caroli VI. Imp. cum Principissa Brunsvicensi primum Aug. Conf. addicta memorabile responsum Theologorum Helmstadiensium. Regnante Maria Theresia usus Reversalium universalis.

Valde pauca sunt, quae ex primis post Reformationem temporibus de praxi circa mixta connubia in Provinciis *Austriacis* usitata ob defectum monumentorum proponere nobis licet. Credibile est, Seculo adhuc XVII. quemadmodum alibi gentium, ita in Austria etiam matrimonia Catholicorum cum Protestantibus prohibita et impedita fuisse. Imo narrat Benedictus Carpzovius Protestantium Ictus [1098]: Senatum *Mistelbacensem* (Mistelbach) in Austria a. 1652. matrimonium inter catholicum et lutheranam, ipso inscio, contractum rescindere consuevisse. Circa quaestionem vero: „an in Regno, ubi Concilium Tridentinum promulgatum receptumve est, matr. mixta non servata forma Concilii contracta sint valida?" quam Sec. XVII. maxima pars Theologorum et Canonistarum negative resolvit, anno 1655. dd. 18. Maii sensum *Facultatis Theologicae Vindobonensis* per Regimen Austriacum exquisitum fuisse legimus.

1098) *Jurisprudentiae Consistorialis. Hanoviae. 1652. lib. 2.*

Quaestioni occasionem praebuere frequentes emigrationes, quas subditi Austriaci Protestantes ad vicinum Hungariae Regnum susceperunt, ut ibi absque proprii Parochi consensu matrimonium celebrent. Respondit Facultas Theol. Vindobonensis: „Protestantes non minus quam Catholicos ad observantiam Canonum matrimonialium Tridentinorum obligari: ad casum proinde, quo emigratio in fraudem Concilii contingeret, nullum fore matrimonium." 1099)

E primis Seculi XVIII. annis praecipue notandum est matrimonium *Caroli VI.* Imperatoris cum *Elisabetha Christina* Principissa e Domo *Brunsvicensi*; quae cum Confessioni Protestanticae foret addicta, antequam nuberet, Religioni Catholicae nomen dare debuit. Occasione enim hac memorabile edidit Facultas Theologica Protestantium Helmstadiensis responsum super eo: *an Principissa confessionem Protestanticam sequens; et Principi Catholico nubere intendens, tuta conscientia Religionem Catholicam amplecti possit?* Facultas, praeunte celebri *Joanno Fabritio*, magni Leibnitzii amico, ad memoratam quaestionem *affirmative* respondit fundamento ex illo: *quod in Religione Catholica etiam obtineri possit salus.* Licet autem affirmativa quaestionis istius decisio et auctori inamoenitates causaverit, et scripta plurima ex parte adversa Protestantium pepererit 1100): in historia tamen quaestionis de connubiis mixtis semper locum sibi vindicabit memorabilis Theologorum Helmstadiensium sententia pro favore Religionis Catholicae depromta. 1101)

1099) Gobat, *Theologia experimentalis. Monachii 1669. Tract. IX. cas. 18. sect. 1.*

1100) De his conferri possunt: *Patriotisches Archiv für Deutschland. XI. Band. Mannheim und Leipzig. 1790. pag. 1—172*: „Aktenmässiger Bericht von der Religionsveränderung der Prinzessinn Elisabeth von Braunschweig, Gemahlinn K. Carl's VI. und denen hierüber entstandenen Theologischen Streitigkeiten, von den Jahren 1705—1709. aus mehrern Schriftstellern und Archival-Urkunden zusammengetragen." Et: *Gutachten der Helmstädter Universität bei der einer Protestantischen Prinzessinn angesonnenen Annahme der kathol. Religion. Salzburg. 1815.*

1101) Notari hic potest: *Joannem Fabritium* eodem fere modo

Sceptrum imperii tenente Maria Theresia, usus Reversalium in ditionibus Austriacis ita, prout in Regno Hungariae, invaluit: Decreto enim dd. 8. Dec. 1770. diserte sancitum fuit: ut sponsus acatholicus ante copulationem parocho sponsae adpromissionem antenuptialem de educandis prolibus utriusque sexus in Religione Catholica sub proprii nominis subsriptione et sigillo edat, promissioque ista in librum matricularem inseratur. Universim nec sine reversalibus ullum admittebatur matrimonium mixtum, nec sine peculiari licentia Curiae Episcopalis idem iniri poterat. Pro cuiusmodi praxi exemplum praebet Agenda sive Rituale Olomucense, iussu *Principis Archiepiscopi Jacobi Ernesti* a. 1745. editum [1102]; e quo una apparet, ad ineundum matr. mixtum Regiminis quoque Civilis indultum necessarium exstitisse. Reversales porro sic concinnandae erant: ut pars heterodoxa non tantum educationem catholicam omnium prolium *sub vinculo certae summae pecuniariae*, sed id etiam promittat, *quod partem catholicam et proles ad terras haereticorum nullo unquam tempore traductura, et insuper proles, postquam annos discretionis adeptae fuerint, quolibet trimestri Parocho loci pro subeundo examine oblatura sit.* [1103])

---

pro thesi illa: „quod etiam in Ecclesia Romana salus obtineri possit" peroravisse: quo iam a. 1685. *Matthaeus Praetorius*, Facultatis Regiomontanae Membrum pro eadem thesi perorabat in libro: *Tuba pacis ad universas dissidentes in Occidente Ecclesias, seu discursus theologicus de unione Ecclesiarum Romanae et Protestantium.* Librum hunc in lingvam germanicam vertit, et Aquisgrani a. 1822. luci publicae dedit *Dr. Ant. Jos. Binterim.*

1102) Mon. 388. pag. 781.

1103) Reversales istiusmodi praesertim in *Archidioecesi Viennensi* erant in usu: exemplum illarum in *Tabulario Agriensi* ex an. 1774. *in origine* exstat.

§. 283.

Josephus II. Imperator in Decreto Tolerantiali Reversales abrogat, Decreto vero Patentali circa causas matrimoniales edito harum cognitionem ab Ecclesiasticis ad Secularia Judicia pertrahit. Cardinalis AEpiscopi Viennensis a Migazzi in adversis his rebus animi fortitudo et in tuendo principio catholico constantia.

In praxi circa ineunda mixtae religionis connubia principiis Ecclesiae Catholicae conformi per piissimam Imperatricem Mariam Theresiam insigniter manutenta magnam, ut iam in historia *Hungariae* uberius exposuimus [1104]), conversionem introduxit Josephus II. Imperator; tum per *Edictum Tolerantiale* pro Austria dd. 13. Octobr. 1781. editum, in cuius §. 6. Reversales abrogavit, ac una constituit: ut, patre catholico, omnes proles utriusque sexus in Fide Catholica in signum dominantis Religionis Catholicae educentur; patre autem acatholico, proles sexum parentum in religione sequantur; [1105]) tum per *Constitutionem Patentalem Matrimonialem* (Ehepatent) dd. 16. Januar. 1783. pro ditionibus Caesareis publicatam, in qua totam fere iurisdictionem in causis matrimonialibus Potestati Ecclesiasticae eripuit, et Guberniо Civili addixit. — In adversis his Ecclesiasticae Jurisdictioni et genuinae circa rem mixtarum nuptiarum doctrinae impendentibus Cardinalis a Migazzi AEppus Viennensis ex Consistorio suo dd. 23. Junii 1783. Pastoralem ad universum Clerum Curatum dimisit Instructionem: in qua et principia Ecclesiae circa Matrimonium universim praeclare proposuit, et speciatim quoad mixta matrimonia tam Vetitum Ecclesiae ob oculos Curatorum posuit, quam pro casu expraessae de prolibus in acatholica confessione educandis conditionis copulationem quidem non negari, ast partem catholicam in Tribunali Poenitentiae-

1104) cf. §. 244. ss.

1105) Mon. 889. pag. 782. — Vid. Helfert, *die Rechte und Verfassung der Akatholiken in dem Oesterr. Kaiserstaate. 2. Aufl. Wien. 1827. p. 29.*

eousque, donec in praevio indisposito statu perseveraverit, minime absolvi decrevit. [1106]) — Praevidere erat, Instructionem istam Pastoralem non exiguam Politicorum eius temporis attentionem excitaturam esse. Reipsa eadem Politicis totum Decretum Caesareum, quod fere irrestrictam libertatem nuptias mixtas ineundi concessit, evertere videbatur, tantopereque displicuit, ut ab Imperatore post iteratam instantiam Mandatum obtinuerit: quo Cardinali AEppo Instructionis revocatio sub poena mille aureorum injungebatur. [1107]) Post lites integro poene biennio desuper agitatas res tota sic demum composita exstitit: ut nova ex Consistorio AEppali ad Sacros Curiones transmitteretur Instructio dd. 2. Junii 1785. quae tamen quoad principaliora capita a priore haud differt, rem vero mixtorum matrimoniorum in summa generalitate commemorat, et discretioni parochorum tractandam committit. [1108])

§. 284.

Principium Josephinum, quod attinet ad educationem prolium e matr. mixtis, etiam a morte Eiusdem per Regimen Civile sustentatum: sed vicissim doctrina Ecclesiae per Praesules Austriacos identidem Clero proposita. Exemplum ex ADioecesi Olomucensi.

Principium Legislationis Josephinae quoad religionariam educationem prolium e connubiis mixtis, dum pater est acatholicus, iuxta sexum parentum instituendam, tam stricte in Austria recentiori quoque tempore per Regimen Civile observabatur: ut etiamsi nefors prolem e mixto matrimonio genitam parochus catholicus sacro fonte abluisset, patri tamen acatholico salvum ius manserit prolem hanc in sua confensione educandi. [1109]) Quamquam autem lege civili

1106) Mon. 390. pag. 783.

1107) Haec ita evenisse, ex scripto documento desuper in Archivo *Agriensi* conservato eruimus: *Arch. Vet. Nro. 815.*

1108) Mon. 391. pag. 785. — Vid. Droste-Hülshoff, *de discrimine iuris communis et Austriaci in statuendis impedimentis matr. dirimentibus pag. 73. ff.*

1109) *Decr. Regim. Sup. Austr. dd. 30. Sept. 1819.*

Austriaca connubia mixta inter Catholicos et Protestantes minime essent prohibita: Praesules tamen Provinciarum ad Imperium Austriacum spectantium vocem suam pastoralem identidem levarunt, ut fidelibus suis praeceptum Ecclesiae prohibitivum inculcarent, eosdemque ab ineundis coniugiis mixtis efficaciter dehortarentur. Exemplum proferimus ex Archidoecesi Olomucensi, cuius AEppus Comes a Chotek per Epistolam Pastoralem mense Decembri a.1833. editam propositis multifariis matr. mixtorum periculis, cumprimis eo, quam difficile sit veram inter eos, qui de fide diverse sentiunt, animorum concordiam cogitare: Sacros Curiones vehementius excitat, ut fideles curae suae creditos omni quo possunt modo a matrimonio, quod ipsis proficuum non agnoscunt, dehortentur, et nonnisi tunc, dum omnia monita effectu carent, pro dispensatione ad Ordinariatum recurrant. [1110])

§. 285.

Eventus Coloniensis in Austria, ut alibi laetos pro doctrina Ecclesiae produxit effectus. Praesules Austriae, praeeunte AEppo Viennensi principia Ecclesiae circa matr. mixta insigniter sustentabant.

Post eventum pro toto orbe catholico memorabilem, qui in Borussia cum Archiepiscopo Coloniensi accidit, Praesules quoque Austriacarum Provinciarum strenue agebant ea, quae ratio manutenendi principii catholici ab eis desiderabat; Parochos nimirum suarum dioecesium de corrigendo abusu illic etiam invalescente indiscriminatim benedicendi nuptias mixtas, admonebant, hasque conformiter Declarationibus et Constitutionibus Summorum Pontificum conciliandi modum iisdem proponebant; dum autem ob hanc principii catholici defensionem apud Gubernia Civilia quaestionem formari contigit, datis catholicis ac una energicis responsis quemadmodum ea, quae Caesaris sunt, Caesari ultro reddebant, ita et il-

---

1110) Mon. 392. pag. 786. — Literam hanc pastoralem Döllinger, *über gemischte Ehen. 5. Aufl. Regensburg. 1838. pag. 69.* per errorem tribuit *Cardinali Rudolpho AEppo Olomucensi*; qui

la, quae Dei sunt ac Ecclesiae, his reddenda apostolica libertate poscebant.

Praeivit Princeps AEpiscopus Viennensis Vincentius Eduardus Milde: qui repetitis Summi Pontificis Allocutionibus admonitus, non intermisit Ciero Curato eam dare inviationem, ut in conciliandis matrimoniis mixtis principiis Ecclesiae Catholicae exacte se conformet. In cuius inviationis sequelam siquidem Parochi matrimonia illa, quae sine cautionibus ab Ecclesia depostis contrahebantur, ritu consueto benedicere nolient, et ob id in ingratas cum Gubernio Civili collisiones devenirent [1111]: AEppus dato ad Altissimum Locum Memoriali praeclare osteudit: tum quod ne ipsa quidem Constitutio Josephi II. Reversales abrogans, has in universum, proin et eas, quae libera nubentium voluntate darentur, aboleverit; tum quod non sit alter praepediendae collisionis modus, quam si lex civilis, quae prolibus patre acatholico, matre catholica natis religionem patris sequi indulget, eo sensu intellecta declarataque fuerit, quod per illam spontaneae de educatione catholica prolium utriusque sexus reversales nequaquam prohibeantur. [1112])

Princeps Episcopus Gurcensis in Carinthia dd. 4. Junii 1838. suos ope Encyclicae literae alloquens Parochos, et Reversales super educatione omnium prolium mixti coniugii in Religione Catholica a partibus contrahentibus praevie postulandas commeudavit, et iis non praestitis quemlibet casum matr. mixti immediatae suae cognitioni ac decisioni reservavit. [1113])

Consistorium AEppale Olomucense in Moravia prorsus simiiem priori a. 1839. edidit Instructionem eo addito: quod, dum cautio sufficiens super catholica omnium

---

occasione editae literae laudatae in numero viventium iam haud exstiterat.

1111) Vid. *Kirchenhistorischer Bemerker zum allgem. Religionsfreund. Würzburg. 1839. p. 313. — Berliner allgemeine Kirchenzeitung. 1839. p. 319.*

1112) Mon. 393. pag. 787.

1113) Mon. 394. pag. 789.

prolium educatione non praebetur, benedictionem nuptiis mixtis impendi prohibuerit, partem tamen catholicam de reatu poenitentem a Confessione sacramentali nequaquam repellendam esse statuerit. [1114])

§. 286.

Episcopi Lincensis Gregorii Thomae Ziegler zelus in propugnando principio catholico occasione controversiae cum Regimine Politico Sup. Austriae a. 1838. et 1839. testatus.

Singulari attentione digna censemus esse ea, quae in Dioecesi Lincensi annis 1838. et 1839. in merito matr. mixtorum evenerunt. Cum nempe Episcopus Gregorius Thomas Ziegler, post factum Coloniense Parochos suos qua verbo qua scripto eo inviasset, ut in celebrandis matr. mixtis non aliam servent regulam, quam quae innumeris Constitutionibus et recentissimis Declarationibus S. Sedis Apostolicae expressa habetur: Parochi matr. mixta sine cautionibus ab Ecclesia desideratis inita sacra benedictione nequaquam muniebant, sed consensum solummodo nubentium excipiebant, actumque valide gestum libro Copulatorum pro munere suo inserebant. Id quum nominatim Parochus Urbis *Ischl* fecisset, resque instar querelae ad *Regimen Superioris Austriae* pro medela delata fuisset: longior inter Episcopum et Regimen memoratum ennata est correspondentia et respective controversia: cuius decursu Praesul doctissimus et zelosissimus insigni animi constantia principium catholicum propugnabat. Initium controversiae ipsum Regimen dedit: ex incidenti negatae per Parochum antedictum Ischlensem benedictionis matr. mixti, ope Rescripti dd. 20. Mart. 1838. apud Ordinariatum Lincensem quaestionem formando, et tam Parochum propter negatam benedictionem corripi, quam omnes Curatos ad exactam Constitutionis Josephinae Tolerantialis observantiam inviari postulando. [1115]) Verum Episcopus dd. 22. Maii 1838. Regimini rescribens, intrepide enunciavit: Parochum in quae-

---

1114) cf. *Schlesisches Kirchenblatt. 1839. p. 126.*

1115) Mon. 395. pag. 790.

stionem attractum negando benedictionem nonnisi id egisse, quod pastoralis officii ratio ab eo exigebat; simul candide professus: se Parochis hoc in merito ad se recurrentibus aut in futurum recursuris non aliam dedisse, daturumque esse inviationem, ac ea sit, quam immortalis memoriae Pontifices Benedictus XIV. Pius VII. Leo XII. et novissime Gregorius XVI. dederunt. [1116]) Et reipsa mox sequenti ab his responsoriis literis die, quippe 23. Maii 1838. Episcopus pro salute gregis sui vigilantissimus ex Consistorio suo quibusvis Dioeceseos suae Curatis maiorem in modum inculcari fecit: ut Ecclesiae Catholicae ordinationes circa coniugia mixta sancte observent, in casum autem, quo pars acatholica sponsionem super catholica omnium prolium educatione praevie elicere recusaret, Ordinariatui abs mora et ante conclusionem matrimonii relationem praestent, inde inviationem ac decisionem accepturi. [1117]) Qualemnam vero pro eiusmodi casu inviationem ac normam Praesul zelosissimus Curatis praebere solitus fuerit: ex particulari casu, qui in Parochia *Goisern* contigit, docemus: in quo Episcopus datis ad Parochum dd. 14. Jul. 1838. literis, disposuit: ut copulatio non in Ecclesia, sed in aedibus parochialibus in praesentia duorum testium, cum omissione benedictionis, perficiatur. [1118]) — Ordinatio haec Praesulea novam querelae occasionem subministravit. Nam Regimen Sup. Austriae rursum ad quaestionem vocavit dd. 2. Mart. 1839. Episcopale Consistorium, rationemque dimissae Episcopalis Encyclicae ad Curatos reddi iussit. [1119]) Ad cuiusmodi provocationem Episcopus non minori, ac prius, cum candore rescripsit dd. 8. Mart. 1839. „se in iis, quae stricte ecclesiastici sunt ordinis, plena disponendi gaudere potestate, neque se unquam aliud in negotio matr. mixtorum ordinaturum, quam quod Episcopalis officii conscientia, et Ecclesiae totius sententia poposcerint. [1120]) Exaravit una, et scopo futurae promotio-

1116. Mon. 396. pag. 791.
1117) Mon. 397. pag. 794.
1118) Mon. 398. pag. 796.
1119) Mon. 399. pag. 796.
1120) Mon. 400. pag. 797.

nis Regimini transmisit idem doctiss. Antistes recursum ad Sedem Apostolicam: in eoque exposito controversae quaestionis statu, normam ac regulam ab Eadem vel pro cuiusque Dioeceseos exigentia singularem, vel latiorem pro terris Austriae haereditariis edi suppliciter petiit. [1121])

§. 287.

Eodem zelo ducti et alii Monarchiae Austriacae Episcopi, principiis Ecclesiae conformes Curatis dabant instructiones in negotio mixtorum matr.

Exemplum Praesulum hactenus laudatorum et ceteros Monarchiae Austriacae Antistites sequutos esse, et Parochis suarum Dioecesium in merito connubiorum mixtorum principiis Ecclesiae per Sedem Apostolicam solenniter declaratis conformes instructiones impertitos esse, non est ambigendum. De AEpiscopo Salisburgensi Principe a Schwarzenberg, item Episcopo Brunnensi in Moravia Francisco Gindl, et Episcopo S. Hippolyti Mich. Joanne Wagner certo constat: eos de sufferenda praxi indiscriminatim benedicendi coniugia mixta sollicitos mox post eventum Coloniensem congrua hoc in merito egisse [1122]). Speciatim vero commemoramus: Praesulem *S. Hippolytanum* ope Recursus dd. 7. Febr. 1839. ad Regimen Super. Austriae porrecti indultum petiisse, ut se pro obtinendis quoad matr. mixta opportunis Facultatibus ad Sedem Apostolicam convertere possit [1123]), interea autem Parochos suos eum in modum inviasse, ut quemlibet casum connubii mixti dehinc ad Ordinariatum pro decisione referant, nec admisisse, ut connubium tale sine praestita cautione de catholica prolium utriusque sexus educatione, ritu solito benedicatur. [1124])

1121) Mon. 401. pag. 798. — Quae de contraversia Lincensi retulimus, ex Actis per Illmum ac Rmum Praesulem nobiscum benevole communicatis accepimus.

1122) Vid *Katholische Kirchenzeitung. Frankfurt. 1839. p. 310.*

1123) Mon. 402. pag. 802.

1124) Haec constant ex gratiosis literis ab ipso Illmo Praesule ad nos datis.

§. 288.

Literatura ex Austria.

Superiori Seculo, cumprimis occasione ordinationum Josephinarum complures Austriaci Scriptores, dum de re matrimoniali in universum suos edebant foetus literarios, de mixtae quoque religionis connubiis quaepiam in medium protulerant, quae a nobis in historia literaria quaestionis istius haudquaquam silentio premi possunt. Ex aevo *Mariae Theresiae* duos nominamus:

453. Herculanum Oberrauch, Univ. Oenipontanae Professorem, qui in *Institutionibus Justitiae Christianae seu Theologia Morali. Part. 3. Oeniponti. 1775. Tract. XIII. de Sacr. Matr. cap. 8. §. 998.* matr. mixta iis in locis, in quibus Catholici cum haereticis pacifice versantur, ex consuetudine probat, si absit periculum perversionis. De pactis vero circa religionariam educationem prolium statuit: pacta de prole aliqua in haeresi educanda duplicem habere posse sensum: vel hunc, si coniux catholicus promittat, se curaturum, idest, sua opera adiuturum, ut proles haeresi imbuatur; vel hunc, quod coniux catholicus velit permittere, ut proles in errore educetur; pactum priori sensu esse prorsus impium et in nullo unquam casu honestum; in casu posteriore vero iustum fieri iis rationibus, quae pietatem proli in causa spirituali debitam superant, nempe publica utilitate sacra commoda concernente: sed pacta talia tunc tantum obtinere posse, si simpliciter et extra consensum matrimonii fiant; si autem in ipsam conditionem matrimonii adducantur, ipso iure naturae fore illa nulla.

454. Joseph. Valent. Eybel, *Introductio in Jus Eccles. Catholicorum. Vienne 1677.* qui lib. II. cap. 13. §. 358. Tom. IV. admittit equidem, matrimonia ea conditione inita: „ut proles in religione, cui unus tantum sponsorum addictus est, educentur, vel ut religionem, cui una pars contrahentium addicta est, etiam altera assumat" nec substantiae coniugii, nec legibus civilibus adversari: at sub obtutu fori conscientiae repugnare judicat, ut parens liberos suos non tantum absque necessitate permittat, sed et pacto spon-

te inito tradat educandos in religione, de cuius falsitate convictus est.

Ex aevo *Josephi* notamus sequentes:

455. 456. Aniani Eliphii, *concordia Juris Canonici cum Edictis Caes. Regiis recentius emanatis in materia dispensationum super impedimentis matrimonii, ad Ven. Hungariae Clerum. Viennae. 1781.* Auctor Edicta Josephina in re matrimoniali, et signanter quoad dispensationes matrimoniales perlata cum ipsius Juris Canonici regulis concordare, persuasum pergit: sed refutatus est ab Auctore aeque anonymo: Theodosii Trasibuli, *ad Anianum Eliphium epistolae duae. Viennae. 1782.*

457. Franz Andr. Jos. Münch, *oberste Gewalt des Staats in Rücksicht auf die Ehen. Ein Beitrag zur Eheverordnung Joseph II. vom 16. Jan. 1783. Wien und München. 1784.* in legem matrimonialem Josephinam commentans, supremamque potestatem in re connubiali Civili Imperio adserens, de mixtis etiam matrimoniis statuit: in potestate Imperantis esse, ea prohibere, aut, si illa admittat, religionem, quam proles sequi debeant, definire.

458. *Betrachtungen über die k. k. Verordnung in Ehesachen. Wien. 1785.* Constitutionem matrim. Josephinam defendens, de matr. mixtis tenet: Ecclesiae, quamprimum in eo est, ut populus solidam ac illuminatam in negotio religionis nanciscatur institutionem, nullam suppetere causam ob quam matrimoniis inter Catholicos et Protestantes impedimenta ponat; imo Parochos, qui ex ignorantia aut officii impertiendae debitae institutionis neglectu ipsi auctores sunt, ut matr. mixta periculosa evadant, ad onus responsionis trahendos venire.

459. *Ist es wahr, dass die k. k. Verordnungen in Ehesachen dem Sacramente entgegen stehen? Wien. 1786.* aeque, ut prior, constitutionem Josephi Caesaris defendit, et de quaestione: an matr. mixta licita sint? affirmat: eam non secundum generales quaspiam Ecclesiae leges, sed iuxta particulares quorumvis Regnorum ac locorum regulas diiudicandam, ac proin in Germania sine omni ulteriore discussione affirmative decidendam esse: periculum quippe per-

versionis, si modo Episcopi et Parochi solidam praebeant parti catholicae in doctrina fidei ac morum institutionem, facile averti posse.

Ex aevo recentissimo unicum duntaxat in Austria vidit publicam lucem opus de matr. mixtis, idque prorsus praestans.

460. **Joannis Bapt. Kutschker**, Prof. Olomucensis, *die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchlichen Standpunkte aus betrachtet.* In opere isto, quod primum in scripto periodico Viennensi: *Pletz, neue theologische Zeitschrift.* [1125]) editum, tum post eventum Coloniensem novis curis elaboratum et a. 1838. typis Viennensibus recusum, postremo, idque tertia iam vice a. 1841. reimpressum est, quaestio de matr. mixtis principaliter secundum obtutum religiosum ac ecclesiasticum pertractatur, ita, ut et doctrina SS. Scripturarum, et sensa SS. Patrum atque Scriptorum e primis Seculis, et Canones Conciliorum, effataque Summorum Pontificum, et argumenta e natura rei magna cum eruditione aeque ac perspicuitate proposita sint, opusve omni sub respectu maiorem in modum commendari mereatur.

APPENDIX.

De Brevi, et Instructionibus Pontificiis in causa matr. mixtorum ad Episcopos Hungariae et Austriae a. 1841. datis.

§. 289.

Recursus Praesulum Regni Hungariae et Austriae in causa matr. mixtorum ad Sedem Apostolicam a. 1840. porrectus, et Breve ac Instructiones inde obtentae a. 1841.

Historiam matrimoniorum mixtorum in Hungaria, Transilvania, et Austria, quam usque annum 1841. perduximus,

1125) *Jahrg. 1834.* II. B. p. 75—110. 166—209. 299—328.— *Jahrg. 1835.* I. B. p. 23—50. 173—210. 301—318. II. *B.* p. 35—64. 165—199. 293—334 —*Jahrg. 1836.* I. B. p. 23—67.

claudere haud possumus, quin ea adhuc breviter percenseamus, que Praesules Regni Hungarici et Imperii Austriaci in merito matr. mixtorum ex obligatione suae ad Centrum Ecclesiasticae Unitatis, Romanum quippe Pontificem, relationis ac necessitudinis egerunt. Principem hic locum merito tribuimus *Epistolae*, quam *Archiepiscopi Regni Hungariae* cum suo tum Suffraganeorum suorum nomine dd. 10. Juni 1840. ad Summum Pontificem exararunt. In ea primo statum quaestionis controversae cum historica deductione exponunt; tum ad legem civilem a. 179$^0/_1$. quae matr. mixta semper coram parochis catholicis iniri praecipit, et iisdem impedimenta ullo sub praetextu poni vetat, Summi Pontificis attentionem provocant, ultroque confitentur, a longo iam tempore consuetudinem in Regno invaluisse, ut mixta connubia etiam citra praestitam super catholica prolium utriusque sexus educatione securitatem ritu alias solito benedicantur; post haec declarant, se legi memoratae civili citra gravissima Ecclesiae incommoda, et tranquillitatis publicae perturbationem eo cum effectu, ut matr. mixta, dum de catholica prolium educatione prospectum non est, prorsus non ineantur, contravenire haud posse; exponunt deinde, quamnam ipsi in his temporum rerumque circumstantiis inierint rationem circa mixta matrimonia, haneque Auctoritate Apostolicae Sedis approbari flagitant; demum projectum legis in postremis Regni Comitiis circa connubia mixta conditum enarrant, et opportunam pro futuro super toto hoc negotio Instructionem supplices petunt, pro Transsilvania quoque extendendam. [1126])

Ad Epistolam Archiepiscoporum Regni Hungarici, quam ipsorum nomine celebratissimus *Csanadiensium* Antistes *Josephus Lonovits* Romam pertulit, arduaque meriti istius adjuncta uberius exposuit, respondit Summus Pontifex tum per Breve, tum per Instructionem a Cardinali Secretario Status signatam, dd. 30. April. 1841. In *Brevi* paucis praemissa sententia Ecclesiae, connubia mixta nullo non tempore detestantis, zelum Praesulum non minus quam

---

1126) Mon. 403. pag. 804.

Parochorum in tuenda fortiter disciplina Ecclesiae, removendoque *abusu*, qui in Regno invaluit, laudat, et susceptam per Episcopos consilii rationem approbando, statuit: ut, si quando matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesia praescriptis, sine maioris mali scandalique periculo impediri non possit, simulque in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur, si huiusmodi matrimonium quantumvis illicitum coram parocho catholico potius quam Ministro haeretico celebretur: parochus materiali tantum praesentia, excluso quovis sacro ritu, matrimonio tali assistat, partes agens testis mere qualificati seu auctorisabilis, et excepto coniugum consensu in matrimonium, actum valide gestum in librum matrimonium inferat; hic tamen officium suum nequaquam cessasse existimet, sed potius omni studio in id incumbat, ut a parte catholica perversionis periculum amoveatur, universae prolis educationi consulatur, et pars catholica serio admoneatur de obligatione sua pro viribus curandi conversionem coniugis acatholici [1127]. — In *Instructione* autem ad occurrendum adhuc uberius necessitatibus Regni et removendas angustias Cleri, quas cum in literis, tum medio Legati circumstantialiter exponi fecerunt Regni Praesulas, sequentia tam pro Regno Hungariae quam pro M. Princ. Transsilvaniae decrevit Summus Pontifex: tolerari ab Episcopis posse, ut a parocho catholico tum consuetae promulgationes, nulla tamen religionis sponsorum mentione injecta, fiant, tum de iis peractis literae testimoniales concedantur, in quibus unice enuncietur: nil aliud, praeter Ecclesiae vetitum ob mixtae religionis impedimentum, matrimonio obstare; quodsi vero coniugium mixtum coram acatholico ministro, seu non servata forma Conc. Tridentini iuiri contingat, id prudenter dissimulandum, et coniugium eo modo initum, quamvis illicitum futurum tamen validum, nisi canonicum ei obstet impedimentum, aut in celebratione eiusdem appositae fuerint conditiones substantiae matrimonii ex doctrina catholica

---

1127) Mon. 404. pag. 811.

repugnantes; in omni vero casu coniugem catholicum omni pastorali sollicitudine ad patratae culpae detestationem et congruam poenitentiam agendam monendum esse: qua acta, coniugeque catholico parato ad opportunam scandali reparationem, eundem ad Sacramentorum Ecclesiae usum admitti posse. [1128])

Ad literas porro, quas Archiepiscopi ditionum *Austriacarum* itidem suo et Suffraganeorum nomine per laudatum Episcopum Csanadiensem Summo Pontifici exhibuerunt: Idem medio Instructionis a Cardinale Secretario Status dd. 22. Maii 1841. signatae prorsus ita, uti Episcopis Regni Hungarici, in merito matr. mixtorum rescribi iussit: ea tamen cum differentia, quod in Instructione ad Episcopos Austriacos de casu illo, quo matr. mixtum citra formam a Concilio Tridentino praescriptam coram ministro acatholico contrahitur, nil statuerit, sed totam hanc circumstantiam silentio praeterierit. [1129]).

§. 290.

Apostolicae Sedis Instructionibus conformes ad Parochos inviationes per Hungariae ac Austriae Praesules ultimis anni 1841. mensibus editae.

Postquam Literae Apostolicae utriusque ordinis, tam scilicet illae, quae ad Praesules Regni Hungarici, quam eae, quae ad Austriacarum Provinciarum Episcopos dirigebantur, Placetum Regium obtinuissent: Praesules, ad primas officii sui partes pertinere rati, easdem abs mora Clero Curato communicare, id etiam ultimis anni 1841. mensibus alacriter praestiterunt. Praesules quidem Regni Hungarici, praeeunte Primate, tenorem Brevis Pontificii (Instructione pro privato usu suo ac directione reservata) cum universo Clero Curato per Encyclicam literam communicantes, eundem simul eo inviarunt: ut ad casum, quo desponsi mixtae religionis non praestitis debitis cautionibus a Paro-

1128) Mon. 405. pag. 817. — Atque ita in Brevi et Instructione pro Hungaria idem prorsus praescripsit Sedes Apostolica, quod a. 1830. pro Regni Borussici Provinciis Occidentalibus, et a. 1832. ac 1834. pro Regno Bavarico ab Eadem praescriptum fuit.

1129) Mon. 406. pag. 820.

cho Catholico haud copulati Ministrum Evangelicum scopo ineundi coram hoc matrimonii accederent, partem catholicam a tali scandalo, et manifesta non tantum sacrorum canonum sed et patriae legis transgressione absterreat, non secuto autem effectu nil ultra motu proprio suscipiat, sed rem totam ad Ordinariatum referat, et congruam instructionem petat [1130]). In eadem Encyclica ad uberius commonstrandum, quantopere ea, quae Praesules Regni in negotio matrimoniorum mixtorum adprobante Sancta Sede Apostolica constituerent, universalis Ecclesiae Catholicae per orbem dispersae sententiae et doctrinae conformia sint, adnexa erant Testimonia, plane memorabilia, ex diversis Orbis Catholici Regionibus cura et studio Pincipis Primatis collecta, pro eo: *quod doctrina et praxis, quam Ordinariatus Hungariae et adnexarum partium circa mixta matrimonia sequuntur, toti Ecclesiae Catholicae communis sit* [1131]). — Praesules dictionum *Austriacarum* aeque conformes Instructioni Sedis Apostolicae regulas quoad tractandum mixtorum matrimoniorum negotium Sacris Curionibus praescripserunt: e quibus instar omnium proferimus Literas Circulares pro Archidioecesi Viennensi ex Consistorio dd. 10. Octobr. 1841. intimatas [1132]): in quibus cetera inter declaratum legimus: ad obtinendam copulationem ecclesiasticam mixti matrimonii, dum sponsus est acatholicus, *promissionem* de educatione omnium prolium sine discrimine sexus in Religione Catholica *per propriam sponsi et duorum testium subscriptionem* in tuto locandam esse.

1130) Mon. 407. pag. 824.

1131) Testimonia haec inter Monumenta nostra comparent pag. 828. ss. demtis unice illis, quae ex *Bavaria*, et *America Septemtrionali* adducta sunt: cum haec, et quidem primum inter Monumenta nostra Nro. 206. pag. 297. alterum vero Nro. 259. pag. 419. iam recenseantur, et in specie ex Bavaria plura insuper sub Nris 207. 208. pag. 300. ss. adlata habeantur.

1132) Mon. 408. pag. 835.



